BIBLIOTECA RICCARDI
IN MODENA
S. IX F. 7 N. 41

Digitized by the Internet Archive
in 2017 with funding from
Getty Research Institute

https://archive.org/details/dekalendarioetcy00bian

DE KALENDARIO ET CYCLO CAESARIS
AC
DE PASCHALI CANONE S. HIPPOLYTI MARTYRIS
Diſſertationes duæ

AD SS. D. NOSTRUM
CLEMENTEM XI. PONT. MAX.

Quibus inſeritur deſcriptio, & explanatio baſis, in Campo Martio nuper detectæ ſub Columna Antonino Pio olim dicata.

HIS ACCESSIT

Enarratio per Epiſtolam ad Amicum

DE NUMMO ET GNOMONE CLEMENTINO

AUCTORE

FRANCISCO BLANCHINO VERONENSI

BASILICÆ S. LAURENTII IN DAMASO DE URBE CANONICO, S.D.N. ab Honore Sac. Cubiculi, & à Secretis Sac. Congreg. Kalendarii.



ROMÆ, MDCCIII.

Typis Aloyſii, & Franciſci de Comitibus Impreſſorum Cameralium.

SUPERIORUM PERMISSU.

BEATISSIMO PATRI

CLEMENTI XI.

PONTIFICI MAXIMO.

Franciſcus Blanchinus Felicitatem.

VOTA publica, quibus à DEO impetrandum fuit ante triennium, ut SANCTITAS VESTRA clavo Orbis Terrarum divinitùs admota, tutelam noſtrorum temporum diutiùs non detrectaret, inſtauravimus more ſolemni, nuncupantes in annos plurimos: & precati, ita ſæpius eandem vinci prorogatione fauſti ominis; ut tanti regiminis adminiſtratione ſanctiſſima omnium mortalium ſpem ſupergreditur. Verùm huic verecundiæ votorum, Veſtris Virtutibus ſemper imparium, ſic humilitas noſtra aſſuevit, PATER BEATISSIME; ut eorundem teſſeram tenui munuſculo inſcriptam ſacris parietibus palam appendere non erubeſcat. Feret itaque Pontificii animi magnitudo, à ſe repellens quæcumque in humanarum rerum faſtigio videntur maxima, Apoſtolicis pedibus exilia hæc ſiſti; quæ neç aliena à miniſterio, nec à Sacra præceptione Veſtra ſejuncta meditabar, cùm Paſchalis rei curam BEATITVDINIS VESTRÆ mandato ſuſcepiſſem. Quo verò nomine probari conſilium, aut excuſari fiducia obſe-

quendi poſſit, paucis aperiam, ſi epiſtolæ nuncupatoriæ rudimentum præfationis liceat attexere.

Duo vetuſta marmora, eodem ſæculo è ruderibus Urbis egeſta, quo Gregorius XIII. Kalendarii ordinationem inſtituit, eruditorum oculos ad ſe pertraxerunt: quorum in uno anni Juliani ratio, in altero Paſchalis Canonis, à S. Hippolyto Martyre concinnati, methodus explicabatur. Urbana monumenta, antiquorum ſapientiæ ſemper fœcunda, opportunè miniſtraverant lectam materiem, & Eccleſiæ Chronologis plurimum profuturam: præſertim cùm à florentiſſimis Chriſtianæ Religionis, & Imperii Romani ſæculis ad eos perveniſſent. Illorum itaque marmorum curam clariſſima ejus ætatis lumina ſuſceperunt, Marcellus Cardinalis, hujus poſtea nominis Papa II. Cervinus, & Bernardinus Maphæus in Sacrum Collegium pariter cooptatus. Marcellus marmor S. Hippolyti Epiſcopi, effoſum in agro Verano prope Baſilicam Laurentianam, dignum cenſuit, quod in Vaticana Bibliothecam inferret, veluti pretioſiſſimam tabulam paternæ hereditatis, à Martyribus ad nos tranſmiſſam: quorum ſtudia teſtatur in divini cultûs ordine diſponendo, non intermiſſa in ipſo diſcrimine perſecutionum. Alterum verò lapidem, Kalendario Juliano inciſum, domi ſervavit inter erudita cimelia Cardinalis Maphæus: à quo deſcriptum edidere complures antiquitatis peritia præſtantes Viri, ac Romanorum Veterum Faſtis planè accenſendi, Manutius pater, Fabricius, Junius, Scaliger, & Gruterus: licet negligentia temporum poſtea deperditum eundem lapidem hodie deſideremus. Illuſtarunt etiam marmor Hippolyteum tum ætate Marcelli Auctores anonymi, quorum ſcripti codices cum Bibliotheca Altæmpſiana in Otthobonianam translati ſunt, tum

præ-

præſtantiſſimi Chronologorum Petavius, & Bucherius in commentariis, ad immortalitatem literarum editis. Verùm ut plura hi pervíderunt, quæ priores Auctores fugerant; ita non modicam partem interpretationis abſolvendam poſteris reliquerunt, ut plenè foret, cumulatèque perfecta.

Subobſcuræ itaque parti expoliendæ hoc præcipuè tempore animum adjeci: quo tum rebus antiquis nitor eſt redditus, ingenio ſæculi ad ſolidiora ſtudia converſo; tum perquirendæ Paſchalis diſciplinæ occaſio ſuborta ſuaſit veterum Cyclos verſare diligentiùs, ad eoſdem comparandos cum noſtris uſibus. Id enim primò conſtituerat egregius ille Paulus Epiſcopus Foroſempronienſis in præclara methodo ſuæ Paulinæ, qua viam aperuit ad rem Paſchalem impoſterum ordinandam; ut præcipui antiquorum Cycli Luniſolares in medium producerentur. Nam exempla Veterum Græcorum ac Latinorum, quæ præſertim Patribus placuiſſent, ſoliditatis plurimum in ſe continere cognoverat ad iter muniendum, tum ad reliquas artes ac ſcientias, tum ad civilem Chronologiam, unde pars maxima petitur Paſchalium conſtitutionum.

Quæ dum revolverentur, viſa etiam ſunt ſcribentem, veluti manu apprehenſum perducere ad remotiores cauſas aperiendas, quæ fraudem temporibus olim fecerant, dum à germana religione DEI conditoris ſurreptos, ac veluti divulſos annos, menſes, ac dies militiæ Cęli paſſim proſtituunt apud Aſſyrios, Ægyptios, Græcos, & Romanos: & variis numinum cognomentis perſonata ſidera in earundem nationum circos ac theatra producunt, ad præcipuum vitæ officium, quod in vero DEI cultu exercendum eſt, per ſingulas anni partes crebris ſuperſtitionibus evertendum. Tum verò à Luminaribus ad Prin-

cipes traducta impietas mentes hominum in ipſo conſpectu Solis cæcutire aſſuetas cum deorum ſimulacris commiſit, & confidentiùs audere ſuaſit in eorundem ſubſellia, diviſis paſſim aris ac templis, flaminibus & coronis, miſſuum circenſium numero ac ludorum ritibus inter numinum & civitatum, inter ſiderum ac Regum natales: donec fugatis ethnicorum tenebris, à cæleſtium honorum uſurpatione iniquos poſſeſſores lux Chriſtiana depelleret; eraſis è Faſtorum albo ſuperſtitionibus Solis ac Lunæ, Græculorumque fabulis ac natalibus Cæſarum: & ad noſtrorum Sacrorum Antiſtites, legitimos utique judices, delatâ Kalendarii curâ, temporum ratio priſcam repeteret diſciplinam: diebus ſingulis DEO nuncupatis in Feriarum nomenclatura, ex antiqua Eccleſiæ conſuetudine per Silveſtrum reſtituta: & anni modo, ac menſibus dedicatis in Paſchali Canone per Nicænos Patres, ejuſdem Silveſtri auctoritate, ac ſtudio collectos. Hujus Pontificis ſæculo verè aureo FELIX TEMPORUM REPARATIO in publicas Tabulas inducta fuit: quam explicant nummi, à Conſtantini Maximi liberis in Oriente & Occidente percuſſi: quibus iterum inquinatis poſt nefariam Juliani Principis defectionem à Chriſtianis Sacris, omnia iterum revocantis ad impium Solis cultum, ſuo cum Sarapide, & Iſide conſignatum pluribus in monetis; vindicata ſunt iterum tempora vigilantiâ Catholicorum Antiſtitum, præcipuè verò Innocentii ac Leonis, aliorumque Pontificum Romanorum, adnitentibus Ambroſio, Auguſtino, Theophilo, Chryſoſtomo, Cyrillo, ac Proterio, Patrum doctiſſimis: & à Magno Theodoſio Auguſto, una cum triumphali Chriſti nomine & Cruce, auro, argento, ære iterum ducta, & impreſſa publicis monumentis.

Hiſto-

Hiſtoriam itaque temporum colligi cùm viderem ex utroque marmore, Juliano, & Hippolyteo, præcipuè ſi numiſmatum antiquorum indiciis illuſtraretur: præterea etiam conſpicerem utrimque peti Paſchalis Cycli methodum non inelegantem; in eam ſpem erigebar, ut SANCTITAS VESTRA non duceret, in his explicandis alienum fore ab officio munuſculum, quod Pontifici Maximo clericus exhiberet. Indulgentiæ it[illegible] ue Principis fuerit, prima hæc ſpecimina Kale[illegible]arii curæ, natalitiam veluti ſymbolam, in Cathedræ veſtræ lætitia inter publica Vota conlatam, à Pontificiis pluteis non removere. Ut enim nullius pretii opuſculum tenuitas Auctoris non diffitetur; ita etiam audet SANCTITATIS VESTRÆ præſidium polliceri monumentis antiqui Martyris, pridem ſervatis, & nuper editis, communi veluti ſtudio utriuſque Laurentianæ Baſilicæ, tot nominibus CLEMENTI XI. obſtrictæ. Veranus certè ager, unde Hippolyti marmor eductum fuit, videt in proximo Tarquinii aggere ac Thermis Diocletiani ſponſionem illuſtrem, qua SANCTITAS VESTRA dignatur Sacrorum temporum conſtantem curam exemplo majorum in poſteros derivare, excitato Gnomone Helioptico, hiſce paginis deſcribendo. Alter verò Titulus Laurentianus in Damaſo, cujus maximum monumentum & gloria vivit in illuſtri enneadecaeteride, quam ferme ſolidam decoravit SANCTITAS VESTRA, in Baſilicæ dypticis inter Canonicos tamdiu relata; ita præſens experitur præſidium CLEMENTIÆ VESTRÆ; ut ſuo veluti jure non modò Nomen uſurpet, ſed etiam eroget clientelam. Meminit enim, CLEMENTEM XI., cùm è Vaticanis Comitiis PONTIFEX MAXIMUS proceſſiſſet, primum itinerum ſuſcepiſſe ad priſcum hunc Titulum S. Lau-

rentii in Damaſo, ubi cæleſtis militiæ tyrocinium poſuerat. Donaria oſtentat ſuppellectilis ſacræ, veteri more & munificentia liberaliter à SANCTITATE VESTRA tranſmiſſæ. Videt in ſingulis propemodum clericis paternæ curæ ſollicitudinem, in nos exercitam quotidianis experimentis beneficientiæ. Hujus itaque Baſilicæ ſponſione fretus (cujus Collegio ut adſcriberer longo licet intervallo diſſitus ab ordine tam illuſtri, BEATITUDINIS VESTRÆ favore adnitente, Petri Cardinalis Otthoboni Patroni Optimi liberalitas fecit) audeo, non jam noſtra, ſed VESTRA, hoc eſt Laurentiana monumenta pedibus Apoſtolicis exhibere. Liceat hiſce lapidibus, ad perennitatem hiſtoriæ, & Chronologiæ Sacrorum codicum inſculptis, primum triennium VESTRI Regiminis conſignare. Liceat iiſdem inſcribere Votorum ſummam: quæ ſicuti compleri triennalia, SANCTITATE VESTRA ſoſpite, & Eccleſia florente, videt; ſic tricennalia feliciter à DEO VOBIS dari, atque impertiri adprecatur.





INDEX CAPITUM.

DISSERTATIO PRIMA.

CAPUT PRIMUM.

De Cyclo duplici, Juliano, & Hippolyteo, ejuſque uſu ad Paſcales rationes illuſtrandas, ac perficiendas.

SUMMA CAPITIS PRIMI.

1. *Annus Romanorum Lunaris, à Numa inſtitutus, à Cæſare convertitur in Solarem, habitis tamen ad Lunam quoque dimenſionibus, ſeu Cyclo Lunari in eundem inſerto.* 2. *Auctores aliqui tradunt, Eccleſiam Latinam ante Nicænam Synodum uſam fuiſſe Cyclo Cæſaris Luniſolari.* 3. *Eccleſia omnes Cyclos conſulere conſuevit, ut ex iis eligeret præſtantiſſimum ad Paſchatis Chriſtiani regulas conſtituendas.* 4. *Proponuntur duo Cycli Lunares, Julianus, & Hippolyteus, duplici diſſertatione explicandi.* 5. *Primæ diſſertationis argumentum eſt Cyclus Cæſaris Dictatoris, in ejuſdem Kalendario detectus: unde nos poſſumus, exemplo S. Hippolyti plura mutuari ad Paſchales tabulas ordinandas.*

CAPUT SECUNDUM.

Conſpectus, & interpretatio Kalendarii Cæſaris, in antiquo marmore ſculpti.

SUMMA CAPITIS.

1. *Kalendaria Romanorum in vetuſtis monumentis conſpicua. Ruſticum inciſum in pluribus lapideis baſibus, præcipue*

Vallenſi &, Farneſiana. 2. Civile C. Julii Cæſaris in tabula marmorea olim Card. Maphæi, Auguſti ætate ſculptum, cum octo literis A B C D E F G H, *per dies ſingulos continua ſerie diſtributis. 3. Quas Joſephus Scaliger, aliique Auctores exiſtimarunt fuiſſe indices Nundinarum. 4. Scaligeri hallucinatio in Epochæ motus Lunaris ad anni Juliani caput referenda. 5. Ejuſdem Scaligeri interpretatio de litteris nundinalibus refellitur. 6. Tabulæ Maphæanæ, Cæſaris Kalendario inſcriptæ, hiſtoria recenſetur. 7. Illius icon exhibetur, expenditur titulus, & Cyclus Lunaris Octagrammus indicatur, capite ſequenti illuſtrandus.*

CAPUT TERTIUM

Ratio, aut ſyſtema Cycli Lunaris Octagrammi, in Kalendario Cæſaris per *Literas octo*, & *colorum* genera *quatuor* deſcribendi.

SUMMA CAPITIS.

1. *C. Julius Cæſar in anni ordinatione quartam ſectam, à Chaldæis, Ægyptiis, & Græcis rationibus diverſam propoſuit. 2. Hanc in Lunæ Cyclo videntur indicare octo Literæ* A B C D E F G H, *in Kalendario conſignatæ, ſi coloribus quatuor diſtinguantur. 3. Ratio Cycli Lunaris ab hiſce literis collecti, & cum enneadecaeteride Metonica, & Alexandrina comparati, per dieteridas, ſive biennia procedens, ſerie literarum, & colorum continuâ. 4. Facilitas numerationis ætatis Lunæ, Olympiadum, & Octaeteridum ex* quatuor *illis* colorum *generibus*, & octo literis. 5. *Ætas Lunaris, ad quatuor anni cardines conſignata in parapegmate Juliano, plurium nationum uſibus ſerviebat, ut ſequenti capite fuſiùs exponitur. 6. Reductio Cycli Octagrammi C. Julii Cæſaris ad Aureum numerum per enneadecaeteridas inſtauratum. 7. Apta diſpoſitio Cycli hujus*

Octa-

Octagrammi ad rectè conſignandam ætatem Lunæ ex uſu civili demonſtratur per motus Lunares, & per Eclipſes, ab Aſtronomis obſervatas, & relatas ab hiſtoricis Romanis. 8. Harmonia ejuſdem Cycli cum motibus mediis.

CAPUT QUARTUM.

Uſus Cycli Juliani Octagrammi apud Romanos, & apud pleroſque populos Romano imperio ſubjectos.

SUMMA CAPITIS.

1. *Cyclus Cæſaris aptiſſimus ad exhibenda omnium nationum Kalendaria, quotquot erant Romanæ ditionis. 2. Ethnici per triplicem illam idololatriam, quam theologiam Varro dixit, rerum creatarum cultum impium inducentes, potiſſimè verò Solis ac Lunæ, præverterunt ordinem, uſumque rerum earundem, à DEO conditarum, ac præcipuè ſtata tempora, quæ fuerant divinis laudibus aſſignanda. 3. Iiſdem ritibus, ac ſuperſtitionibus ethnicorum, juxta motus Luniſolares ut plurimum ordinatis, Cyclus Cæſaris omnium expeditiſſimè aptari poterat. 4. Aptabatur annis trimeſtribus Arcadum, & intercalationi trimeſtri per ſingulas octaeteridas, à pleriſque Græcis uſurpatas. 5. Necnon anno trimeſtri Ægyptiorum, ſive potius eorundem ὥραις ſive Græcorum ὥραις quas etiam κέντρα appellarunt, Hebræi Tekuphas, nos anni cardines dicimus, ac tempeſtates; & anno ſemeſtri Acarnanum. 6. Cyclus Cæſaris commodè aptatur tum annis vertentibus. 7., tum annis magnis eorundem populorum, nempe numeratis per dieteridas, ſive trieteridas, olympiadas, octaeteridas, dodecaeteridas &c. juxta quæ ſpatia temporum conventus, ac cæremonias inſtaurandas eſſe cenſuerant. 8. Cæſaris Cyclus Lunaris fortaſſe deperditus ex imperitia, aut negligentia ſacerdotum: quorum tardi-*

tarditas in anni Juliani ratione cognoſcenda oſtenditur ex vitioſa interkalatione diei Biſſextilis. 9. Proponitur hæc ratio Chronologiæ uberiùs illuſtranda ex nummis antiquis cap. ſubſequenti. 10. Interea veterum Græcorum diligentia, & cura proponitur in civili ordinatione tum anni vertentis, tum periodici.

CAPUT QUINTUM.

Cæſariani Cycli diſpoſitio, & colores, Feſtis, Ludis, cæremoniis ethnicorum, ad Solares, ac Lunares motus plerumque aptatis, ex nummorum fide reſpondent.

SUMMA CAPITIS.

1. *Feſta, ludi, pompæ apud ethnicos annalium vicem gerebant. 2. Conſenſus Feſtorum, & Solis motuum, adſtruitur numiſmatum indicio. 3. Numiſmata ſpectant ad coronas. 4. Iſtæ pertinent ad Solis, Lunæ, Cæli, pluriumque Stellarum cultum & converſiones. 5. Conjectu coronarum æquè ac numiſmatum culta numina, & viri bene de republica meriti, ac præ ceteris Imperatores & Magiſtratus. Conjectus nnmmorum videtur inductus ad ſupplendum conjectum coronarum. In coronis ſignacula, ac ſigilla, & imagines deorum, ac principum, nummos indicant. 6. Imagines deorum ut plurimum referendæ ad Solem, ac Lunam, quorum ſiderum motibus feſta aptabantur. 7. Imagines Solis, ac Lunæ in nummis aliquibus expreſſæ. 8. in aliis Sol & Luna variis numinum cognomentis, ſimulacris, & ſymbolis conſignantur, quæ eadem ſidera propiùs attingunt, potiſſimè circa Tropicos, & Solſtitia. Probatur de Jano, ac Junone apud Romanos. 9. Ægyptiorum Harpocrates Sol. Hujus ætates quatuor puerum, juvenem, virum, ſenem referentes, pertinent ad quatuor anni tempora, ſive Horos Ægyptios, & Græcorum Horas. 10. Jo-*

vis

vis ætates diverſæ apud Græcos, ac Romanos in idem recidunt; & nummis illuſtrantur. Pan ſimiliter ab Ægyptiis ad Græcos, ac Romanos retulit ætatem Solis diverſam, uti ex numiſmatibus colligitur. 11. *Symbola deorum in nummis cuſa, hoc eſt ſerpens vel unicus, vel plures, Apollinis lyra, ſiſtrum Iſidis, baſis tetragona Mercurii, caduceum, & his affinia, quatuor anni tempeſtates, ac luminarium certa loca, & motus oſtendunt.* 12. *Zodiaci ſigna in nummis expreſſa, & aſteriſmorum extra Zodiacum figuræ pertinent ad annis partes, aut annum ſolidum indicandum.* 13. *Deorum ſymbola monetis hiſce coronariis conſignata dinumerantur, quorum pompas annuas, & ſacrificia reſpiciebant.* 14. *A numinibus ad Reges, ac Cæſares traducta dedicatio ludorum, coronarum, & numiſmatum pariter, ac temporum.* 15. *Nummi præſertim percuſſi iis, qui annum ordinarunt: quibus etiam agones annui, & ſacra certamina dicabantur, & ludi, potiſſimè Circenſes apud Romanos.* 16. *Quorum colores quatuor, ut reliqua circi ornamenta, ad anni tempeſtates relata, Solis ac Lunæ periodos deſignant.* 17. *Quatuor colores Circenſium aptantur Cyclo Luniſolari in Cæſaris Kalendario.*

CAPUT SEXTUM.

Refelluntur opiniones contrariæ, & indicatur tempus, quo Lunaris Cyclus Kalendario Juliano inſertus fuit.

SUMMA CAPITIS.

1. *Dubia duo proponuntur contra explicationem Cycli Lunaris, ex octo literis Kalendarii Juliani collectam.* 2. *Scaligeri interpretatio nundinis addixit eaſdem literas.* 3. *Contra Scaligerum colligitur ex Macrobio, inter duas nundinas non ſeptem tantummodo, ſed octo ſolidos dies fuiſſe interpoſitos.* 4. *Refellitur eadem interpretatio Scaligeri*

ligeri

ligeri ex incurſu nundinarum in dies, ab antiquorum ſuperſtitioſa obſervatione improbatos. 5. Traditur methodus, qua Nundinarum periodus per biennia diſponi potuiſſet, die unica diſſimulata. 6. Solvitur dubium ſecundum contra Cyclum, quod petebatur à ſilentio ſcriptorum veterum, prolatis antiquorum teſtimoniis, nempe Macrobii, & Euſebii: unde colligitur, Cyclum additum fuiſſe Kalendario Juliano, vel ab ipſo Cæſare in correctione faſtorum, vel ab Auguſto proximis annis poſt mortem Cæſaris.

CAPUT SEPTIMUM.

Pleraque in hac diſſertatione pertractata illuſtrantur ex antiquo marmore, nuper detecto in baſi Columnæ, Antonino Pio dicatæ poſt ejuſdem apotheoſim: cujus vetuſti operis deſcriptio, & declaratio exhibetur.

SUMMA CAPITIS.

1. *Deſcriptio baſis, in qua exprimitur Apotheoſis Antonini Pii, ejuſque dedicationis epigraphe, poſita communi nomine fratrum Auguſtorum Marci Aurelii, & Lucii Veri.* 2. *Exponuntur ſymbola globi cæleſtis ibidem appoſita ad Epocham conſecrationis Pii demonſtrandam.* 3. *Oſtenditur, iiſdem cæremoniis peractam fuiſſe apotheoſim Pii, quibus Auguſtus antea fuerat inter divos à Tiberio relatus.* 4. *Annui Circenſes ludi die Natali Antonini, uti olim Auguſto, ita etiam Pio decreti à Senatu, cum ejuſdem apotheoſi, indicantur per obeliſcum, in baſi ſculptum, quem illi offert Genius Populi Romani, ſeu Genius Circi. aut Genius Campii Martii. Illuſtratur verò ejuſmodi ritus exemplo Regum Ægyptiorum: à quibus deductæ ſuperſtiones pleræque ethnicorum, ſed præcipuè cul-*

tus

tus communis Soli, & Principibus in deos relatis. 5. Dies Apotheoſeos Antonini hoc in marmore conſignatur duplici ſymbolo, ſeu charactere: quorum alter ad annum cæleſtem pertinet, alter ad civilem Romanorum. Indicatur autem dies pridie Eidus Martii Æræ Chriſti communis 161.: *quæ fuit octava dies obitus Antonini. Character cæleſtis ejus diei habetur in locis Solis, ac Lunæ, ibi deſignatis.* 6. *Equeſtris ludi, ſeu decurſio Equitum Romanorum, in utroque latere baſis ejuſdem ſculpta, præter hunc ritum, qui pars erat apotheoſeos, alterum quoque characterem videtur oſtendere ejuſdem diei* XIV. *Martii, in anni civilis ordinatione Feſto Equiriorum tributæ. Ejuſdem ritus funebris, ac feſti origo apud Romanos veterum Auctorum teſtimonio illuſtratur. Ex pleriſque ſymbolis hujus anaglyptici operis confirmantur ea, quæ in hac diſſertatione pertractabantur, præſertim quarto, & quinto capite de ludorum Circenſium ſpectaculis, aliiſque ſuperſtitionibus, ac myſteriis ad utriuſque Luminaris motus, & ad memoriam Principum impio cultu celebrandam apud ethnicos, plerumque adhibitis, & ordinatis ex Cyclo Kalendarii Juliani.*

INDEX

INDEX CAPITUM.

DISSERTATIO SECUNDA.

DE CANONE PASCHALI S. Hippolyti Epiſcopi & Martyris.

CAPUT PRIMUM.

De antiqua baſi, aut ſede marmorea, in qua ſculptus viſitur Canon Paſchalis: ac de ejuſdem effoſſionis hiſtoria.

SUMMA CAPITIS.

1. *Baſis antiqua, & Canon Paſchalis S. Hippolyti à pluribus Auctoribus nondum plenè explicantur. 2. Paſchalis Latinorum Cyclus annorum* CXII. *à S. Hippolyto adinventus, à Victorio memoratur, & in hac baſi, ex antiquis ruderibus effoſſa in agro Verano anno Chriſti* 1551., *inciſus conſpicitur. 3. Idem Canon præclaro commentario illuſtratur à R. P. Bucherio. 4. Canonis conſpectus, & partitio duplicem in laterculum.*

CAPUT SECUNDUM.

Syſtema Paſchalis Periodi, à S. Hippolyto productæ, mira facilitate extenditur, tum ad annos CXII., tum ad alias annorum ſummas.

SUMMA CAPITIS.

1. *Cyclus S. Hippolyti poſt annos Julianos* CXII. *inſtaurare non contendit motus medios Luniſolares eadem Feria, &*

eadem

eadem die anni civilis; ſed Feriam Lunationis inſtauratæ mutari poſtulat in aliam adhærentem, diem verò in octiduum proximum. 2. Literæ Cycli Cæſaris hanc octidui præceſſionem aptiſſimè indicant. 3. Cyclus Hippolyteus multis nominibus Latinis acceptus ex connexione facili cum Cyclo Juliano, cum Olympiadibus, & Octaeteridibus, ætate S. Hippolyti uſurpatis. 4. Periodus minor ejuſdem Cycli annorum CXII. *cum mediis Lunæ motibus mirificè conſentit. Septem periodi minores annorum* CXII. *conſtituunt majorem periodum annorum* 784.: *quæ Lunæ phaſes inſtaurat. Hæc vero Periodus major quater evoluta, ſi minor illi adiiciatur, componet Periodum maximam annorum* 3248.: *quæ conſenſum Lunaris motus conſtanter ſervat. 5. Acceſſio Cycli per Octaeteridas diſtributi ad civilem rationem temporum, à Græcis & Romanis uſurpatam, ex eorundem annis magnis, ac ſæcularibus illuſtratur. 6. S. Hippolytus dum Cyclum Cæſaris convertit ad Chriſtianos uſus, Chronologiæ tum præteritæ tum futuræ ætatis proſpexit.*

CAPUT TERTIUM.

Exponitur prior laterculus Canonis Hippolytei, complexus Chronologiam Sacram Veteris, & Novi Teſtamenti, à primo Paſchate Moſis ad ultimum Dominicæ Paſſionis.

SUMMA CAPITIS.

1. *S. Hippolytus in hoc priori laterculo duo præſtitit, quæ ſunt* Syſtema, & Uſus *ſui Cycli. 2. Syſtema reſpicit Periodos tres, minorem annorum* 112., *majorem annorum* 784., *& maximam ann.* 3248. *Uſus refertur ad comparationem Lunæ quartædecimæ Paſcalis per annos ſingulos cum hebdomadæ Feria in quam incidit. 3. Et cum die certa*

civilis

civilis anni in Kalendario Juliano aſſignata. 4. Uſus ad expanſionem Chronologicam hiſtoriæ Veteris Teſtamenti à Paſchatis legalis inſtitutione per Moyſen ad ejuſdem implementum per Chriſtum Dominum. 5. Cyclus Hippolyteus contrahi non debet ex hoc ſyſtemate. 6. Indicantur nonnulla quæ perfici debuiſſent in eodem Cyclo. 7. Librorum à S. Hippolyto Scriptorum Catalogus continetur in margine hujus laterculi prioris.

CAPUT QUARTUM.

Explanatio alterius laterculi baſis Hippolyteæ: ejuſq; Cycli cum Cæſariano temperati connexio proponitur: tum oſtenditur methodus eodem utendi ad perfectiorem ordinationem Paſchalium tabularum.

SUMMA CAPITIS.

1. *Conſpectus alterius laterculi baſis, & Cycli, à S. Hippolyto concinnati, in marmore tamen mendosè ſculpti, aliquibus in locis, quæ indicantur. 2. Eorundem locorum emendatio ex plurium Auctorum Sententia. 3. Oſtenditur methodus perficiendi hujus Cycli ad uſum Paſchalem juxta receptam Eccleſiæ conſuetudinem. 4. Cycli Octagrammi Paſchalis paullò ante in lucem editi ſyſtema petitum fuit ex utroque, Cyclo Juliano, & Hippolyteo.*

Additio, & Monitum circa figuras, quæ afferuntur in prima diſſertatione.

Conſtitueram duplici Tabella ærea, graphicè inciſa, complecti nummos quos adhibebam ad illuſtrandas aſſertiones præcipuas primæ diſſertationis. His verò adjunxeram etiam imaginem protomes Capitolinæ, Trajanum referentis cum corona civica, ornata frontali ſcutulo, omninò ſimili antiquis nummis aquilam exhibentibus, nec non eaſdem veteres monetas coronarias (ſic enim interpretamur) anſulis inſtructas, aut foraminibus pervias ad appendendum in ea parte coronæ, quæ fronti mediæ imminebat: quæ omnia olim digeſta in ſecunda tabula, ibidem indicari intelliges pagina 41. Verùm currente rota, ut ajunt, cùm alia veterum numiſmata occurriſſent, quæ à tabula excludenda non erant; conſultum eſſe volui opportunæ acceſſioni tot nobilium monimentorum per tertiam Tabellam: in qua Trajani protomen memoratam, & nummos ad uſum coronarum adhibitos, cùm à ſecunda Tabula ſeparaſſem, ſimul collectos exhibui. Addidi verò etiam coronam lauream, ex ære antiquitùs formatam, quæ loco ſuperſtitioſi ethnicorum nummi, in ſumma fronte appenſi, ibidem oſtenderet Chriſtiani cultûs teſſeram in numiſmate (inter Magnentii monetas frequens occurit) adorandum CHRISTI Nomen complexo per compendioſum literarum X P nexum ☧ religionis noſtræ inſtitutoribus familiarem. Ut verò monetis, ac figuris, hujuſmodi acceſſionem adjeci; ita etiam Auctorum teſtimoniis, in diſſertatione productis, ſequentem Herodiani locum ne graveris, Lector, apponere. Plurimum enim confert ad ea comprobanda, quæ de uſu numiſmatum ad ſignificandas annorum periodos, & Feſta Ethnicorum, leges, capite præſertim quinto, numeris 2. 6. 7. & 8. Vide paginam 44., & ſequentes: ubi etiam addes Herodiani verba ex Libro primo cap. 16. ita Latinè reddita ab Angelo Politiano. *Ceterum ipſum quoque* (Commodum) *deſinere aliquando ab ſua vecordia, & civitatem tyrannide liberari oportebat; idque anno ineunte, quem diem Romani feſtum agunt, ad* IANVM *vetuſtiſſimum Italiæ deum referentes: cujus etiam* SATVRNVM *ipſum ab Jove filio pulſum, cùm in terram deſcendiſſet, fuiſſe hoſpitem prædicant: & quòd ibi latuiſſet, fuiſſe nomen Latio inditum. Quocirca etiam nunc Romani more ſuo concelebrant. Eſtque ejus dei biceps imago*, VT A QVO INCIPIT, ET IN QVEM DESINIT ANNVS. Manifeſtè id referendum eſt ad annum Solarem, à Kalendis Januarii apud Romanos exordientem, & ad Lunaris terminum, incidentem in poſtremum diem Saturnaliorum, hoc eſt in diem 354. ab eo principio numeratam, uti relatum à me videbis pag. *61.* & *62.* Sequitur Herodianus. *Quum igitur hunc diem feſtum civitas agitaret* (Kalendis Januarii) *in quo potiſſimum Romani invicem ſe colunt*, ET NVMISMATA ALTER ALTERI, *ceteraque omnifariam munera* MISSITANT &c.

IMPRIMATUR.

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

Dominicus de Zaulis Epiſcopus Verulanus Viceſg.

IMPRIMATUR.

Fr. Paulinus Bernardinius Ordinis Prædicatorum Sac. Apoſt. Palatii Magiſter.

DISSERTATIO PRIMA DE KALENDARIO *ET* CYCLO CAESARIS.

CAPUT PRIMUM.

De Cyclo duplici, Juliano, & Hippolyteo, ejuſque uſu ad Paſchales rationes illuſtrandas, ac perficiendas.

SUMMA CAPITIS PRIMI.

1 *Annus Romanorum Lunaris, à Numa inſtitutus, à Cæſare convertitur in Solarem, habitis tamen ad Lunam quoque dimenſionibus, ſeu Cyclo Lunari in eundem inſerto.* 2. *Auctores aliqui tradunt, Eccleſiam Latinam ante Nicænam Synodum uſam fuiſſe Cyclo Cæſaris Luniſolari.* 3. *Eccleſia omnes Cyclos conſulere conſuevit, ut ex iis eligeret præſtantiſſimum ad Paſchatis Chriſtiani regulas conſtituendas.* 4. *Proponuntur duo Cycli Lunares, Julianus, & Hippolyteus, duplici diſſertatione explicandi.* 5. *Primæ diſſertationis argumentum eſt Cyclus Cæſaris Dictatoris, in ejuſdem Kalendario detectus: unde nos poſſumus, exemplo S. Hippolyti plura mutuari ad Paſchales tabulas ordinandas.*

1 ANNUM civilem, qui Lunaris antea uſurpabatur apud Romanos veteri Numæ inſtituto, aptatum fuiſſe à Cæſare Dictatore ad numerum Solis, qui diebus 365. & quadrante ferme pleno curſum conficit, tum ab hiſtoricis Latinis, tum ab experimento vulgaris Chronologiæ, ejuſque methodo intercalandæ diei biſſextilis, palam tenemus. Non omnibus tamen perinde liquet, ad Lunæ rationes fuiſſe pariter caſtigatum anni civilis modum ejuſdem Cæſaris curâ, & in foro propoſitum per edictum; ut Macrobius apertè narrat; licet plerique Chronologorum id minimè animadverterint. Macrob. Saturnal. cap. 14. lib. 1. *Annum*, inquit, *civilem Cæſar, habitis ad Lunam dimenſioni-*

bus conſtitutum, edicto palam propoſito publicauit . Addidit cauſam Eminentiſſimus Cardinalis Noriſius ſub initium diſſertationis de Paſchali Latinorum Cyclo, ubi hæc perſcripſit. *Cum Julius Cæſar Dictator* III.*anno Urbis conditæ* DCCVIII. *annos, hactenùs apud Romanos Lunares, eoſque incuriâ Pontificum luxatos, in Solares commutaſſet, neutiquam ita Lunares antiquavit, ut nullus deinceps illorum in Urbe uſus eſſet reliquus: cùm optimè noſſet, pleraque, quæ civiliter aguntur, à variis Lunæ motibus dependere. Nam Kalendis Januariis annum primum Julianum aperientibus, qui fuit à Parilibus V.C. 709. eodem Imp. Cæſare Coſ.IV. ante Æram Chriſti 45.accidit Novilunium, uti ſupputat Paulus Middelburgenſis lib.2. Paulinæ hor.7. 6. 35.poſt merid., ſive juxta calculos Stoefleri prop.34. lit. Ii. hor.6. m.44.ſec.55. ita ut ab eadem die Kalendarum Januarii tum Solaris anni tunc inſtituti, tum etiam Lunaris antiquitùs ſervati, unà ſimul exordium duceretur. Nam Lunaris motus ratio majorum traditione habebatur in agro ſerendo, in curandis corporibus, in navigando, aliiſque ejuſmodi popularibus actionibus obeundis, in quas Luna modò aucta, modò decreſcens, diverſimodè influere hominum opinione credebatur. Præterea quædam etiam ſacrificia Romæ juxta annos Lunares inſtaurata produnt inſcripti lapides, quos ſcitè exponit* Langius lib.1. *de annis Chriſti cap.* 12. Ad plures itaque uſus vitæ, reique in primis agrariæ, & ſacrificiorum, quæ fuerant inſtauranda ad certos Lunares motus, edidiſſe Cæſarem anni ſui parapegma, habitis ad Lunam dimenſionibus, Macrobius affirmavit. Lunarem igitur Cyclum in eo contineri neceſſe fuerat: quo prætermiſſo, nullæ apparuiſſent in edicto palam poſito ad Lunam habitæ dimenſiones.

2 Certè Stoeflerinus in ſuo Kalendario Romano propoſitione 34. litera Z., Cyclum Lunarem Cæſaris ita ſupponit, ut eodem Cyclo uſam fuiſſe affirmet Eccleſiam Latinam ante decreta Nicænæ Synodi. Stoeflerino præiverat in ſua Paulina Epiſcopus Foroſempronienſis lib.2. idem ſentire aſſeverans: quod etiam lubenter admiſit P. Clavius in explic. Kalen. cap.4. num.6. Profectò Paulus Middelburgenſis opinatur, Cyclum Lunarem Cæſaris imitatum fuiſſe Aureos numeros Alexandrinorum: hoc præſertim ſuggerente Soſigene Mathematico, eadem è Civitate accito: cui totiùs rei curam ita legimus demandatam; ut ipſius fermè arbitratu tota ordinationis ratio peracta per Cæſarem videatur. Ait enim Plinius, trinis commentationibus ſe ipſum correxiſſe Soſigenem: eodemque in conſilium adhibito, quartæ Chronographorum ſectæ fuiſſe Julium auctorem. *Tres autem*, inquit, *fuere ſectæ, Chal-*

Plinius lib.18.c.25.

dæa,

dæa, *Ægyptia*, *Græca*. *His addidit apud nos quartam Cæſar Dictator*, *annos ad Solis curſum redigens ſingulos*; *Soſigene perito ſcientiæ ejus adhibito*. Tum paucis interpoſitis: *Et Soſigenes ipſe trinis commentationibus*, *quanquam diligentior eſſet ceteris*, *non ceſſavit tamen addubitare*, *ipſe ſemet corrigendo*. Hæc Plinii verba, ni fallor, videntur innuere, Cyclum, à Cæſare conſtitutum, diverſum potiùs habendum ab aureis numeris Alexandrinorum: quartâ ſcilicet ſectâ repertâ, cujus eſſet ordinatio diverſa à Chaldæis, Ægyptiis, & Græcis parapegmatibus. Quare omnium caſtigatiſſimè loquutus Eminentiſſimus Noriſius, abſtinuit à decernendo, num ante Heccædecaeteridem Hippolyti Latina Eccleſia indagaret neomeniam Paſchalem ex phaſi, vel ex Cyclo. *Haud*, inquit, *vacat hìc curioſiùs inquirere*, *num Latina Eccleſia tribus prioribus Chriſti ſæculis neomeniam Paſchalem ex Lunari phaſe*, *vel quopiam fortaſſis Cyclo indagaverit*. *Res enim planè incomperta eſt*; *nec juvat ſine vetuſtis tabulis*, *conjecturis plerumque fallacibus indulgere*. *Equidem S. Dionyſius Patriarcha Alexandrinus*, *qui Gallieno imperante floruit*, *octaeteride uſus fuit*, *teſte Euſebio lib.7. hiſt. Eccleſiæ cap.15*. *Eandem geminatam adhibuit Hippolytus Martyr*. *Verùm ſub ipſam ferè Nicænam Synodum*, *Latinam Eccleſiam ope Cycli annorum* LXXXIV. *neomenias Paſchales indixiſſe vetuſti Scriptores conteſtantur*. Card.Noriſ. vbi ſupra.

Utcumque ſe res habuerit: ſive Juliano Cyclo, ſive phaſi, ſive alio quopiam indicio, ac ſyſtemate Paſchali uſa fuerit Eccleſia Latina ante Nicænam Synodum; hac etiam quæſtione dimiſſa, conſtat ex auctoritate Macrobii, annum civilem Cæſaris Dictatoris, palam poſitum in edicto, non tantùm ex curſu Solis, verùm & Lunæ ex dimenſionibus fuiſſe ordinatum.

3 Nec minùs compertum eſt, ut eruditi demonſtrarunt, voluiſſe Eccleſiam conſulere peritiorum nationum Cyclos, quando ex iis præſtantiſſimum legere inſtituit, quem in rem Paſchalem imitatione transferret. *Quod ad Cyclum Lunarem attinet* (ait P. Clavius) *imitatur Eccleſia ea in re*, *non ſolùm Hebræos*, *Alexandrinos*, *& Romanos*, *verùm etiam Chaldæos*, *Arabes*, *Athenienſes*, *& omnium ferè ætatum populos*: *qui omnes ad Novilunia perſpicienda Cyclis Lunaribus multo tempore ante Chriſti adventum*, *ac poſt uſi ſunt*, *quos omnes Paulus Middelburgenſis lib.2. Paulinæ explicat*. P.Clavius expl.Kalend.cap.4.nu.5. Neque aliter ſcripſerat ad Marcianum Auguſtum S. Leo Magnus, cùm vbique gentium conquireret expertos in re Aſtronomica; ut collatis uniuerſorum ſtudiis probabiliùs quidpiam ſtatueretur. S. Leo PP.I. Epiſt. LXIV. ad Marcianum Auguſtũ.

4 Quæ cùm ità ſint; minimè alienum videri debet ab inſtitutis Virorum in Paſchali Chronologia ſummopere præſtantium,

 imò

Imò & ab Eccleſiæ conſilio; ſi duos antiquorum Cyclos Lunares in medium proferam, Cæſaris Dictatoris, & S. Hippolyti: quorum exẽplaria vetuſtis marmoribus inciſa ſuperiores ætates quum offendiſſent, habuere nihilominus incomperta: licet excitarentur exemplo Pauli Middelburgenſis ad verſandos diligentiùs canones Græcorum, ac Latinorum. Nam Cæſaris Cyclus plurium inſcriptionum fragmentis impreſſus tum ipſum latuit Paulum, tum omnes ferme interpretes fugit; Paſchalis verò Canon Hippolyti, è ruderibus egeſtus poſteaquam vita exceſſerat idem Epiſcopus Foroſempronienſis, Doctorum quidem hominum commentariis illuſtratus fuit; potiori tamen parte adhuc lucem deſiderat, ut altera diſſertatione oſtendemus. Utrumque lapidem movit potiùs, quàm promovit Scaliger, Cyclum Hippolyti puerilem vocans; Julianum verò ne attingens quidem; dum Kalendario immoratus, pro Nundinalibus literis habuit eas, quæ mihi videntur ad Lunares numeros pertinere. Proximi à Scaligero Scriptores Julianum nec perviderunt; Hippolyteum habuere benigniùs. Bucherius enim, Auctor commendatiſſimus, dignum cenſuit, quem notis uberioribus illuſtraret. Denique nuperrimus Luniſolaris Chronologiæ enarrator Dodvellus de antiquis Græcorum, ac Latinorum Cyclis juſtum volumen edidit, plurima eruditione refertum; ſed metam ſcribendi ſtatuens ante Cæſarem Dictatorem, neque ad illius, neque ad Hippolyti canonem perduxit ſuos commentarios.

5 Utriuſque igitur marmoris periodos intactas ferè cùm reſervaverint ætati noſtræ ſtudia ſuperiorum, adjeci lubenter animum ad earundem methodum inveſtigandam, & proponendas utilitates. Ab utroque enim Cyclo commoda non aſpernanda colligi poſſe mihi videntur; præcipuè ſi illorum ſyſtema ad communem Epactarum methodum aptari, & inflecti valeat. Et certè tum à Juliano octo literarum compendia, tum ab Hippolyteo quartædecimæ Paſchalis ordinem facilitate maxima, nec minori veritate computi mutuari nos poſſe crediderim. Peculiari commentario id tentavi. Huic verò lucubrationi ſervandas eſſe duxi meditationes, quæ ad Lunares Cyclos S. Hippolyti, ac Julii Cæſaris pertinent. A Juliano tamen exordiendum erit, utpote ab antiquiori, unde & S. Hippolytus videtur aliqua deſumpſiſſe.

CAPUT

COL... VALERI ... RIMAV ... ILII

EXPOLIENDVM ET PINGENDVM ... NTO

TABVLIS PICTIS ET M ... I AST ... LIBERT

COM ... E S

A K IAN F	H K FEB N	D K MAR NP	C K APR	A K MAI	H K IVN N	F K IVL N	E K AVG	D K SEP	B K OCT N	A K NOV	G K DEC
B F	A N	E F	D C	B	A F	G N	F N HOC DIE	E N	C F	B F	H
C C	B N	F C	E C	C	B C	H N	G C VICIT	F NP	D C	C F	A
D C	C N	G C	F C LVDI MATR MAG	D EN	C C	A NP	H C	G C LVDI ROMANI	E C	D	B
E NON F	D NON	H C	G NON LVD	E C	D NON	B POPLIF N	A NON F	H NON F LVD	F C	E NON	C NON
F F	E N	A N HOC DIE CAESAR PONTIF MAXIM FACT EST	H NP LVDI	F C	E N	C N LVDI APOLLIN	B F	A F LVDI	G C	F F LVDI	D
G C	F N	B NON F	A N LVDI	G NON N	F N	D NON N LVDI	C C	B C LVDI	H NON F LVD	G C LVDI	E C
H C	G N	C F	B N LVDI	H F	G N MENTI IN CAPIT	E N LVDI	D C	C C LVDI	A F	H C LVDI	F C
A AGON	H N	D C	C N LVDI	A LEM N	H VEST N FER VESTAE	F N LVDI	E NP HOC DIE CAESAR HISPAL VIC	D C LVDI	B C	A C LVDI	G C
B EN	A N	E C	D N LVDI IN CIRC	B C	A N	G C LVDI	F C	E C LVDI	C C	B C LVDI	H C
C CARNP	B N	F C	E N	C LEM N	B MATR N	H C LVDI	G C	F C LVDI	D MEDIT R	C C LVDI	A AGON NP
D C	C N	G C	F N LVDI CERERI	D NP LVD MART IN CIRC	C N	A NP LVDI	H C	G N LVDI	E AVGVST NP	D C LVDI	B EN
E EID NP	D EID NP	H EN	G EID NP	E LEM N	D EID NP	B C LVD IN CIR	A EID NP	H EID NP	F FONT NP	E EID NP EPVL INDICT	C EID NP
F EN DIES VITIOS EX S C	E N	A EQ NP	H N LVDI	F C	E N	C C MERK	B F	A F EQVOR PROB	G EN	F F EQVOR PROB	D F
G CAR	F LVPER NP	B EID NP	A FORD NP LVD	G EID NP	F Q ST D F	D EID NP MERK	C C	B N LVD ROMIN CIRC	H EID NP	G C LVD PLEB IN CIRC	E CONS NP
H C	G EN	C F	B N LVDI	H F	G C	E F MERK	D C	C C IN CIRC	A F	H C IN CIRC	F C
A C	H QVIR NP	D LIB NP	C N LVDI	A C	H C	F C MERK	E PORT NP	D C IN CIRC	B C	A C IN CIRC	G SAT FERIAE SATVRN
B C	A C	E C	D N LVDI	B C	A C	G C MERK	F C	E C IN CIRC	C C	B C MERK	H C
C C	B C	F QVIN N	E CER N LVD IN CIR	C C	B C	H LVCAR NP MERK	G VIN F P	F C IN CIRC	D ARM NP	C C MERK	A OPAL NP
D C	C C	G C	E N	D C	C C	A C LVD VICT CAESAR	H C	G C MERK	E C	D C MERK	B C
E C	D FERAL F	H C	G PAR NP	E AGON NP	D C	B LVCAR LVD	A CONS NP	H C MERK	F C	E C	C DIV NP
F C	E C	A N	H N	E N	E C	C C LVDI	B EN	A C MERK	G C	F C	D C
G C	F TER NP	B TVBIL NP	A VIN NP	G TVB NP	F C	D NEPT LVDI	C VOLC NP	B NP MER H D AVGVSTINATA	H C	G C	E LAR NP
H C	G REGIF N	C Q REX C F	B C	H Q REX C F	G C	E N LVDI	D C	C C	A C	H C	F C
A C	H C	D C	C ROB NP	A C	H C	F FVRR NP LVD	E OPIC NP	D C	B C	A C	G C
B C	A EN	E C	D F	B C	A C	G C LVDI	F	E C	C C LVD VICT	B C	H C
C C	B EQ NP	F NP HOC DIE CAESAR ALEXAND RECEPIT	E C	C C	B C	H C IN CIRC	G VOLT NP	F C	D C LVDI	C C	A C
D C	C C	G C	F NP LVD FLOR	D C	C C	A C IN CIRC	H NP H D ARA VICTORIAE	G C	E C LVDI	D C	B C
E F		H C	G C LVDI	E C	D F	B C IN CIRC	A F IN CVRIA DEDIC EST	H F	F C LVDI	E F	C F
F N		A C	H C LVDI	F C	E C	C C IN CIRC	B F	A C	G C LVDI	F C	D F
G C		B C		G C		D C	C C		H C LVDI		E C





Henricus Van Schoel excudit

CAPUT SECUNDUM.

Conſpectus & interpretatio Kalendarii Cæſaris in antiquo marmore ſculpti.

SUMMA CAPITIS.

1 *Kalendaria Romanorum in vetuſtis monumentis conſpicua. Ruſticum inciſum in pluribus lapideis baſibus, præcipue Vallenſi & Farneſiana. 2. Civile C. Julii Cæſaris in tabula marmorea olim Card. Maphæi, Auguſti ætate ſculptum, cum octo literis* A B C D E F G H *per dies ſingulos continua ſerie diſtributis. 3. Quas Joſephus Scaliger, aliique Auctores exiſtimarunt fuiſſe indices Nundinarum. 4. Scaligeri hallucinatio in Epocha motus Lunaris ad anni Juliani caput referenda. 5. Eiuſdem Scaligeri interpretatio de literis nundinalibus refellitur. 6. Tabulæ Maphęanæ Cæſaris Kalendario inſcriptæ hiſtoria recenſetur. 7. Illius icon exhibetur, expenditur titulus, & Cyclus Lunaris Octagrammus indicatur, capite ſequenti illiuſtrandus.*

1 REpeti fermè poteſt de Cæſaris, aut Soſigenis Cyclo, quod ſcripſerat Bucherius de Canone S. Hippolyti, nempe futurum fuiſſe, ut omninò intercideret, nec ejus quidquam ſupereſſet præter nomen, niſi opportunè fuiſſet egeſtum è ruderibus Urbis vetus Kalendarium, diligentiâ ejus Sæculi, cui non Romana modò monumenta, ſed quidquid literarum ubique eſt, aut erit impoſterum, gratias debebit immortales. Præter illa enim fragmenta, quæ Romæ in Monte Exquilino, & apud Venuſinos in Apulia viſebantur, à Mazochio edita, necnon præter Kalendaria ruſtica, compendioſiùs collecta in duplici baſe, quarum una ſuperſtes hodie aſſervatur in Palatio Farneſiano ad Campum Floræ; alterum quoque Hemerologium, in dies ſingulos explicatum à Kalendis Januarii ad diem anni ſupremam, Carolus Sigonius publici juris fecit: cui deinde Raphael Cyllenius, & Paulus Manutius novi interpretes acceſſerunt. Rem totam deſcribit Fabricius antiquitatum Romanarum libro tertio, ſcitè diſtinguens Kalendarium triplex, ſcilicet ruſticum, quod erat primum, in batibus Vallenſi, & Colotiana, nunc verò Farneſiana, per columnas duodecim, ſingulis menſibus aſſignatas, ità diſpoſitum.

Gruter pag. CCLXVI. & CCLXX.

Mazochius pag. CCLXVI. & CCLXX.

Georgius Fabricius editus Baſilicæ typis Oporianis 1587. pag. 167.

Vide Fulvium Vrſinū notis ad Columellam pag. 394. & Boiſſard. ant. Vrb. p.III. pag.140. Gruterum theſauri fol. CXXXVIII.

In Farneſ. ſeu Colotiana.

MENSIS
IANVAR
DIES XXXI
NON. QVINT
DIES HOR. VIIIIS
NOX HOR. XIIIIS
SOL
CAPRICORNO
TVTELA
IVNONIS
AQVITVR
SALIX
HARVNDO
CAEDITVR
SACRIFICANT
DIS
PENATIBVS.

In Vallenſi.

MES IAN
DIES XXXI
NON QVINT
DIES HOR
VIIII S
NOX HOR
XV S
SOL CAPRICORNO
TVTELA
IVNONIS
PALVS
AQVITVR
HARVNDO
CAEDITVR
SACRIFIC
DIIS
PENATIB.

2 Alterum verò Kalendarium, de quo hìc agendum eſt, pluribus in locis tàm Romæ, quàm in Coloniis, affixum fuiſſe comperimus. Nam ejus fragmentum unum in Urbe erutum paucis annis ante editionem Gruteri, nempe circa finem ſæculi XVI., teſtatur ipſe ſub colle Hortulorum delituiſſe; aliud in ædibus Capranicorum huic non diſſimile; tertium ad S. Martinæ (ſeu potius ad S. Martini) in Exquiliis; quartum apud Fulvium Urſinum idem Gruterus deſcribit; aliud Præneſte; aliud Venuſii reperiebatur. Univerſa hæc fragmenta pertinent ad ſpeciem alteram Kalendarii, ſecundo loco nominatam à Fabricio: cujus etiam tabula integra egeſta fuit, & à nobis modò proponitur explicanda. Integram dixi, quòd univerſam dierum ſeriem exhiberet. Cæterum tituli pars potiſſima, temporum injuria corrupta, deſiderabatur etiam ſcribente Grutero, cùm Paulus Manutius integram edidiſſet. Ætatem Auguſti præſeferre minimè dubium fuit ex geſtis ejuſdem Principis, & C. Cæſaris Dictatoris, ibidem adnotatis. Adſcriptum enim erat ad pridie nonas Maii, HOC DIE CAESAR PONTIF. MAXIM. FACT. EST. Ad VI. Kal. Aprilis, HOC DIE CAESAR ALEXANDRIAM RECEPIT. Ad diem IV. Nonas Aug. HOC DIE C. CAESAR HISP. VICIT. Ad V. Eidus Auguſti, HOC DIE CAESAR HISPAL. VICIT. Et ad VIII. Kal. Octobris H. D. AVGVSTI NATALIS. Diebus ſingulis erat appoſita nomenclatura, *Faſti*, *Nefaſti*, *Nefaſti primò*, *aut Comitialis* per literas

Gruter. CXXXIV. CXXXV. CXXXVI.

Mazoch.

Vide Pauli Manutii Orthograph. pag. 209. Gruter pag. CXXXIII.

ras F., N., NP., &c.: quas ante literas octo elementa prima ab A. ad H. ità erant ordine conſtituta, ut Kalendis Januarii tribueretur A.; ſequentibus proximè diebus ſeptem B., C., D., E., F., G., H.: deindè repetita ſerie à die 9. ad 16. iterum A., B., C. &c. inſtaurarentur eædem octo literæ, non ſecus, ac noſtro in Kalendario diſponuntur ſeptem Dominicales.

3 Joſephus Scaliger de emendatione temporum lib.4. pag.232. exemplum protulit ejus hemerologii, emendati ab Auguſto, & hoc in marmore inſculpti: ubi literas illas octonas ità interpretatur, ut exiſtimet eſſe indices Nundinarum. *Dies* (inquit pag.234.) *anni Juliani, ut vides in exemplari, notati ſunt per octonarios uſque ad literam H.: quia Romanorum ogdoas in tributione dierum ſervabatur propter Nundinas, ut apud Judæos hebdomas propter Sabbatum, à quibus nos didicimus. Nam poſt tempora Theodoſii, imò à temporibus tantùm Dionyſii Exigui Kalendaria Romana in hebdomadas tributa, & Cyclus Lunæ in margine appoſitus, quem Aureum Numerum vocamus, exemplo Kalendarii Alexandrini. Antea nondum Kalendariis Julianis adnotabatur numerus Aureus. Nam planè inventum eſt Chriſtianorum poſt conſeſſum Nicænum. Ut ſatis mirari non poſſim doctos viros, qui aſſeverant, etiam Epactas à Julio in Kalendario ſuo impreſſas. Diceres eos cum Soſigene in conſilium à Dictatore adhibitos; Quid? Nonne Doctiſſimus Mathematicus Germanus ſcribit, ſe apud Baronem Germanum vidiſſe commentarium ampliſſimum in Aureum numerum C. Caeſaris, eumque commentarium in codice vetuſtiſſimo fuiſſe deſcriptum? Adeò peregrinus eſt in harum rerum origine. Ajunt igitur à C. Caeſare Kalendis Januarii unitatem appoſitam: Quia is eſſet primus annus Cycli Lunaris Juliani, quòd in Kal. illas Novilunium concurreret. Sed ne verum quidem, conjunctionem Luminarium fuiſſe in Kal. Januarii primi.*

Hæc ibi Scaliger, auctoritate nimis cenſoria uſus contra eum Mathematicum Germanum, (quem tamen doctiſſimum appellat), dum ejus peregrinitatem demiratur in iſtarum rerum origine. Suſpecta potiùs eſſe debuerat Scaligero præſumpta methodus computandi, quam alterius Mathematici Germani, omnium conſenſu doctiſſimi, nempe Pauli de Middelburgo Epiſcopi Foroſempronienſis, computo planè adverſari noverat in ætate Lunæ ad Julianorum annorum exordium referenda. Eminentiſſimus Cardinalis Noriſius, capite præcedenti à nobis productus, initio diſſertationis *de Paſchali Latinorum Cyclo* judicavit, rectè attribui Novilunium Kalendis Janua-
„ rii, annum pimum Julianum aperientibus, qui fuit à Parili-

„ bus

Paull. de Midd. Paullinæ lib. 2.

„ bus V. C. 709. , eodem Imperatore Caeſare quartùm Conſu-
„ le , ante Æram Chriſti 45. ; cùm in ea diem incidiſſet ſy-
„ nodus Luminarium juxta Middelburgenſis tabulas , hor. 7.
„ m. 6. ſec. 35. poſt meridiem ; ſive juxta calculos Stoefleri pro-
„ poſitione 34. litera Ii. horis 6. m. 44. ſec. 55. : ità ut ab eadem
„ die Kalendarum Januarii cum Solaris anni tunc inſtituti , tum
„ etiam Lunaris antiquitùs ſervati , una ſimul exordium duce-
„ retur . Noſtro ex computo , quem paulò poſt afferemus , eadem hora , paucis admodum minutis variante , ſynodus provenit : & quidem contigit ut verſaretur Luna in primo Anomaliæ ſigno : adeoque veros cum mediis motibus fermè conſereret . Quocirca mirari ſubit , Scaligerum adeò confidenter ſumpſiſſe Novilunii Epocham poſtridie Kalendas ; cum Cęlo teſte, & abacis Aſtronomorum ſuffragantibus, ad diem Kalendarum referenda eſſet Neomenia . Profectò non improbaſſet Doctorum Virorum ſententias , quibus etſi à C. Caeſare minimè adhibitis in conſilium cum Soſigene , ſatis tamen conſtare poterat ex vetuſtis monumentis , ætatem Lunæ fuiſſe Kalendario Dictatoris inſertam . Nam quod pertinet ad Epactas , non quidem inficior , ad quartum Chriſti ſæculum pertinere membranas illas , à Scaligero indicatas , cùm appellaret vetuſtiſſimum Codicem Baronis Germani . Satis enim evidenter oſtenſum eſt Eminentiſſimi Cardinalis Noriſii diſſertatione , poſt Epochas Syromacedonum impreſſa , Faſtos Anonymi (is liber eſt, quem Scaliger indicabat à Barone Germano poſſeſſum , & quem Bucherius memorans ſe excepiſſe anno 1632. à Joanne Brennero dono datum D. Anſovillio , & à Cuſpiniano antea lectum , biennio poſt erudita lucubratione illuſtravit , deindè in Bibliothecam Cæſaream illatum iterum adornavit egregio commentario Petrus Lambecius anno 1671.) evidenter , inquam , oſtenſum eſt , hos Anonymi Faſtos ætatem Lunæ referre Epactalibus numeris conſignatam . In eodem verò codice vetus Kalendarium conſpicitur , editum ſub Conſtantio Imperatore , Magni Conſtantini filio circa annum Chriſti 354. , uti Bucherius animadvertit : in quo diebus ſingulis aptantur octo literæ A , B , C , D , E, F, G, H, per priorem columnam , prout in marmoreo Auguſti Kalendario : præterea etiam adſcriptæ ſunt literæ ſeptem Dominicales A , B , C , D , E , F , G in columna proxima , uti exemplum declarat in margine hìc apponendum. De prioribus octo elementis nihil à Scaligero diverſum ſtatuit Bucherius . Illa enim habenda eſſe cenſet loco indicis Nundinarum . *Literæ , inquit , proximè adhærentes* (ſeptem Dominicalibus) *Octonariæ , aut incluſo utroque extremo Novenariæ , veterum Romanorum Nundinales ſunt , ut per ſe patet .*

IANVARIVS
Habet dies xxxj.

A	A	A	Kal. Ian.
	b	b	IV. Non.
	c	c	III.
B	d	d	Prid.
	e	e	Non.
	f	f	VIII. Idus
C	g	g	VII.
	A	h	VI.
	b	A	V.
D	c	b	IV.
	d	c	III.
	e	d	Prid.
E	f	e	Idib.
	g	f	XIX. kal. Feb.
	A	g	XVIII.
F	b	h	XVII.
	c	A	XVI.
	d	b	XV.
G	e	c	XIV.
	f	d	XIII.
	g	e	XII.
H	A	f	XI.
	b	g	X.
	c	h	IX.
I	d	A	VIII.
	e	b	VII.
	f	c	VI.
K	g	d	V.
	A	e	IV.
	b	f	III.
A	c	g	Prid.

5 Ne

5 Ne in Scaligeri, & Bucherii ſententiam pertrahar, evincit Rutilius apud Macrobium Saturnaliorum lib. primo. Cap. XVI., ubi hæc leguntur. *Rutilius ſcribit, Romanos inſtituiſſe Nundinas: ut octo quidem diebus in agris ruſtici opus facerent, nono autem die intermiſſo rure, ad mercatum legeſque accipiendas Romam venirent: & ut ſcita atque conſulta frequentiore populo referrentur, quæ trinundino die propoſita à ſingulis atque univerſis facilè noſcebantur. Unde etiam mos tractus, ut leges trinundino die promulgarentur*. Si ergo diebus *octo* ruſticis erat incumbendum operi agrorum; *nono* autem die intermiſſo rure, ad mercatum convocabantur, & ad promulgandas leges; non video, quî poſſet octonis literis indicari dies Nundinalis; cum *octo* inter utraſque Nundinas deputandi eſſent moræ extra Urbem, & operi ruſtico, ut *nonus* deinde ſtatus dies ad Nundinas celebrandas haberetur. Verùm à juſtis Nundinis Romanorum interponi dies octo ſolidos inter utrumque extremum, evincitur, ſi rectè colligo, ex Ciceronis Epiſtola 12. lib. 2. ad Q. Fratrem. Ibi enim agens Tullius de die Coelio dicta apud Judices, (in qua ſcilicet lex trinundini erat obſervanda, uti Panvinius rectè monuit in Libro de Civitate Romana) diem decimum ei fuiſſe narrat, nempe computatis extremis, atque adeo ſolidis octo interpoſitis inter primum ac decimum. *Decimus*, inquit, *erat Coelio dies. Domitius ad numerum Judices non habuit*. Qua ergo ratione per octonas literas decuriæ iſtæ, aut enneades dierum Nundinalium deſcribi poſſent in Kalendario, prorſus non video. Nos certè, qui divino cultui diem hebdomadæ principem ſacramus, & ſex conſequentes Ferias labori addicimus, ut hebdomadis ordinem inſtauremus, utimur literis ſeptem. Quis itaque neget, Romanorum Nundinas, à nono die nuncupatas, uti addunt ſupra hebdomadam noſtram dies duos, ità etiam totidem literas illorum dierum indices ſupra noſtrum ſeptenarium deſiderare?

Panvin. de Civit. Rom. pag. 290.

Præterea eodem capite Macrobius diſputans, an Feriis accenſendæ eſſent Nundinæ, judicatum quidem refert ex reſponſo Pontificum, à Meſſala conſultorum, necnon ex Trebatii ſententia libro primo Religionum, eximendas à Feriis, & permiſſum olim fuiſſe die Nundinali tria verba fari. Verùm ibidem ſubdit, contrarium ſtatui à Julio Cæſare decimoſexto auſpiciorum libro: *in quo negat, Nundinis concionem advocari poſſe*, ideſt cum populo agi: *ideoque Nundinis Romanorum haberi comitia non poſſe*. Denique idem Macrobius auctor eſt, mali ominis cauſſa cautum fuiſſe, ne in certos anni dies inciderent Nundinæ, quos ipſe ità deſignat. *Cùm ſæpe eveniret,*

Macrob. lib. primo cap. 13.

ut

ut Nundinæ modò in anni principem diem, modo in Nonas caderent: utrumque autem pernicioſum reipublicæ putabatur: remedium, quo hoc averteretur, excogitatum eſt. Quod aperiemus, ſi prius oſtenderimus, cur Nundinæ vel primis Kalendis, vel Nonis omnibus cavebantur. Nam quoties incipiente anno, dies cæpit, qui adjectus eſt Nundinis: omnis ille annus infauſtis caſibus luctuoſus fuit: maximèque Lepidiano tumultu opinio iſta firmata eſt.

Nonis autem conventus univerſæ multitudinis vitandus exiſtimabatur: quoniam Populus Romanus, exactis etiam Regibus, diem hunc Nonarum maximè celebrabat, quem natalem Ser. Tullii exiſtimabat. Quia cùm incertum eſſet, quo menſe Servius Tullius natus eſſet: Nonis tamen natum eſſe conſtaret: omnes Nonas celebri lætitia frequentabant. Veritos ergo qui diebus præerant, ne quid Nundinis collecta Univerſitas ob Regis deſiderium novaret: caviſſe, ut Nonæ à Nundinis ſegregarentur. Unde dies ille, quo abundare annum diximus, eorum eſt permiſſus arbitrio, qui Faſtis præerant: ut, cum vellent, intercalarent: dummodo eum in medio Terminaliorum, vel menſis intercalaris ita locarent, ut à ſuſpecto die celebritatem averterent Nundinarum.

Fac igitur, ut C. Cæſar, vel Auguſtus hocce in Kalendario deſcribere voluerint dies Nundinales. Nulla ex his octo literis ſegregat Nonas à Nundinis, nulla cavet. Oſtendam infra Cap. VI. quæ ratio Nundinarum haberi poſſit, ſalvis Macrobii regulis, in hoc Auguſti Kalendario, quod explicamus. Interea hujuſce marmoris hemerologi hiſtoria eſt afferenda, ut de octo literarum inciſione ad Lunæ Cyclum, uti nos conjicimus, inſerendum, idonea documenta afferamus.

6 Georgius Fabricius antiquitatum Romanarum lib. 3. Baſileæ cuſo, Typis Oporianis anno 1587., tria vetuſta marmora indicavit, Kalendario inſcripta. Primum, pag. 167. relatum, extat hodie in ædibus Farneſianis; antea editum à Mazzochio pag. CCLXVI., & CCLXX. in ædibus Nob. de Valle, deinde à Grutero fol. CXXXVIII., & CXXXIX. De hoc non eſt quod loquamur, cùm elementa illa octonaria non contineat, neque exhibeat dies ſingulos juxta menſium ſeriem expanſos.

Fabric. antiq. Rom. lib. 3. pag. 167.

Alterum Kalendarium narrat Fabricius editum à Carolo Sigonio, renovatum à Raphaele Cyllenio, expoſitum à Paulo Manutio. Ejuſdem verò partem collatam aſſerit cum fragmento Montis Exquilini, & cum Venuſino in Apulia reperto: quæ mihi videre nondum contigit à Mazzochio edita, ut ipſe affirmat. Coniicio tamen habenda eſſe duo illa, quæ Grute-

rus

rus protulit folio CXXXIV., & CXXXV.; primum in ædibus Capranicorum; alterum ad S. Martini in Montibus, ſive in Exquiliis. Utrumque verò octonis literis dies diſcriminat. Nec diſſimile fragmentum tertio loco Gruterus numerat, effoſſum Romæ ſub colle Hortulorum. Omnium tamen integerrimum erat his præmiſſum in opere Gruteriano, & apud Cardinalem Maphæum extans ante annos centum. Hujus iconem æreis Typis expreſſam videre eſt inter collectanea Romanarum antiquitatum ex Antonii Lafrerii officina excuſam ab Henrico Vanſchoel, ſervatam verò ad noſtra tempora cum pluribus Urbis monumentis apud Io: Dominicum de Rubeis, optimè de Romana re meritum imaginum elegantia ac nitore, quibus arcus, columnas, ædes, ſigna, tabulas, anaglypha, omnem denique ſuppellectilem eruditæ vetuſtatis ab interitu vindicavit.

7 Illius ectypum hìc inſerendum curavi; propterea quòd fragmentum tituli retineat, unde Cæſariani Cycli methodus, non obſcurè colligitur. Quemadmodum enim Alexandrini, aliarumque Civitatum Aſtronomi, publico parapegmate Novilunia conſignaturi, Aureo Numero diſtinxerunt dies undeviginti, in quos juxta Metonis inventum incidere poterant ſynodi luminarium ſingulis menſibus anni civilis; ità ex titulo apparet, Kalendarii hujus notas coloribus fuiſſe variatas, ut picturæ adjumento ſimile quidpiam conſequerentur Romani in neomeniis hac ex tabula numerandis. Dictiones mutilæ in reliquiis tituli ſuperſtites hæ fermè leguntur.

Theonis notæ in Arati Phænomena verſ. 20.

. . . . . . COL . . . . .

VALERI . . . . RIMAV . . . . ILII . .

EXPOLIENDVM ET PINGENDVM . . . . NTO . .

TABVLIS PICTIS ET M . . . . IAST . . . . LIBERT .

COM . . . . E . . . S . . . .

Verba illa *pingendum*, & *tabulis pictis*, in eam ſuſpicionem me pertraxerunt, ut crederem, variatis coloribus octo literarum poſſe Cyclum aliquem hoc in Kalendario deprehendi. Neque ſpem conjectura fefellit. Nam, ut ſequenti capite oſtendam, per quatuor diſtincta colorum genera, literis illis adhibita, res tota feliciter abſolvitur. Interea non erit inutile animadvertere, Gruterum quoque in editione hujus tabulæ memoraſſe titulum, majuſculis characteribus inciſum, licet minimè neceſſarium duceret eundem exprimere, quòd eſſet mutilus. Nam folio CXXXIII. ita hoc marmor deſignat. *Romæ Tabula marmorea, Faſtos Kalendares, quales Cn. Flavius publicaſſe,*

caſſe,

caſſe, ac populo Romano tradidiſſe creditur, qualeſque Ovidius XII. *libris deſcripſit, continens, apud Cardinalem Maphæum.* In angulo verò hujus tabulæ,ubi fragmentum deſideratur circa initium Decembris, lacunam his verbis implet. *Hæc particula tota deſideratur, quemadmodum & titulus ſuperior, majuſculis ſcriptus, cujus tantùm fragmenta ſuperſunt.*

CAPUT TERTIUM.

Ratio, aut ſyſtema Cycli Lunaris Octagrammi, in Kalendario Cęſaris per *Literas octo* & *colorum* genera *quatuor* deſcribendi.

SUMMA CAPITIS.

1 *C. Julius Cæſar in anni ordinatione quartam ſectam, à Chaldæis, Ægyptiis, & Græcis rationibus diverſam propoſuit.* 2. *Hanc in Lunæ Cyclo videntur indicare octo Literæ* A B C D E F G H *in Kalendario conſignatæ, ſi coloribus quatuor diſtinguantur.* 3. *Ratio Cycli Lunaris ab hiſce literis collecti, & cum enneadecaeteride Metonica, & Alexandrina comparati, per dieteridas ſive biennia procedens ſerie literarum & colorum continuâ.* 4. *Facilitas numerationis ætatis Lunæ, Olympiadum, & Octaeteridum ex* quatuor *illis* colorum *generibus, &* octo literis. 5. *Ætas Lunaris, ad quatuor anni cardines conſignata in parapegmate Juliano, plurium nationum uſibus ſerviebat, ut ſequenti capite fuſiùs exponitur.* 6. *Reductio Cycli Octagrammi* C. *Julii Cæſaris ad Aureum numerum per enneadecaeteridas inſtauratum.* 7. *Apta diſpoſitio Cycli hujus Octagrammi ad rectè conſignandam ætatem Lunæ ex uſu civili demonſtratur per motus Lunares, & per Eclipſes ab Aſtronomis obſervatas & relatas ab hiſtoricis Romanis.* 8. *Harmonia ejuſdem Cycli cum motibus mediis.*

1 OCtonis literis Kalendarii Juliani deſcriptam fortaſſe aliquis crederet octaeteridem Eudoxi, ſive ab ipſo adinventam, ſive à Cleoſtrato, & ab aliis aliter temperatam: quam Cenſorinus admonuit habitam fuiſſe à pleraque Græcia verum annum magnum, quòd ex annis vertentibus ſolidis conſtaret: prout à Chaldæis dodecaeteris uſurpata ex annis ver-

Cenſorin. de die Nat. cap. 18. Vide infra cap. num.

vertentibus duodecim, anni Chaldaici nomen obtinuit: quem Genethliaci, non ad Solis Lunæque curſus, ſed ad obſervationes alias habent accommodatum. Quibus ut addiderimus Metonis Cyclum, ab Alexandrinis receptum, annorum undeviginti; tres illæ ſectæ Aſtronomorum, ſive Chronologorum declarantur, à Plinio numeratæ in anni modo conſtituendo. Verùm & quartam à ſuperioribus illis diverſam, licet ex iiſdem fortaſſe temperatam in Cæſaris, ac Soſigenis tabula, disertè monebamus ex eodem Plinio, per nos producto cap. primo. *Tres autem*, inquit, *fuere ſectæ, Chaldæa, Ægyptia, Græca. His addidit apud nos quartam Cæſar Dictator, annos ad Solis curſum redigens ſingulos, Soſigene perito ſcientiæ ejus adhibito.* Plin.lib.18.cap.25.

2 Hanc ipſam methodum Cycli Luniſolaris, hoc eſt periodum anni magni, diverſam à Chaldæa, Ægyptia, & Græca, nec tamen ab iis alienam, quam demonſtraturus ſum, complexum fuiſſe Cæſarem in ſuo Cyclo, hanc, inquam, methodum Luniſolarem ſervari intelligo in literis illis octonariis A B C D E F G H, ſi quatuor colorum generibus diſtinguantur Ogdoades proximæ Kalendis Januarii, & Sextilis, nempe Solſtitiis, Brumali ac Æſtivo, necnon Ogdoades proximiores utrique Æquinoctio, quod retulit Cæſar ad VIII. Kalendas Aprilis, & ad VIII. Kalendas Octobris (motum Solis medium ſequutus) uti legimus in Kalendario ruſtico Palatii Farneſiani, olim edito à Mazochio, Fabricio, Grutero Theſauri foliis CXXXVIII., & CXXXIX., aliiſque Epigrammatum collectoribus. Ogdoas itaque princeps à Kalendis ad VIII. diem Januarii, literis A B C D E F G H inſignita, *albo* colore notetur. Subſequentis octonarii color ſit *praſinus* ex die 9. ad 16. Januarii. Tertiæ Ogdoadis pictura ſit *ruſſata* à die 17. ad 24. Quartam verò color *venetus* habeat ex die 25. Januarii ad Kalendas Februarii. Dies autem hi doctrinæ cauſsâ diſponi poterunt in columna, quæ *tempeſtatem hybernam* refert. Simili planè modo ex die 30. Martii, qua litera A occurrit proximè poſt Æquinoctium vernum, cum ſeptem vicinis literis pertinentibus ad Ogdoadem primam ex vernis, colore ſit *albo* uſque ad 6. Aprilis: hinc ad 14. *praſinis* octo literis locum faciet: tum ſubſequentur totidem *ruſſatæ* ad 22.: & *venetæ* ad 30. menſis ejuſdem. Hæc verò columna ſecunda quatuor Ogdoadum dicetur *verna*. Ità procedendum eſt in *æſtiva* proximè poſt Solſtitium Cancri à die 26. Junii, ubi in Kalendario litera A occurrit prima poſt Solſtitium ad diem 27. Quinctilis, ut ſint quatuor dierum Ogdoades iiſdem coloribus variatæ *albo*, *praſino*,

 ruſſa-

ruſſato, & *veneto*, pertinentes ad *æſtatem*. Nec diſſimiliter explicabuntur dies Ogdoadum *Autumnalium* à 22. Septembris, qua litera A in Kalendario exhibetur proximior Æquinoctio, uſque ad diem 23. Octobris, qua Ogdoades illæ clauduntur. Coloribus ità diſtributis, aſſero Novilunia eſſe conſignata in Cæſaris Kalendario: ità ut colores ac literæ ordine perpetuo ſe invicem conſequantur. Quod ut exprimatur faciliùs abſque pictura, coloribus ſubrogabimus numeros cifrarum Indicarum, quas vulgò uſurpamus in Arithmeticis. Unitate indicabimus *album*, ità ut literæ A 1, B 1, C 1, D 1, E 1, F 1, G 1, H 1, intelligantur *albæ*; binario denotabimus *praſinum* A 2, B 2, &c.; triade *ruſſatum* A 3, B 3, &c.; Quaternario denique *venetum* A 4, B 4, &c. Poſtquam enim compendia numerorum reperimus in cifris Indicis, ſive Arabicis, præſtat his potiùs uti, quàm coloribus, ad res diverſas invicem diſcriminandas: quod etiam Romanos admiſſuros fuiſſe non dubito, ſi præclarum illud inventum novem cifrarum Arithmeticarum ætate Cæſaris habuiſſent.

Aſſero igitur, per hujuſmodi cifrarum, ſive colorum diſtributionem haberi elegantiſſimum *Cyclum Octagrammum*; ita enim poſſumus appellare à ſumma 8. elementorum quæ in Cyclo adhibuimus. Hic verò Cyclus novilunia conſignabit in Kalendario ad quatuor anni cardines, ſeu tempeſtates (unde paullò infra oſtendemus à gentibus variis capta eſſe annorum auſpicia, feſtiſque, ludis, ceremoniis, ac ſacrificiis celebrata) per literas, & colores, ordine naturali ſe invicem conſequentes annis imparibus, hoc eſt *alternis annis*, ut ratio ſit aliqua *dieteridum*, ſive ut antiquis nominare placuit incluſis extremis, *trieteridum*, prout in ſequenti tabula.

Anni alterni & impares enneaeteridis primæ.

	Hieme	*Vere*	*Æſtate*	*Autumno*
1	—— A	1 —— A	1 —— B	1 —— B 1
2 . . .				
3	—— A	2 —— A	2 —— B	2 —— B 2
4 . . .				
5	—— A	3 —— A	3 —— B	3 —— B 3
6 . . .				
7	—— A	4 —— A	4 —— B	4 —— B 4
8 . . .				
9	—— B	1 —— B	1 —— C	1 —— C 1
10 . . .				
11	—— B	2 —— B	2 —— C	2 —— C 2
12 . . .				

13	B 3	B 3	C 3	C 3
14 . . .				
15	B 4	B 4	C 4	C 4
16 . . .				
17	C 1	C 1	D 1	D 1
18 . . .				
19	C 2	C 2	D 2	D 2

Cùm perventum fuerit ad annum undecicesimum, cui obtingunt literæ C 2, C 2, D 2, D 2, ſeries procedet per annos pares enneadecaeteridis ſecundæ, literarum ordine non perturbato, ut ſequens tabella declarat.

Anni pares enneaeteridis ſecundæ.

	Hieme	*Vere*	*Æſtate*	*Autumno*
1 . . .				
2	C 3	C 3	D 3	D 3
3 . . .				
4	C 4	C 4	D 4	D 4
5 . . .				
6	E 1	E 1	F 1	F 1
7 . . .				
8	E 2	E 2	F 2	F 2
9 . . .				
10	E 3	F 3	F 3	F 3
11 . . .				
12	E 4	E 4	F 4	F 4
13 . . .				
14	G 1	G 1	H 1	H 1
15 . . .				
16	G 2	G 2	H 2	H 2
17 . . .				
18	G 3	G 3	H 3	H 3
19 . . .				

Sunt igitur anni pares & impares cujuſcumque Cycli Metonici ornati literis, naturali ſerie ſe invicem conſequentibus per biennia ſive dieteridas: quas unà ſi compegerimus, talis erit ordo integræ periodi decemnovennalis.

	Hiems		*Ver*		*Æſtas*		*Autumus*	
1	A	1	A	1	B	1	B	1
2	C	3	C	3	D	3	D	3
3	A	2	A	2	B	2	B	2
4	C	4	C	4	D	4	D	4
5	A	3	A	3	B	3	B	3
6	E	1	E	1	F	1	F	1
7	A	4	A	4	B	4	B	4
8	E	2	E	2	F	2	F	2
9	B	1	B	1	C	1	C	1
10	E	1	E	3	F	3	F	3
11	B	2	B	2	C	2	C	2
12	E	4	E	4	F	4	F	4
13	B	3	B	3	C	3	C	3
14	G	1	G	1	H	1	H	1
15	B	4	B	4	C	4	C	4
16	G	2	G	2	H	2	H	2
17	C	1	C	1	D	1	D	1
18	G	3	G	3	H	3	H	3
19	C	2	C	2	D	2	D	2

Abſoluta enneadecaeteride, iterum inſtaurantur in ſecunda literæ 1 ——A 1——A 1——B 1——B 1 &c.

Hoc tantùm intereſt inter annos pares & impares, quòd annis imparibus ſeries literarum ordinem tenet connectendo hybernas cum bybernis, ac æſtivas cum æſtivis; annis verò paribus hybernas cum æſtivis, ac æſtivas cum hybernis oportet connectere: quod in quartæ ſedis colore aut numero dignoſcitur. Nam literam A 4 A 4 anni 5. poſt biennium in ſerie annorum imparium, nempe anno 7. excipit ſequens litera B 1 B 1. At in ſerie annorum parium poſt C 4 C 4 anno 4. legendæ ſunt etiam literæ ſemeſtris ſequentis D 4 D 4, ut biennium proximum anni 6. inſtauret literarum ordinem ſerie non interrupta E 1 E 1: quod facilè conſpicitur in tabella.

Cete-

Ceterum uſus tabulæ & Cycli eſt maximè ſimplex, & accommodatus populari facilitati: cui ſemper oportet conſulere in parapegmate anni civilis; ut valeat urbanis ac ruſticis negociis inſervire. Fac enim quempiam de trivio, ut ajunt, perquirere velle Novilunia quatuor totidem anni tempeſtatum in Kalendario Cæſaris, ità depicto per ogdoades literarum. Ut ſemel intelligit, anno primo Juliano deberi colorem album, & literam A hyberno, & verno cardini; literam verò B æſtivo & autumnali; ſtatim aſſequitur novilunium proximum Solſtitio hiemali commiſſum iri Kalendis Januarii, & novilunium proximum æquinoctio verno expectandum fore die 30. Martii; his enim diebus Kalendarum Januarii & 30. Martii occurrit litera A 1 ogdoadis albatæ: eademque de cauſſa intelligit, duo novilunia cardinis æſtivi & Autumnalis incidere in dies 26. Junii & 22. Septembris, quibus aſſignatam videt literam B 1 B 1 ejuſdem ogdoadis albatæ, juxta hunc Cyclum octagrammum indicem anni primi.

Reliqua novilunia per annum facili negocio computantur ex hiſce cardinalibus lunis cujuſque tempeſtatis, alternis numerando cavas & plenas.

5 Computus Cycli hujus octagrammi adeò videtur ſimplex, & paratus, ut nullo programmatis ſubſidio actutum deſcribi poſſit. Sed quorſum pertineat indicatio Lunarum ad ſingulos cardines tempeſtatum in Cæſaris Kalendario, exponendum erit capite ſubſequenti: in quo manifeſtum fiet, nihil fermè facilius excogitari potuiſſe ad omnium nationum hemerologia per unicum Cæſaris parapegma inſimul exhibenda: quod & Auguſtus, ut arbitror, contenderat obtinere, cupiens Romanam methodum ubique propagari. Nam & Alexandriæ conſtitutum fuiſſe novimus, Auguſto rerum potiente, ut annus Ægyptius, antea vagus, in fixum commutaretur, aſſignata ſcilicet prima die Thoth diei 29. Auguſti. Nunc ad reliqua hujus Kalendarii & Cycli compendia declaranda convertimur.

Vide Petav. de doctr. temp. lib. x. cap. 71.

6 Demonſtrandum eſt, quàm expeditè ſimul & verè per ejuſmodi methodum novilunia conſignentnr. Utrumque id percipietur, ſi antea proponamus integram anni expanſionem cum quatuor ogdoadibus coloratis ad ſingulas anni tempeſtates, ſeu cardines Solſtitiorum & Æquinoctiorum. Colores hìc exprimemus per numeros. At in Kalendarii icone, æneis typis expreſſa, colores ipſos addidimus, aſſumentes flauum loco albati, quum albus in charta concolori pingi non poſſet.

Januarius			Febr.	Mart.	Aprilis			Majus	Junii		Julius			Aug.	Septemb.			Octob.			Nov.	Dec.
Ogdoas Albata 1	A	1	H 4	D	doas Albata 1	C	1	A	H		1	F	1	E		D		as Praſina 1	B	2	A	G
2	B	1	A	E	2	D	2	B	A		2	G	1	F		E		2	C		B	H
3	C	1	B	F	3	E	1	C	B		Ogdoas Praſina 3	H	1	G		F		3	D		C	A
4	D	1	C	G	4	F	1	D	C		4	A	2	H		G		4	E		D	B
5	E	1	D	H	5	G	1	E	D		5	B	2	A		H		5	F		E	C
6	F	1	E	A	6	H	1	F	E		6	C	2	B		A		6	G		F	D
7	G	1	F	B	Ogdoas Praſina 7	A	2	G	F		7	D	2	C		B		Ogdoas Ruſſata 7	H		G	E
8	H	1	G	C	8	B	2	H	G		8	E	2	D		C		8	A		H	F
Ogdoas Praſina 9	A	2	H	D	9	C	2	A	H		9	F	2	E		D		9	B		A	G
10	B	2	A	E	10	D	2	B	A		10	G	2	F		E		10	C		B	H
11	C	2	B	F	11	E	2	C	B		11	H	2	G		F		11	D		C	A
12	D	2	C	G	12	F	2	D	C		Ogdoas Ruſſata 12	A	3	H		G		12	E		D	B
13	E	2	D	H	13	G	2	E	D		13	B	3	A		H		13	F		E	C
14	F	2	E	A	14	H	2	F	E		14	C	3	B		A		14	G		F	D
15	G	2	F	B	Ogdoas Ruſſata 15	A	3	G	F		15	D	3	C		B		15	H		G	E
16	H	2	G	C	16	B	3	H	G		16	E	3	D		C		Ogdoas Veneta 16	A		H	F
Ogdoas Ruſſata 17	A	3	H	D	17	C	3	A	H		17	F	3	E		D		17	B		A	G
18	B	3	A	E	18	D	3	B	A		18	G	3	F		E		18	C		B	H
19	C	3	B	F	19	E	3	C	B		19	H	3	G		F		19	D		C	A
20	D	3	C	G	20	F	3	D	C		Ogdoas Veneta 20	A	4	H		G		20	E		D	B
21	E	3	D	H	21	G	3	E	D		21	B	4	A		H		21	F		E	C
22	F	3	E	A	22	H	3	F	E		22	C	4	B	Ogdoas Albata 22	A	1	22	G		F	D
23	G	3	F	B	Ogdo as Veneta 23	A	4	G	F		23	D	4	C	23	B	1	23	H		G	E
24	H	3	G	C	24	B	4	H	G		24	E	4	D	24	C	1		A		H	F
Ogdoas Veneta 25	A	4	H	D Æquin.	25	C	4	A	H		25	F	4	E	25	D	1		B		A	G
26	B	4	A	E	26	D	4	B	Ogdoas Albata A	1	26	G	4	F	26	E	1		C		B	H
27	C	4	B	F	27	E	4	C	B	1	27	H	4	G	27	F	1		D		C	A
28	D	4	C	G	28	F	4	D	C	1		A		H	28	G	1		E		D	B
29	E	4		H	29	G	4	E	D	2		B		A	29	H	1		F		E	C
30	F	4		Og- 30 A 1	30	H	4	F	E	1		C		B	Ogdo- 30	A	2		G		F	D
31	G	4		31 B 1				G				D		C					H			E

In hac expanſione parapegmatis anni civilis literæ Cycli octagrammi decemnovennalis periodi ſupra ordinatæ indicant neomenias. Si quis verò cupiat eaſdem revocare ad Aureos numeros, Julianis literis reſponſuros, conſulat ſequentem tabellam: in qua Aurei Numeri Lunarum Cardinalium (ità enim voco eas, quæ indicantur ad ſingulos cardines tempeſtatum per ogdoades coloratas Literarum Kalendarii Cæſariani) reſpondent iiſdem ſedibus, quas in hemerologio Juliano dies menſium obtinent, & ſibi vendicant Literæ Cycli octagrammi ità expoſiti. Reliquas Lunas intermedias aſſequimur alternis aſſumendo cavas & plenas dierum XXIX. & XXX., ut paulò ante monebamus: quod omnibus Cyclis Lunaribus eſt commune. In hoc Cæſaris Cyclo principem Lunam conſtituimus cavam; nam ab impare numero juxta Pythagoræ, ac Numæ inſtituta auſpicatum fuiſſe Cæſarem credenden-

credendum eſt, pro illa numerorum religione, ſive potius ſuperſtitione, quam declarat Macrobius lib. 1. cap. 12. Saturnal. Summo enim ſtudio caviſſe Dictatorem, ne à Regis illius inſtitutione diſcederet in imparium præſertim, & parium numerorum putatione ac ſede tuenda, ſatis colligitur ex animadverſione Macrobii circa Nonas & Idus, & ab inſertione diei Biſſextilis inauſpicato menſi, quadrienniis ſingulis adhibenda. Literæ Cycli octagrammi dabunt aureos numeros per ſingulas enneadecaeteridas Metonis juxta ſequentem tabellam, inſertis certo loco emboliſmicis Lunationibus ex ipſa literarum diſpoſitione.

Vide Macrob. lib. 1. Saturn. cap. 14.

	Jan.	Febr.	Mart.	April.	Maii	Jun.	Jul.	Aug.	Sept.	Oct.	Nov.	Dec.
1	I	XVII	I	XVII	XVII	VI	VI	XIV		III	XI	XIX
2	IX		IX						III	XI	XIX	
3	XVII	VI	XVII	VI	VI	XIV	XIV	III	XI	XIX		VIII
4								XI	XIX		VIII	
5	VI	XIV	VI	XIV	XIV	III	III	XIX		VIII		XVI
6						XI	XI		VIII		XVI	
7	XIV	III	XIV	III	III	XIX	XIX	VIII		XVI		V
8		XI		XI	XI				XVI		V	XIII
9	III	XIX	III	XIX	XIX	VIII	VIII	XVI		V	XIII	II
10	XI		XI						V	XIII	II	
11	XIX	VIII	XIX	VIII	VIII	XVI	XVI	V	XIII	II		X
12								XIII	II		X	
13	VIII	XVI	VIII	XVI	XVI	V	V	II		X		XVIII
14						XIII	XIII		X		XVIII	
15	XVI	V	XVI	V	V	II	II	X		XVIII		VII
16		XIII		XIII	XIII				XVIII		VII	XV
17	V	II	V	II	II	X	X	XVIII		VII	XV	IV
18	XIII		XIII						VII	XV	IV	
19	II	X	II	X	X	XVIII	XVIII	VII	XV	IV		XII
20								XV	IV		XII	
21	X	XVIII	X	XVIII	XVIII	VII	VII	IV		XII		I
22						XV	XV		XII		I	IX
23	XVIII	VII	XVIII	VII	VII	IV	IV	XII		I	IX	XVII
24		XV		XV	XV				I	IX	XVII	
25	VII	IV	VII	IV	IV	XII	XII	I	IX	XVII		VI
26	XV		XV					IX	XVII		VI	
27	IIII	XII	IV	XII	XII	I	I	XVII		VI		XIV
28						IX	IX		VI		XIV	
29	XII		XII	I	I	XVII	XVII	VI		XIV		III
30	I		I	IX	IX				XIV		III	
31	IX		IX		XVII		VI	XIV		III	XI	

Ut

Ut conſenſu s & harmonia inter numeros Juliani ſyſtematis & motus cæleſtes appareat, conſtitui periculum facere Lunaris Cycli ità ordinati ex ſerie octagramma, cum omnibus Solis ac Lunæ Eclipſibus, quæ occurrunt apud Aſtronomos & Hiſtoricos ab ætate Cæſaris ad proxima tria Sæcula Æræ Chriſtianæ; quibus præceſſio Lunaris diem ſolidam non excedebat. Affirmo, novilunia & plenilunia trium ſæculorum eclipſibus confirmata conſtantiùs & veriùs indicari per Cyclum Cæſaris, quàm per Epactas vulgares. Siquidem Epactæ noſtræ vulgares aliquando per triduum integrum aberrant à veris motibus, quod ipſi vidimus anno 1689. cùm ſpectaremus Novilunium in Eclipſi Solis die 13. Septembris horis 4. minut. 52. poſt meridiem Romæ: Epacta communi VIII. indicante neomeniam poſt triduum, nempe ad diem 16. menſis ejuſdem. Par differentia expectari debet anno 1708. ad diem 14. Septembris, quando Eclipſis Solis manè ſpectabitur hora duplici ante meridiem, fruſtra remorantibus Epactis VII. communibus indicium ſynodi ad diem 17. At Cæſaris Cyclus Octagrammus, ſi ità ordinetur ex noſtra ſententia, & ex marmoris iſtius indicatione, uti monuimus, nunquam differet ad triduum enunciationem novilunii, aut plenilunii ecliptici. Adſtruenda fides eſt aſſertioni noſtræ ex omnium eclipſium hiſtoria, quarum memoria viget apud ſcriptores Romanos & Græcos, & quarum calculi diligentes proponuntur apud Chronologos ab anno primo Juliano ad tertium ſæculum Æræ Chriſti. Iſtæ autem ſunt, quæ ſequuntur.

Anno à Juliana emendatione.		*Aureus numerus ex Cyclo Octagrammo Cæſaris.*	Eclipſes Solis.
10.		X.	—Eclipſis Solis die 19. Maii horis 3. minut. 52. poſt merid. Calviſius ſupputat. Faſti Siculi narrant.
15.		XV.	—Eclipſis Solis ante ejus occaſum die 20. Auguſti Calviſius ex Faſtis ſiculis, ſeu Chron. Alex.
Anno Julianæ emendat.	*Anno Æræ Chriſti.*		
50.	5.	XII.	—Eclipſis Solis horis 4. min. 50. p. merid. 28. Martii. Calviſius ex Dione.
90.	45.	XIV.	—Eclipſis Solis Kalendis Auguſti hor. 2. ante meridiem. Petavius & Calviſius ex Dione.
104.	59.	IX.	—Eclipſis Solis die 30. Aprilis hor. 2. m. 36. p. m. Calviſius ex Tacito Plinio & Xiphilino.
116.	71.	II.	—Eclipſis Solis die 20. Martii hor. 3. ante merid. Calviſius ex Plinio.
143.	98.	X.	—Eclipſis Solis die 21. Martii hor. 5. poſt merid. Calviſius ex Aurel. Victore.
283.	238.	XVII.	—Ecclipſis Solis die 2. Aprilis hor 4. ante merid. Calviſius ex Capitolino.

Eclipſes

Eclipſes Lunæ.

Anno Juliano.	*Anni Æræ Chriſti vulgaris.*	*Aureus numerus ex Cyclo Cæſaris.*	
1.		I.	Eclipſis Lunæ die 7. Novemb. feria 2. horis 2. poſt mediam noctem. Calviſius ex Lucano.
45.		VII.	Eclipſis Lunæ die 10. Januarii feria VII. ineunte Hieroſolymis. Calviſius ex Ioſepho.
59.	14.	II.	Eclipſis Lunæ die 27. Septembris Fer. V. horis 5. poſt med. noct. Calviſius ex Tacito, & Dione.
78.	33.	II.	Eclipſis Lunæ die 3. Aprilis poſt occaſum Solis. Calviſius.
91.	46.	XV.	Eclipſis Lunæ die 31. Decembris h. 10. min. 28. Calvis. Ex Aurelio Victore.
114.	69.	XIX.	Eclipſis Lunæ die 25. Aprilis hor. 5. poſt mediam noctem. Xiphilinus ex Dione. Alia verò 18. Octobris h. 10. p. m.
170.	125.	XVIII.	Eclipſis Lunæ die 5. Aprilis hor. 9. poſt merid. Calviſius ex Ptolemæo.
182.	137.	VII.	Die 26. Martii ferè in med. nocte. Eclipſis Lunæ. Calviſius ex Ptolemæo.
183.	138.	VIII.	Die 20. Octobris hor. 11. poſt merid. Calv. ex Ptol.
185.	140.	X.	Die 6. Martii hor. 3. poſt. med. noctem. Calv. ex Ptol.

Præter has Eclipſes, nullam reperi apud hiſtoricos recenſitam, quam Chronologi computaverint ex anno primo Juliano ad 300. Æræ Chriſtianæ. Iſtæ verò, quæ relatæ ſunt in annales, tam bellè conſentiunt cum numeris, ſive literis Cycli octagrammi; ut non modò per tridui ſpatium unquam non aberrent, ſed neque per biduum diſcordent; imò ut plurimùm in die eclipſeos viſæ & indicatæ omninò conſentiant. Explorare id cupientibus aptamus tabulam annorum Æræ Julianæ, & Æræ Chriſtianæ, repetentium periodum Metonicam poſt annos undeviginti. Reperta ſemel areola anni dati, per tranſverſalis lineæ ductum aſſequimur Aureum numerum, Cycli iſtius octagrammi literis reſpondentem: cum quo converſi ad ſuperiorem tabulam, ubi dies anni expanduntur, reperimus illicò numerum Aureum, cujuslibet menſis novilunia demonſtrantem.

Anni ab ordin. Cæſaris.				*Anni Æræ Chriſti Dionyſianæ ſeu communis : qui convertuntur in annos ab ordinatione Cæſaris, ſi addantur 45.*														
I.	1.	20.	39.	13.	32.	51.	70.	89.	108.	127.	146.	165.	184.	203.	222
II.	2.	21.	40.	14.	33.	52.	71.	90.	109.	128.	147.	166.	185.	204.	223
III.	3.	22.	41.	15.	34.	53.	72.	91.	110.	129.	148.	167.	186.	205.	124
IV.	4.	23.	42.	16.	35.	54.	73.	92.	111.	130.	149.	168.	187.	206.	225
V.	5.	24.	43.	17.	36.	55.	74.	93.	112.	131.	150.	169.	188.	207.	226
VI.	6.	25.	44.	18.	37.	56.	75.	94.	113.	132.	151.	170.	189.	208.	227
VII.	7.	26.	45.	19.	38.	57.	76.	95.	114.	133.	152.	171.	190.	209.	228
VIII.	8.	27.	46. *Chriſti Epochæ* 1. *initium*	20.	39.	58.	77.	96.	115.	134.	153.	172.	191.	210.	229
IX.	9.	28.	47. 2.	21.	40.	59.	78.	97.	116.	135.	154.	173.	192.	211.	230
X.	10.	29.	48. 3.	22.	41.	60.	79.	98.	117.	136.	155.	174.	193.	212.	231
XI.	11.	30.	49. 4.	23.	42.	61.	80.	99.	118.	137.	156.	175.	194.	213.	232
XII.	12.	31.	50. 5.	24.	43.	62.	81.	100.	119.	138.	157.	176.	195.	214.	233
XIII.	13.	32.	51. 6.	25.	44.	63.	82.	101.	120.	139.	158.	177.	196.	215.	234
XIV.	14.	32.	52. 7.	26.	45.	64.	83.	102.	121.	140.	159.	178.	197.	216.	235
XV.	15.	34.	53. 8.	27.	46.	65.	84.	103.	122.	141.	160.	179.	198.	217.	236
XVI.	16.	35.	54. 9.	28.	47.	66.	85.	104.	123.	142.	161.	180.	199.	218.	237
XVII.	17.	36.	55. 10.	29.	48.	67.	86.	105.	124.	143.	162.	181.	200.	219.	238
XVIII.	18.	37.	56. 11.	30.	49.	68.	87.	106.	125.	144.	163.	182.	201.	220.	239
XIX.	19.	38.	57. 12.	31.	50.	69.	88.	107.	126.	145.	164.	183.	202.	221.	240

Exem-

Exemplum. Legimus Eclipſim Solis, ab Imperatore Claudio prædictam die natali ſuo, hoc eſt Kalendis Auguſti, & publico programmate propoſitam, ut refert Dio lib. 60. Omnes Chronologi conſentiunt, cadere hanc eclipſim in annum Æræ Chriſtianæ 45., qui ordinationis Julianæ fuit nonageſimus: adeoque vertente anno XIV. quintæ Periodi Metonicæ ab Epoca Juliana, debent Novilunia indicari ſub Aureo Numero XIV., ut altera tabella demonſtrat, ad Cyclum Cæſaris exacta, in quo literæ novilunii fuiſſent

Vide Tab. ſupra pag. 16.

Hieme	*Vere*	*Æſtate*	*Autumno*
G 1	G 1	H 1	H 1

Kalendis Auguſti occurrit Aureus Numerus XIV., & litera H 1 coloris *albati* cadit in diem 3. Julii: unde numerata lunatione caua, occurrit dies Kalendarum Aug: quæ propterea indicat Novilunium Cycli eadem omninò die, qua conſpiciebatur cæleſte per Eclipſim à Claudio prædictam.

Vide Tab. ſupra pag. 19.

Aliud exemplum. Ptolemæus obſervavit anno XX. Hadriani eclipſim Lunæ nocte ſequenti diem 19. Pharmuthi horis 4. poſt mediam noctem Alexandriæ. Chronologi referunt tempus eclipſeos ad diem 6. Martii, ad annum Æræ Chriſti 136., Feriam 2., horas $3\frac{1}{2}$ poſt mediam noctem, conſentientibus tabulis Aſtronomorum. Is annus, additis ad Epocham Chriſti 45., quotis Juliana eam præcedit, reperitur ordinationis Julianæ 181.: cui ex tabella proximè ſuperiori contingit Aureus numerus Julianus X., ſeu literæ Cycli Cæſaris E 3, E 3, F 3, F 3. Si ſupponatur Eclipſis, ut ferunt Tabulæ & obſervatio, die 6. Martii; neceſſe eſt, novilunium proximum ſequens cadere poſt dies 15., nempe in 21. Martii: qua die occurrit in Tabula Aureus Numerus X. Ex literis Cycli Cæſaris idem colligitur. Nam litera E 3 coloris *Ruſſati*, quæ tempeſtate verna incidit in 19. Aprilis, ibi conſignat novilunium. A die autem 21. Martii ad 19. Aprilis intercedunt dies 29., nempe ſpatium debitum Lunationi cavæ, qualis habetur prima ex vernis. Quare colligitur etiam ex litera Kalendarii Cæſaris, ſeu Cycli octagrammi, novilunium die 21. Martii; & plenilunium præcedens ante dies 15., nempe die 6. Martii, qua eclipſis Lunæ à Ptolemæo obſervabatur.

Vide Tab. ſupra pag. 18.

Tertium exemplum. Ex marmore S. Hippolyti, paullò poſt exponendo, facta eſt Luna XIIII. Paſchalis anno primo Severi Alexandri (quem conſtat fuiſſe Æræ Chriſtianæ 222.) Idibus Aprilibus Sabbato. Eâdem die 13. Aprilis juxta omnes Tabulas reperitur plenilunium medium horis 6. poſt meridiem

Romæ.

Romæ. Anno Chriſti 222. Aureus numerus, noſtræ Tabellæ eſt I, & litera Cycli Cæſaris A 1; cùm ſit annus labens 267. ordinationis Julianæ, nempe is, qui poſt abſolutas periodos decemnovennales 14., inſtaurat annum primum enneadecaeteridis decimæquintæ ab Epoca Cæſariana. Aureus numerus I hujus tabellæ occurrit die 30. Martii quam Cæſar in Kalendario notavit litera A 1 coloris albati, juxta noſtram interpretationem. Si à die 30. Martii numerentur 14. dies proximi (quot à novilunio ad plenilunium excurrunt), provenit dies Iduum Aprilis, cui omnes Tabulæ plenilunium medium ejuſdem menſis aſſignant.

Exactæ hujus methodi ratio videtur evidens. Nam Lunationis mediæ tempus extenditur ad dies 29. horaſque duodecim, cum 44. minutis. Sex igitur Lunationes requirunt dies 177. cum ſextante diei circiter. Jam verò à prima ogdoade hyberna literarum Cæſaris ad primam vernam ſunt dies 88. (undecies enim repetuntur ogdoades à die prima Januarii conſignata literâ A 1 ad diem 30. Martii, notatam pariter eadem litera A 1. His 88. diebus adiectis totidem ad initium ogdoadis æſtivæ, fiunt dies 176. Adde diem unam literæ A 1, quæ in ſecundo ſemeſtri mutatur in B 1. Sunt dies 177. quot nempe debentur ſex Lunationibus. Literæ igitur A 1, A 1, B 1, B 1 rectè indicabunt Lunationes Cardinales ad ſingulas anni tempeſtates. Poſt duodecim anni Lunationes, quæ extendebantur juxta motus medios ad dies $354\frac{3}{8}$ ſuperſunt ad complendum annum civilem dies $10\frac{5}{8}$. Quare annis quatuor abundarent dies $42\frac{1}{2}$, ſi omitteretur intercalatio Biſſexti, prout in annis Ægyptiorum vagis. Sed quia in Julianis inſeritur quarto quoque anno dies Biſſextilis, diſcrimen erit dierum $43\frac{1}{2}$ Annis autem 76., quibus quaternæ periodi Metonis conſtituunt unam Calippicam, abundant dies $826\frac{1}{2}$ At diebus $826\frac{1}{2}$ evolventur Lunationes mediæ 27. ſolidæ, & abundabunt horæ 6. Per ſingulas ergo Periodos Calippicas annorum 76. Julianorum, quando Literæ Cæſaris ordinem primum inſtaurant etiam cum Biſſextilibus, non niſi per quadrantem circiter diei recedunt à Lunari loco antea indicato. Quocirca intra duo ſæcula per diem ſolidam à ſuis numeris non abludent: neque à cęleſtibus aberrare poterunt per triduum; cùm facillimum ſit demonſtrare, intra annos LXXVI., Cyclum ità ordinatum, à Lunæ motibus per biduum integrum non diſſentire.

CAPUT

CAPUT QVARTUM.

Uſus Cycli Juliani Octagrammi apud Romanos, & apud pleroſque populos Romano imperio ſubjectos.

1 *Cyclus Cæſaris aptiſſimus ad exhibenda omnium nationum Kalendaria, quotquot erant Romanæ ditionis. 2. Ethnici per triplicem illam idololatriam, quam theologiam Varro dixit, rerum creatarum cultum impium inducentes, potiſſimè verò Solis ac Lunæ, præverterunt ordinem, uſumque rerum earundem, à DEO conditarum, ac præcipuè ſtata tempora, quæ fuerant divinis laudibus aſſignanda. 3. Ejuſmodi ritibus, ac ſuperſtitionibus ethnicorum, juxta motus Luniſolares ut plurimum ordinatis, Cyclus Cæſaris omnium expeditiſſimè aptari poterat. 4. Aptabatur annis trimeſtribus Arcadum, & intercalationi trimeſtri per ſingulas octaeteridas, à pleriſque Græcis uſurpatas. 5. Necnon anno trimeſtri Ægyptiorum, ſive potiùs eorundem ὥρας ſive Græcorum ὥρας quas etiam κέντρα appellarunt, Hebræi Tekuphas, nos anni cardines dicimus, ac tempeſtates; & anno ſemeſtri Acarnanum. 6. Cyclus Cæſaris commodè aptatur tum annis vertentibus. 7., tum annis magnis eorundem populorum, nempe numeratis per dieteridas, ſive trieteridas, olympiadas, octaeteridas, dodecaeteridas &c. juxta quæ ſpatia temporum conventus, ac cæremonias inſtaurandas eſſe cenſuerant. 8. Cæſaris Cyclus Lunaris fortaſſe deperditus ex imperitia, aut negligentia ſacerdotum: quorum tarditas in anni Juliani ratione cognoſcenda oſtenditur ex vitioſa interkalatione diei Biſſextilis. 9. Proponitur hæc ratio Chronologiæ uberiùs illuſtranda ex numis antiquis cap. ſubſequenti. 10. Interea veterum Græcorum diligentia, & cura proponitur in civili ordinatione tum anni vertentis, tum periodici.*

1 CYclum Lunarem, propoſitum in Cæſaris parapegmate ità ſum interpretatus, ut ejuſdem elegantiam, facilitate, ac veritate ſubnixam in cæleſtium co[r]porum motibus ad vulgi captum molliendis, & digerendis demonſtraverim. Præſtiterit, autumo, hanc laudem peritia Soſigenis in Aſtronomica facultate. Occurrit modò exponenda ejuſdem Soſigenis, aut Cæſaris certè cura in hac diſpoſitione Cycli, & Kalēdarii: quæ Provinciis omnibus Romanæ ditionis haberi poſſet maximè accepta ex harmonia, quam ſervat cum ſingularū gentium inſtitutis: dum exhibet methodum paratiſſimam ad deſignādum feſta, pompas, conventus, agones, juxta ritus patrios earundem nationum, certis cōverſionibus Lunæ, ac Solis, ut plurimū ordinatos.

2 Conquerebatur meritò Tertullianus, quòd ab invido & ſuperbo ſpiritu, Dei æmulo, univerſa rerum conditio, certis uſibus homini mancipata, cum ipſo homine corrupta fuerit. *Unde eam & Apoſtolus invitam ait vanitati ſuccidiſſe, vanis plurimum uſibus, tum turpibus, & injuſtis, & impiis ſubverſam. Sic itaque & circa voluptates ſpectaculorum infamata conditio eſt ab eis, qui natura quidem omnia ſentiunt, ex quibus ſpectacula inſtruuntur, ſcientia autem deficiunt &c. Illud quoque intellige, omnia à diabolo fuiſſe mutata: dum ſcilicet mendacium divinitatis diabolus operatur, in hac rerum ſpecie à primordio mendax*, uti præmonuerat Joannes Apoſtolus. Ea certè ratio temporis dividundi, quam cedere in obſequium ſui juſſerat rerum conditor DEUS, ſacrorum ritu & cæremoniarum legibus inſtitutis, juxta vices & intervalla, quibus luminarium, ac ſiderum motus quarto die conſtituerat, ut eſſent *in ſigna, & tempora, & dies, & annos*, ea inquam ratio non minùs obnoxia fuit impiis auſibus corruptoris, quàm reliquarum rerum conditio innocens, Deique ipſius elogio, & auctoramento per dies ſingulos commendata. Vix enim à recto Dei cultu averſi homines ad triplicem illam impietatem declinaverunt, quam theologiam dixit Varro Mythicam, Phyſicam, & Civilem; cùm agmine veluti facto ad occupandam Conditoris ſedem, viſi ſunt in cælum niti cum auctore mendacii, quem ſequebantur, & ſtellis ac luminaribus nefarium intentare ſervitium: ut jam non haberentur indices temporum Deo dicandorum, ſed nomenclatores fierent, ac monitores ludorum, agonum, feſtorumque execrabilium, quibus menſtrua, annua, & periodica non tàm ſacra quàm ſcelera inſtaurarentur. Univerſarum fermè ſuperſtitionum ritus in conſortium criminis advocabant utrumque luminare: & cùm diverſos eligerent cardines tempeſtatum, ad quos referrent ſive naturæ cultum, ſive illorum hominum religiones, quos divinis honoribus proſequi non horruerunt; omnium ferè nationum ſententia fuit, ad Solis ac Lunæ curſum referri oportere quas traderent poſteris celebritates. Quin auctores mendacii, ut ſplendidiùs fallerent populos, Solem plerumque, ac Lunam, deos appellarunt: tum implexis cum eorundem aſtrorum nomine heroum, & principum geſtis ac fabulis, imò etiam animis, ac ſpiritibus impia metempſychoſi permixtis, promiſcuos errores vulgo poetarum, ac philoſophis, plebi, ac magiſtratibus confirmandos quotannis propoſuerunt: auctoritatem crimini conquirentes tum ex ordinum communione, tum ex cæleſtium motuum menſura; ut in ſocietatem humanæ fraudis non tam advocari, quàm ſponte accedere dii viderentur, quos ipſi conſtituerant. Huc itaque

Tertullianus de Corona Militis pagina 343. edit. de la Barre.

Ibi pag. 346.

Ioann. 8.

Geneſis primo.

S. Auguſtinus de Civit. Dei lib. 6. cap. 5.

que reſpexit omnis ethnicorum cura, ut Solis, ac Lunæ periodos, myſteriis numinum, ac ſymbolis variè involutas, proponeret ſtatis conventibus celebrandas. Quæ obſervatio cùm eſſet plurimis vitæ uſibus complicata, tum in agro ſerendo, tum in adminiſtrandis negotiis, & civitatum, ac civium hiſtoria retexenda; pro diverſa opportunitate regionum diverſa intulit hemerologia, menſiumque & annorum varias computationes. Humani verò generis hoſtis, *cujus ſunt partes*, ut ait Tertullianus, *invertendi veritatem: qui ipſas quoque res Sacramentorum Divinorum in idolorum myſteriis æmulatur*, antiqua ſcilicet ſuperbia inſaniens, ut quæ DEO ſunt propria ipſe imitetur, ſibique arroget, perverſas hominum mentes ità inflexit ad converſiones aſtrorum applicandas uſibus à divina inſtitutione remotis, ac repugnantibus rectæ rationi; ut Feſta Feſtis opponere, atque, ut ità dicam, opprimere videretur. Indictas Iſraelitis religiones Noviluniorum neomeniis ſuis oppugnare contendit: quæ ſcilicet Junoni apud Romanos, Apollini apud Græcos, ſive diis omnibus haberentur ſacræ: & in fano Erechtei placenta ſerpenti oblata, & ſacro *epimenio*, panibuſque νεμηνίοις propoſitis, mimum quodammodo egit Levitici miniſterii. Tum Sabbata DEO dicata impiè transferre conatus eſt ad Apollinis *Hebdomagenis* cultum: cui ſeptimum quemque diem Lunæ, tamquam ipſi natalis fuiſſet, haberi feſtiuum Athenis mendax chronographus ſanxit. Quæ verò fuerat Hebræis Ægypto proficiſcentibus indicta lex utriuſque ſideris expectandi in oppoſitis æquinoctiis ad præcipuum religionis myſterium celebrandum, tum præteritæ libertatis memoria, tum alterius præſagio, quam tempore ità deſignato Orbis univerſus nanciſceretur, apud vicinas gentes Ægyptiorum, Chaldæorum, Phoenicum, eorumque colonias, in Ægæum, & Jonium traductas, vitioſa imitatione illicò inflexa videtur ad dæmonum cultum, modò apud Mileſios, Delios, & Athenienſes, quibus Feſta illa antiquiſſima Thargelia, & Pyanepſia, unde duplici menſi Attico nomen fuit, Soli & Horis dicata circa utrumque Æquinoctium; prout Pighius ex Ariſtophanis Scholiaſte, & Jonſtonius ex Ethymologico retulere: modò apud Amphictyonas in vetuſtiſſimo gentis concilio, cùm Cereri facerent initio Veris & Autumni; alibi etiam retenta ſolius Vernæ Sectionis obſervatione, ut in Aſiæ conuentibus ad templum deæ Syriæ, de qua Lucianus, & Antiochenſium nummi, Arietis ſigno, ac Lunæ nota percuſſi, paſſim teſtantur; alibi dilatis ad alterutrum Tropicorum initiis anni civilis, deorumque myſteriis; nempe Adoniis apud Phoenicas,

Tertull. de præſcript. adv. hæret. pagina 86. *Tingit & ipſe quoſdam utique credentes & fideles ſuos, expiationem delictorum de lavacro repromittit, & ſic initiat Mithræ: ſignat illic in frontibus milites ſuos: celebrat & panis oblationē, & imaginem reſurrectionis inducit &c.*

Plutarch de quæſt. Rom. Ionſton. de Feſtis Græc. c. VI. ex Plutarch. lib. de vitando ære alieno.

Ionſton. ibi cap. 5.

Pighius in Opuſculo Themis Dea pag. 115.

Ionſton. de Feſt. Græcor. cap. 2.

Lydiati notæ ad Chronici marm. Epochas inter marmora Arundell.

Lucianus de Dea Syria.

Ionſton. ubi ſupra.

Scaliger. lib.4. de emendat. temp. Athenæus lib.12.ex Beroſo Macrobius.

Vide Seldenum de diis Syris Syntagm.primo pag.145.

apud Græcos Olympiis, Sacæis apud Perſas, quæ in cardine æſtivo celebrarentur; ſive Romanorum Saturnalibus, quæ cum brumali Solſtitio annum clauderent; alibi demum vagantibus per integrum anni circulum Feſtis ac ludicris: ne qua Cæli plaga vacaret impiæ ſuperſtitionis adſpectu, ut Geminus obſervavit in anno Ægyptiorum Sothico, ante Cæſarem vago.

3 Vario itaque luſu annum verſarunt pleræque nationes, ab antiquis Patriarcharum ritibus deſciſcentes, Dei cultu legitimo ſemel abiecto,& Chronographia transformata, quam Abrahami fideles poſteri cuſtodiebant. Hinc tricæ illæ, ac næniæ populorum, quos Græcorum pueri, & gentes reliquæ ut antiquiſſimos auctores patriæ ſuperſtitionis ſummo habuerunt loco, & in faſtorum ordinatione ſunt imitatæ. Celeberrimas ex illis placet attingere: ut perſpici evidentiùs poſſit, quod hic proponimus explorandum, nempe, Cæſariani Cycli ſtructuram talem excogitatam fuiſſe, quæ omnium ferè nationum Kalendariis poſſet accommodari. Id faciliùs me præſtiturum eſſe confido, ſi ut pleraſque methodos enumeravero cujuſque gentis, ſtatim ſubiiciam ex literis Cycli, in Kalendario Cæſaris à me detecti, quanta facilitate & compendio potuerint illæ certis indicibus deſignari.

Macrob. lib. primo cap.12. Saturnal.

Vide ſupra tabulas cap.3.num.3. pagina

4. Arcades, inquit Macrobius, *annum ſuum tribus menſibus explicabant; Acarnanes ſex. Græci reliqui, trecentis quinquaginta quatuor diebus annum proprium computabant*. Annorum iſtorum ſeries totidem literis diſtinguetur in Cylo Cæſaris: in quo trimeſtre ſpatium repetit eandem literam; ſemeſtre mutat in conſequentem. *A* 1 *Hyem. A* 1 *Ver. B* 1 *Aeſt. B* 1 *Autumn.* ſunt anni Arcadici quatuor. *A* 1 *Hyem. B* 1 *Aeſt*. anni Acarnanum duo: quarum literarum ſingula intervalla trimeſtria cùm numerent undecim ogdoadas dierum, & alternis literam unam adjiciant (ubi A 1 mutatur in B 1) neceſſe eſt primum trimeſtre conſtare diebus 88., ſecundum 89., tertium rurſus 88., quartum 89.: ut univerſorum ſumma collecta det numerum dierum 354., & reſpondeat anno Lunari Græcorum ad totidem dies expanſo. Neque officit ordinationi hujus periodi Lunaris intercalatio; nam & iſta per literam Cycli Cæſaris obtinetur. Expono. Pergit idem Macrobius expendere, quomodo à Græcis octavo quoque anno fieret intercalatio dierum nonaginta, ut Lunæ curſus cum ſolari congrueret alternis olympiadibus: & quo pacto antiquis Romanis idem placuerit imitari, licet eventu non admodum felici, ex ignorata ratione Chronologiæ. *Nam & Græci, inquit, cum animadverterent, temerè ſe trecentis*

88 Hiems
89 Ver
88 Æſtas
89. Autumn.
354.

quin-

quinquaginta diebus ordinaſſe annum, quoniam appareret de Solis curſu, qui tercentis ſexaginta quinque diebus, & quadrante Zodiacum conficit, deeſſe anno ſuo undecim dies, & quadrantem, intercalares ſtatuta ratione commenti ſunt: ita ut octavo quoque anno nonaginta dies &c. Quæ res cùm ante Cæſarem Faſtorum Romanorum auctoribus crucem fixiſſet in octenniis civilibus Græcorum ac Latinorum cum Cælo æquandis; ea per Cæſaris Cyclum reddi poterat expedita. Nam octauus quiſque annus ſuopte ingenio intercalat nonaginta dies, cùm literam hujus Cycli mutat in conſequentes, ordine recurſuro intra periodum annorum 152.; qui ſcilicet numerus provenit ex octo literis iſtius Cycli ductis in 19. annos periodi Metonicæ, ut ſit annus magnus ex 152. vertentibus conſtans, ac duplus Calippici; quemadmodum Victorianus componitur ex 532.; ductis ſcilicet 28. Cycli Solis (quæ eſt literarum 7. Dominicalium per Biſſextilium ſedes 4. iterata ſumma) in 19. intervalla Metonica Cycli Lunaris. Sive igitur Arcadum, à quibus Palatini montis accolæ vetuſtiores, ſive Acarnanum, ſive Græcorum anni Lunares eſſent à Cyclo Cæſaris exponendi; conſtat, elegantiſſimè id præſtari per tabellam 152. annorum, Cycli Juliani literis inſignitam.

19. annus Meton.
8. Octaeteris.

Cyclus 152. Iulianus.

7. liter. Domin.
4. ſedes biſſext.

Cyclus 28. Solis.
19. ann. Meton.

252.
28.

Cyclus 532. Victorianus.

In hac annorum vertentium ſerie, tum præcipuarum anni partium, ſeù tempeſtatum trimeſtrium, & ſemeſtrium, Lunarumque ſede indicanda Macrobio præiverat Cenſorinus, ita ſcribens in aureo opuſculo *de die natali* cap. XIX. *Item in Achaia Arcades trimeſtrem annum primo habuiſſe dicuntur, & ob id* προσέληνοι *appellati, non ut quidam putant, quod ante ſint nati, quàm Lunæ aſtrum Cælo eſſet: Sed quod priùs habuerint annum, quàm is in Græcia ad Lunæ curſum conſtitueretur.* Ejus rei originem altiùs repetit ab Ægyptiis, hæc ſubdens. *Sunt qui tradant, hunc annum trimeſtrem Horum inſtituiſſe, eoque Ver, Aeſtatem, Autumnum, Hiemem* ὥρας, *& annum dici, & Græcos annales Horos, eorumque Scriptores Horographos.* Rectè id quidem; nam & annus, & Sol, HORVS appellati, nomen derivarunt ad quatuor anni partes, ſeu tempeſtates, & ad partes diei duodecim, totidemque nocturnas, ut Macrobius narrat. *Apud eoſdem*, nempe Ægyptios, ait, *Apollo, qui & Sol, HORVS vocatur: ex quo & HORAE viginti quatuor, quibus dies noxque conficitur, nomen acceperunt, & quatuor tempora, quibus annuus orbis impletur, HORAE vocantur.* Hinc etiam Græci Horas aliquando tres, & cum Themide earum matre quaternas, ut plerique poetarum numerant, aliquando quadruplices, ut Philoſtratus Lemnius eas diſtinguit in vernas, æſtivas, autumnales, & hy-

Macrobius Saturnal. lib. primo cap. 20.

Vide Pighium in lib. Themis Dea pag. 113. & ſeqq.

bernas, ternario quater iterato, pro Lunationum numero, quæ trimeſtrem illum annum conſtituunt, tàm diei quàm anni partes pulcherrimè dividentes, ſtatuerunt cum Homero Cæli janitrices; Jovis filias; aliis verò Sole natas, aut Libero patre, qui & ipſe Sol eſt, & Parcarum ſorores, & Charitum, cum quibus choreas ducunt; Solis aſſeclas cum Ovidio, & Junonis in corona (hoc eſt anni Lunaris ſymbolo) inſculptas à Polyclete Mycenis; quin etiam circa Jovis Olympii caput (unde ſcilicet annorum, qui magni dicuntur, ratio toti Græciæ petenda fuit) collocatas memoravit Pauſanias. Iiſdem commune ſacrum fuiſſe cum Sole in Pyanepſiis, ac Thargeliis antea innuimus: præterea templum antiquiſſimum Amphictyonis ævo conſtitutum: in quo ipſe addidit aram Baccho recto, uti Athenæus prodidit libro 2. & 4. Demum elegantiſſimus nummus ex ære maximo percuſſus imperante Commodo univerſam hanc partitionem anni in tempeſtates ſive HORAS quatuor, per totidem puellas, magno in Orbe ſaltantes, & conſertis manibus ſe invicem amplexantes, exhibet; Jove cum ſceptro Orbem regente, præeunte autem Harpocrate, hoc eſt Sole cum accenſa face, & admoto labris digito, ut moris eſt: prout alii nummi FATIS VICTRICIBVS inſcripti apud Spanhemium, & Morellium, tres Parcas exhibent in Diocletiano, & Maximiano; alii tres Gratias ſe invicem complectentes apud eundem Morellium Tab. XIX., nec non apud Patinum, Triſtanum alioſque numiſmatum collectores: ut præteream reliquos frequentiores, qui puerulis quatuor exhibent anni tempeſtates cum epigraphe TEMPORVM FELICITAS Latinè, & Grecè FELICIA TEMPORA EYTYXEIC KAIPOI paſſim explicatos. Ex his enim colligitur Chronographia iſta nummaria, nec non illius interpres & comes, ſymbolica ethnicorum theologia. Ut enim Jovis, ſive Solis imagine annum Solarem pingunt, magnum aut vertentem; ità Junonis effigie annum Lunarem indicant. Solaris per quatuor pueros cum ſymbolis tempeſtatum in quatuor anni cardines reſolvitur. Idem exhibetur per Horas quatuor, puellas ſcilicet illas in Orbe ſaltitantes, quæ in nummo Commodiano obſervantur. At ſingulæ anni ſectiones tribus Lunæ circuitionibus perficiuntur: quæ tres dicuntur HORAE poetarum, earumve ſorores tres, ſive CHARITES ſint, ſive PARCAE, quandoquidem in nummis, æquè ac in altaribus ethnicorum, & in Corona Jovis, ac Junonis, una cum Gratiis Parcæ, & Horæ proponebantur. Quæ ſi Jovis, aut Solis dicantur comites, ac filiæ; annum Solarem vertentem, aut magnum præſtant: ſi Junonis nutrices, & Proſerpinæ

ſociæ

Ovid. Metamorph. lib. 2.

Pauſanias in Corinth.

Pauſan. lib. 5.

Supra num. 2. hoc cap. ex Ionſt. & Selden. & Lydiat. ad Chron. Marm.

Athenæus lib. 2. & 4. Vide Meurſ. de Regno Athen. lib. 1. pag. 75.

Vide Tab. noſtr. 2. nu. 37. & 38.

Spanhem. diſsert. 9. de uſu & præſt. num. pag. 838. Morell. Tab. VI. num. ult.

Triſtanus in Commodo, & Morell. ſpecimen Tab. 12. num. 6.

Vide Tab. noſtr. 2. nu. 41. & 42.



Romę apud RR.PP. Carthuſianos

ſociæ vocentur, Lunaris anni quadrantem, imò & cujuſcumque periodi menſtruæ, ſive Lunationis partem quartam, hoc eſt hebdomadem referunt. A Philoſtrati verò imaginibus quater collecta hæc ternaria HORARVM, ſive CHARITVM, & PARCARVM Iovis coronam complent, hoc eſt anni circuitum ſolidũ præſtant, duodecim menſibus definitum, & diei noctiſque curriculum, ex horis duodecim conſtitutum: unde tam Solis comites, quàm Proſperinæ, hoc eſt Lunæ, ab eruditis poetarum fabulis dictæ ſunt. Præſtat univerſa cognoſcere ex inſpectione nummorum Tab. noſtra 2. num. 39. & 40.

Cum his igitur nummis, præter Cenſorinum paullò ante relatum, Macrobio facem prætulerat etiam Solinus, Polhyſt. cap. 2. (nam eruditis placet utrumque iſtorum auctorum eſſe antiquiorem Macrobio). *Ante Auguſtum Cæſarem*, inquit Solinus, *incerto modo annum computabant: qui apud Ægyptios quatuor menſibus terminabatur, apud Arcades tribus, apud Acarnanas ſex &c.* Quem in locum Joannes Camers obſervat, id etiam à Plinio traditum lib. 7. cap. 48. *Annum enim*, ait, *alii æſtate unum determinabant, & alterum hyeme. Alii quadripartitis temporibus, ſicut Arcades, quorum anni trimeſtres fuere. Quidam Lunæ ſenio, ut Ægyptii &c.* & paullò poſt: *Etenim ipſi Ægyptii utuntur anno quandoque menſtruo, ſæpe bimeſtri, non raro trimeſtri, ſæpe quadrimeſtri, nonnunquam ſolari*. Video quod ſibi velint tam diverſæ annorum menſuræ, ab Auctoribus memoratæ, menſtruæ ſcilicet, bimeſtres, trimeſtres, ſemeſtres, & anni ſolidi lunares, & ſolares, tum vertentes, tum magni. Vocis derivatio rudi ſæculo illuſit. Ut annus, qui Ægyptiis HORVS, partes anni HOROS, & HORAS appellavit; ita & partium ſectiones hoc eſt *menſes*, ſive quamlibet Lunam eodem nomine potuit inſignire: præſertim cum etiam partes diei, ne dum menſis, HORAS nominaverit. Quemlibet igitur circuitum cæleſtem HORVM & ANNVM (nam & Latina vox circulum ſonat apud etymologos) dixerunt: parteſque ejus circuitus HORAS. Unde & menſtruus annus à Lunæ revolutione, & bimeſtris, trimeſtris, aut plurium menſium, prout in verbo ludere antiquis placuit. Sive etiam contigit, ut annus Solaris, aut Lunaris ſolidus, *HORVS* & *ANNVS* haberetur. Verùm cùm anni civilis initia à diverſa parte Solaris circuli variis gentibus peterentur; HORA illa annum civilem inchoans, peculiarem quodammodo ſciſcere ex anno vertente videbatur. Unde & annus *vernus*, *æſtiuus*, *autumnalis*, *hybernus* à variis populis ex *Hora* principe potuit appellari. Conſulantur auctorum teſtimonia ab Eminentiſſimo Noriſio producta

Plutarch. Sympoſ. quæſt. pag. 677. Antipater verò Socius noſter ajebat priſca Græcorum lingua annos fuiſſe HOROS dictos.

ćta diſſ. 1. cap. 2. de Epochis Syromaced., potiſſimè verò Simplicii locus in comment. ad lib. 5. Phyſic. Ariſtot., ubi ait: *quæ verò à nobis ſtatuuntur initia anni quidem circa ſolſtitium æſtiuum apud Athenienſes; vel circa Æquinoctium autumnale, velut in Aſia ſic modò dicta; vel circa brumam, quod Romanis; vel denique ineunte vere, quod Arabibus & Damaſcenis in uſu eſt.*

Supra num. 2. hujus Capitis.

His ergo trimeſtribus Horis, quarum erat religio Solis cultui & cognata & æqualis, literæ Cycli Cæſaris diem civilem aſſignant. Binis quoque partibus anni Lunaris literæ certæ, atque ex iiſdem dies tribuuntur: quibus propterea indicibus tum Acarnanes, tum Delii, tum Amphictyones ſtata ſacra, & conventus peragere recepto Cæſaris Kalendario poſſent. Delphis pariter in fano Tithoreæ Iſidis, quod templorum omnium religione ſanctiſſimum, quotquot Græci Ægyptiæ deæ conſecrarunt Pauſanias aſſerit, nundinæ illæ Æquinoctiales deſignari poterant, quæ binæ quotannis peragebantur, Vere, & Autumno.

Pauſan. lib. 10. pagina 675.

Vide Scaligerum de Emend. temp. lib. 4. pag. 247.

Hebræorum Tekuphæ (ne de Solis ethnicorum ritibus ſermo ſit dum in Kalendario verſamur) prout etiam illa, quæ in Attico Parapegmate vocantur κέντρα, κέντρον, θέρινον κέντρον μετοπώρινον &c. ſive anni quadrantes, quales hodie ab iiſdem Judæis obſervantur, uti apud Scaligerum traditur, his quidem literis reddi non poſſunt; propterea quòd Tekuphæ, & κέντρα ſint partes anni Solaris; Cyclus verò Cæſaris per literas ſuas numeret ætatem Lunæ. Verùm ſi ævo Juliano aliæ fortaſſis Tekuphæ anni lunaris, triplici menſe ſynodico finiendæ, in uſu fuerant; eædem quæ ſupra ordinatæ ſunt literæ, quatuor hujuſmodi Lunas principes cujuſque tempeſtatis poterant indicare. Ut enim tempora quatuor, ſive Tekuphæ, & κέντρα annum Solarem dividunt; ità lunarem partiuntur totidem triades Lunationum, adjectâ ſuis locis quartâ, quæ emboliſmicam reddat eam tempeſtatem, cui attribuitur. Qua de cauſſa fortaſſe placuit aliquibus *Horas tres* inſculpere Junonis ſerto, aliis adiicientibus *quartam*. Quin & ipſa Juno, apud Stymphalios à Temeno educata, cui fana tria, cum totidem cognomentis nutritius ille dicavit, vocans *Puellam* Παῖδα dum Virgo eſſet; Jovi jàm nuptam *Adultam*, ſive Τελείαν; *Viduam* denique, ſive Χήραν, cùm divortio à Jove facto Stymphalum ſe recepiſſet, quantum aſſequi conjectura licet, vix indicat aliud, quàm, Temenum anni Lunaris inſtitutorem eâdem arte duxiſſe Junonem per tres ætatum gradus, *pueritiæ*, *adoleſcentiæ*, ac *maturitatis*, qua arte Ægyptii quoque Solem *puerum*, *adoleſcentem*, *virum*, ac *ſenem* per quatuor anni cardines, ſive Horos, circumduxerunt.

Pauſanias in Arcadicis.

Vide infra cap. ſequenti num. 8.

Uni-

Univerſis igitur annis ejuſmodi, ad certas utriuſque luminaris ſedes pro diverſa populorum ſuperſtitione, & uſu, numerandis unicus C. Cæſaris Cyclus par eſſe poterat: ut patria ſacra, pompas, conventus ad certam diem præviderent ex octo literis, quæ aſpectus Lunæ ac Solis tanta cum elegantia, & veritate, ac facilitate diſtinguunt.

6 Verùm probavi hactenus de peculiaribus populorum annis vertente minoribus, utpote ejuſdem partibus. Demonſtranda nunc eſt Cycli Cæſaris facilis applicatio etiam majoribus annis, quibus Eleuſinia magna, Olympia, Pythia, & hujuſmodi periodica feſta fuerant ex Cyclo indicenda ad certas Lunæ phaſes, & adſpectus Solis, in data anni parte, vel Cęli ſigno verſantis. Audiendus de hujuſmodi annis eſt Cenſorinus. *Veteres*, inquit, *in Græcia Civitates cùm animadverterent, dum Sol annuo curſu orbem ſuum circuit, Lunam interdum duodecies, interdum terdecies exoriri, idque ſæpe alternis fieri, arbitrati ſunt, lunares duodecim menſes, & dimidiatum ad annum naturalem convenire. Itaque annos civiles ſic ſtatuerunt, ut intercalando facerent alternos duodecim menſium, alternos tredecim: utrumque annum ſeparatim vertentem, junctos ambos annum magnum vocantes: idque tempus* trieterida *appellabant, quòd tertio quoque anno intercalabatur, quamvis biennii circuitus, & revera* dieteris *eſſet; unde myſteria, quæ Libero patri alternis fiunt annis, trieterica à poetis dicuntur: poſtea cognito errore hoc tempus duplicarunt, &* tetraeterida *fecerunt; ſed eam, quòd quinto quoque anno redibat*, pentaeterida *nominabant: quia annus magnus ex quadriennio commodior viſus eſt, ut annus Solis conſtaret ex diebus trecentis ſexaginta quinque, & diei parte circiter quarta, quæ unum in quadriennio diem conficeret. Quare agon in Elide Jovi Olympio, & Romæ Capitolino quinto quoque anno redeunte celebratur. Hoc quoque tempus, quod ad Solis modò curſum, nec ad Lunæ congruere videbatur, duplicatum eſt, &* octaeteris *facta, quæ tunc enneaeteris vocitata: quia primus ejus annus nono quoque anno redibat. Hunc circuitum* verum annum magnum *pleraque Græcia exiſtimavit, quòd ex annis vertentibus ſolidis conſtaret, ut propriè in anno magno fieri par eſt. Nam dies ſunt ſolidi uno minus centum, annique vertentes ſolidi octo. Hanc octaeterida vulgò creditum eſt ab Eudoxo Cnidio inſtitutam. Sed hanc Cleoſtratum Tenedium primum ferunt compoſuiſſe, & poſtea alios aliter: qui menſibus variè intercalandis ſuas octaeteridas protulerunt: ut fecit Harpalus, Nauteles, Mneſtratus, item alii, in quîs Doſitheus: cujus maximè octaeteris Eudoxi inſcribitur. Ob hoc*

Cenſorin. de die nat. cap. 18.

multæ

multæ in Græcia religiones hoc intervallo temporis ſumma cærimonia coluntur, Delphis quoque ludi, qui vocantur Pythia poſt octauum annum olim conficiebantur. Proxima eſt ad hanc magnitudinem quæ vocatur dodecaeteris *ex annis vertentibus duodecim. Huic* anno Chaldaico *nomen eſt: quem Genethliaci, non ad Solis Lunæque curſus, ſed ad obſervationes varias habent accommodatum; quòd in eo dicunt tempeſtates, frugumque proventus, ac ſterilitates, item morbos circumire. Præterea ſunt anni magni complures; ut* Metonicus, *quem Meton Athenienſis ex annis undeviginti conſtituit, eòque decaennaeteris appellatur, & intercalatur ſepties: in eoque anno ſunt dierum ſexmillia, & CCCCXL. Eſt & Philolai Pythagorici annus ex annis quinquagintanovem: in quo ſunt menſes intercalares viginti & unus. Item Calippi Cyziceni ex annis ſeptuagintaſex: ità ut menſes duodetriginta intercalentur: & Democriti ex annis octogintaduobus, cùm intercalares ſint perinde vigintiocto: ſed & Hipparchi ex annis trecentiſquatuor, in quo intercaletur centies decies bis. Hæc annorum magnitudo eo diſcrepat, quòd inter Aſtrologos non convenit, quanto vel Sol pluſquam trecentoſſexagintaquinque dies, in anno conficiat, vel Luna minus quàm triginta in menſe.*

Hactenus Cenſorinus: qui cùm referret diſcrepantiam hanc inter Aſtronomos in definiendis temporibus circuitionum Solis ac Lunæ, viſus eſt indicare, quo conſilio Harpocratem, Solis ſymbolum (uti poſt Macrobium juſto volumine demonſtravit eruditè Cuperus) digitum labris admoventem Ægyptii deſcripſerint, & arcana myſteriorum Iſidis, Oſiridis, Liberi patris, Cereris, Proſerpinæ, aliorumque deorum, quos conſtat ad Solem ac Lunam eſſe referendos, ſilentio occultari præceperint tàm ipſi, quàm Græci, & Syriæ atque Aſiæ coloni: cùm ſcilicet vagiente adhuc Aſtronomia, & accuratis obſervationibus deſtitutâ, non poſſent luminarium periodi certè definiri & ad civilem uſum in publicis ſacrificiis, conventibus, ac tabulis ordinari. Proxima tamen fuit methodus anni Juliani ad omnes ſuperiorum ætatum annos, quos vocant magnos ſatis accuratè exhibendos certis legibus literarum & colorum, è Kalendarii parapegmate deſcribendis, ut modò oſtendam.

Dieterides in Enneadeaeteride.

anni	Impares	anni	Pares.
1	A 1		
			C 3
3	A 2		
		4	C 4
5	A 3		
		6	E 1
7	A 4		
		8	E 2
9	B 1		
		10	E 3
11	B 2		
		12	E 4
13	B 3		
		14	G 1
15	B 4		
		16	G 2
17	C 1		
		18	G 3
19	C 2		
1	A 1 &c.		

7 Dieterides iſtæ Liberi patris, & quadriennia Olympiaca, tum Pythicæ ogdoades annorum in Cyclo Cæſaris ictu oculi inveniuntur. In Tabula, quam ex Kalendario collegimus cap. 3. numero 4., liquidò apparet conſequutio dieteridum ex literarum ſerie non interrupta; ſi alternis anni ſumantur. Fluent enim in periodi Metonicæ annis imparis numeri per literas adhæ-

adhærentes; in paribus annis per alternas, ut marginis exemplum demonſtrat. Fit enim Cyclus annorum 19. ſive annus Metonicus: qui ut abſolutus fuerit, eaſdem literas inſtaurabit in Cyclo Cæſaris. Duplicato Cyclo Metonico anni, qui pares in ſerie naturali ſunt, pares quoque recurrunt in enneadecaeteride.

Olympiades in enneadecaeteride.

anni Impares.		Pares.
1 A 1		
	—	2 C 3
5 A 3		
	—	6 E 1
9 B 1		
	—	10 E 3
13 B 3		
	—	14 G 1
17 C 1		
	—	18 G 3
3 A 2		
	—	4 C 4
7 A 4		
	—	8 E 2
11 B 2		
	—	12 E 4
15 B 4		
	—	16 G 2
19 C 2		
		1 A 1

Quadriennia, ſive Olympiades, & Agones Capitolini, extrahuntur ex literis dieteridum alternis ſumptis: Periodus parium & imparium non reſtituitur poſt alterum Cyclum Metonicum, ſed poſt Metonicos quatuor: hoc eſt metitur exactè annum magnum Calippicum ex vertentibus 76., ut in marginali ſerie exhibemus.

Ogdoadum erit par diſciplina, duplicato attamen numero annorum Calippicorum; ut fiat ſumma vertentium 152. quæ ſunt Metonicæ periodi octo: pro numero ſcilicet literarum Cycli Juliani.

Ogdoades in Enneadecaeteride.

Impari.	Pari.
1 A 1 9 B 1 17 C 1 anni 19	6 E 1 18 C 1 anni 38
3 A 2 11 B 2 19 C 2 anni 57	8 E [illegible] 16 G 2 anni 76
5 A 3 15 B 3 anni 95	2 C 3 10 E 3 18 G 3 anni 114
7 A 4 15 B 4 anni 133	4 C 4 12 E 4 anni 152

1 A 1 &c.

Dodecaeterides Chaldæorum accommodatæ non ſunt ad Solis Lunæque curſus, ut Cenſorinus admonuit; ſed tantùm ad alias obſervationes Genethliacorum: adeoque locum non obtinent in Kalendario aut in Cyclo: & ceteroqui revocari facilè poſſent ad Olympiadas tertio quoque loco occurſuras.

Mirum itaque videri non debuit, quòd tanto conſenſu Romani orbis recepta fuerit anni ordinatio Juliana à Phoenicibus, Ægyptiis, Græcis; quum iiſdem intacta præſervaret ſacra domeſtica, & brevi compendio literarum Cycli lunaris, propoſiti in parapegmate, exhiberet legitima tempora ludorum, certaminum, & feſtorum, juxta uniuſcujuſque gentis receptos mores.

8 Non equidem negaverim, Cæſarem morte præventum, paucis admodum Pontificibus aperuiſſe concinnam hanc methodum Cycli Luniſolaris, quam publico in parapegmate propoſuerat. Contigerit id, ſive ex incuria auditorum, ſive ex civilium armorum motu univerſa turbante, ſive etiam cauſſa declinandæ ejus invidiæ, quam Cn. Flavius Scriba olim incurrerat, cùm Patribus invitis (teſte Macrobio) in omnium notitiam Faſtos proderet; dubium non eſt, Pontifices minores non bene tenuiſſe Chronologicum ſyſtema Cæſaris; cùm impegiſſent illicò in eum ſcopulum, quem ipſis objecerat ratio biſſextilis inſerendi, licet adeò parata, & aperta. *Totis annis ſex & triginta, proximis à Juliana inſtitutione, peccatum eſt; donec errorem deprehenſum Auguſtus reformavit, iuſſitque annos XII. ſine intercalatione decurrere, ut tres illi dies, qui ultra novenarios fuerant intercalati, hoc modo poſſent repenſari. Ex qua diſciplina omnium poſtea temporum* fun-

Macrob. Saturn. lib. primo cap. 15. pag. 322.

Solin. polhyſt. & Cenſorin. de die nat. Vide etiam Macrob. lib. primo Sat. cap. 14.

fundata ratio eſt. Non itaque mirari oportet hujus Cycli elegantiam fuiſſe apud ſequiores ætates penitus ignoratam; cum proximè poſt Julium auctorem ipſa biſſexti ratio, licet facilis, ſimplex, ſibique conſtans, luxata nihilominus fuerit incuriâ ſacerdotum. Mutilum illud fragmentum tituli, Cæſaris Kalendario præfixi, me ſatis docuit concinnitatem *Cycli Luniſolaris Octagrammi*, in Kalendarii Juliani parapegmate, per *octo literas*, & quatuor colores abundè, ut arbitror, explicatam.

9 Eandem puto ſubolviſſe Græcis, Ægyptiis, Syris. Indicium profectò cepi ex nummis eorundem, proximè cuſis poſt annum ab Auguſto iterum ordinatum. Nihil verò prohibet, quin hæc explicemus capite ſubſequenti: ubi proferenda erunt illa, quæ de quaternis Cycli coloribus meditabar.

10 Claudere tamen oportet capitis iſtius ſummam ejus calumniæ propulſatione, quam comminiſci fortaſſe velit non nemo criticorum contra ſubtiliorem hanc methodum Lunaris Cycli; ſi cui placeat minus id probare, ut in civili parapegmate deſcribendo vetuſtioribus illis politicæ Chronologiæ auctoribus tanta diligentia tribuatur. Hanc ego ſolertem curam duplici exemplo aſſeram: quo legislatorum & civium ſtudia patêre poſſint in ſubtiliori diviſione, & harmonia temporum retinenda. Narrat Plutarchus in Solone populi Athenienſis partitionem longè vetuſtiſſimam; quam Suidas referri docet ad anni diſtributionem in partes: ut conſtet, antiquos illos Græciæ parentes, non tabulas modò & parapegmata, ſed populum ipſum feciſſe patriæ Chronologiæ ſimulacrum. Audiendus Dodvellus in recentiſſimo opere de Cyclis veterum, rem univerſam ità colligens ex Suida, & Plutarcho; ut multò nitidiùs proferat hanc partitionem: quam Sigonius lib.2. de Republica Athenienſium, & Joannes Meurſius duobus prioribus libris de eodem Regno conſcriptis, obſcuram quodammodo reddunt, & involutam.

Diviſio reſpicit Prytanias (quæ comparantur Comitiis Romanorum tributis), nec non gentium ſynodos, juxta quas erant ſacra familiaria obeunda, ut ſingulæ miniſterium ſortirentur. *Accuratiùs*, inquit, *diſtinguendus eſt, quàm factum hactenus à Chronologis, hic ipſe annus Prytanitarum. Nec enim ſemper idem erat Prytaniæ modus, nec idem proinde eſſe potuit dies anni, qui numerum eundem tenebat in Prytaniis*. Quatuor *enim tantummodo* tribus *à Solonis tempore obtinebant*: Α'ργικορεῖς, Α'ργαδεῖς, Τελέοντες, Ο'πλῖται: *quas etiam ipſas Solone longè antiquiores eſſe ferunt; ab Ionis enim filiis illas, quas diximus, traxiſſe dicuntur appellationes. Imò à Cecrope, Cranao,*

Dodvell. de Cyclis veterum diſſert. 3. cap. 3. pag. 185.

Plutarch. in Solone.

nao, & Erichthonio illas, variis tamen per illa tempora nominibus inſignitas, deducit Pollux. Et ab Ionis filiorum tempore Pollux lib.8. cap.9. num.31.
illis ipſis, quos dixi, titulis, non Pollux modò, verùm etiam Plutarchus. Has rurſus tribus ſingulas in tres *diſpeſcebant* partes, *quas* φρατρίας *à puteis communibus, vel à numero* τριττύας *appellabant. Rurſus* ναυκραρίας quatuor *in* τριττύι, Pollux ibi num.30.
& proinde in tribu duodecim *numerabant, qui poſteris* δῆμοι *audiebant.* Τριττύας *iterum, ſeu* φρατρίας, *quæ etiam* ἔθνη, *in* γένη triginta *dividebant,* ἐξ ἀνδρῶν τοσούτων, *quod ſcilicet nomina* familiæ *illæ è* viris *familiarum* auctoribus *acceperint, quem etiam* Judæorum *morem fuiſſe Sacræ literæ teſtantur &c.* Tum pluribus interpoſitis teſtimonium proferens è Suida, quod indicat, è *Phratriis* ſive *Curiis* ſingillatim diviſis in *gentes triginta* ſorte ductos, quibus contingeret ſacerdotio perfungi, hæc habet. *Sed ſacrorum familiarium illæ fuiſſe videntur* γεννητῶν σύνοδοι. *Sic enim Suidas:* πάλιν δὲ τῶν φρατρειῶν ἑκάστη εἰς γένη διῄρητο τριάκοντα. ἐξ ὧν ἱερωσύναι Suidas in voce
ἑκάστοις προσήκουσαι ἐκληροῦντο *Idem docet* pro anni ratione illas fuiſſe partitiones: *nempe quatuor Anni* tempeſtatibus *reſpondiſſe* tribus *ſimiliter quatuor*; menſibus *autem duodenis* φρατρίας, *vel* τριττῦς *ipſas quoque* duodenas, diebus *autem menſium tricenis (ſic enim jam ſupra oſtendimus numeratos fuiſſe* menſium *etiam* cavorumdies exemptiles) γένη tricena.

Alterum exemplum civilis Chronologiæ juxta ſiderum motus expanſæ profert antiquus auctor Proclus in Chreſtomathia apud Photium codice CXXXIX.: ubi recitat ſacrum, à Boeotis peractum Apollini Iſmenio, & Galaxio, ſive Loxio, ut Scottus emendat, per ſingula octennia, ſive octaeterides: quas Græci, utrumque extremum in numerando complexi, enneaeteridas, appellarunt. Hoc etiam pertinet ad Cycli illuſtrationem, cùm utrumque annum, vertentem & magnum, ejuſque partes expandat. *Parthenia, inquit, quæ dicuntur virginum Choris adaptabantur, ſub qua etiam Daphnephoria, quaſi ſub genus cadunt. Lauros enim* nono quoque anno (*Græcè habetur* δι' ἐνναετηρίδος) *ad Apollinis ſacra inferentes ſacerdotes hymnis eum per virgineos choros celebrabant. Cujus hæc cauſſa redditur &c. Hæc Daphnephoria oleagineum lignum lauris coronant, variiſque floribus exornant: cujus in apice ænea ſphæra impoſita: ex hac minores dependent: medio verò ligno purpureæ coronæ adaptantur, minores etiam quàm quæ ſummo faſtigio impoſitæ. Imam verò ligni partem circumveſtiunt crocotula* (κροκωτῷ). *Significat autem ipſis ſuprema quidem ſphæra* Solem, *quo Apollinem deſignant: huic verò*

ſubjecta Lunam *ſignificat. Globuli verò appenſi Stellæ & aſtra ſunt.* Coronæ annuum curſum *ſignificant* : trecentas *enim* & ſexaginta quinque *conficiunt. Præeſt autem Daphnephoriis puer patrimus & matrimus, cui maximè conjunctus geſtat coronatum lignum, quod* κωπὼ *ipſi vocant. Daphnephorus verò ſequitur tangens laurum : comis quidem demiſſis & fluxis, aureaque corona redimitus, ſplendidaque veſte & talari indutus, calceiſque, quos ab Iphicrate Iphicratidas Græci vocant. Hunc virginum chorus comitatur, ramos ad ſupplicationem, quæ hymnis celebrabatur, prætendens. Mittebant autem laurigeſtationem ad Apollinis Iſmenii & Galaxii fanum. Scottus in margine addit, fortaſſe* λοξίᾳ *Loxiæ* : & apta quidem conjectura; hoc enim Apollinis cognomentum, quod *obliquum* ſonat, ità Macrobius interpretatur auctoritate Ænopidis, ut intelligat profectum *à Solis obliquo circulo, quo ab occaſu ad orientem pergit* : quo ſcilicet peracto annus eſt; ſive, ut Cleates ſcribit apud eundem Macrobium, *quod tranſverſos in nos à meridie immittit radios, cùm ſimus ad ipſum ſeptemtrionales*; ſive demum quòd à Cancri Tropico, unde Græcorum anni putantur, obliquior nobis juxta Cleatis obſervationem incipiat ſolaris radius incidere, adeoque jure vocetur Apollo Loxias, ſive *Sol obliquus*, Græci anni caput, & cardo civilis Chronologiæ. Verùm accedere jàm oportet ad hæc myſteria temporum è nummis petenda, quod paullò ante promiſeram me capite ſequenti facturum.

Macrob. Satunal. libro primo cap. 17.

CAPUT QUINTUM.

Cæſariani Cycli diſpoſitio, & colores, Feſtis, Ludis, cæremoniis ethnicorum, ad Solares, ac Lunares motus plerumque aptatis, ex numorum fide reſpondent.

SUMMA CAPITIS.

1 Feſta, ludi, pompæ apud ethnicos annalium vicem gerebant. 2. Conſenſus Feſtorum & Solis motuum adſtruitur numiſmatum indicio. 3. Numiſmata ſpectant ad coronas. 4. Iſtæ pertinent ad Solis, Lunæ, Cæli, pluriumque Stellarum cultum & converſiones. 5. Conjectu coronarum æquè ac numiſmatum

culta

culta numina, & viri bene de republica meriti, ac præ ceteris Imperatores & Magiſtratus. Conjectus nummorum videtur inductus ad ſupplendum conjectum coronarum. In coronis ſignacula, ac ſigilla, & imagines deorum, ac principum, nummos indicant. 6. Imagines deorum ut plurimum referendæ ad Solem ac Lunam, quorum ſiderum motibus feſta aptabantur. 7. Imagines Solis ac Lunæ in nummis aliquibus expreſſæ. 8. In aliis Sol & Luna variis numinum cognomentis, ſimulacris, & ſymbolis conſignantur, quæ eadem ſidera propiùs attingunt, potiſſimè circa Tropicos & Solſtitia. Probatur de Jano ac Junone apud Romanos. 9. Ægyptiorum Harpocrates Sol. Hujus ætates quatuor puerum, juvenem, virum, ſenem referentes, pertinent ad quatuor anni tempora, ſive Horos Ægyptios, & Græcorum Horas. 10. Jovis ætates diverſæ apud Græcos ac Romanos in idem recidunt, & nũmis illuſtrantur. Pan ſimiliter ab Ægyptiis ad Græcos ac Romanos retulit ætatem Solis diverſam, uti ex numiſmatibus colligitur. 11. Symbola deorum in nummis cuſa, hoc eſt ſerpens vel unicus, vel plures, Apollinis lyra, ſiſtrum Iſidis, baſis tetragona Mercurii, caducæum, & his affinia, quatuor anni tempeſtates, ac luminarium certa loca, & motus oſtendunt. 12. Zodiaci ſigna in nummis expreſſa, & aſteriſmorum extra Zodiacum figuræ pertinent ad anni partes, aut annum ſolidum indicandum. 13. Deorum ſymbola monetis hiſce coronariis conſignata dinumerantur, quorum pompas annuas, & ſacrificia reſpiciebant. 14. A numinibus ad Reges, ac Cæſares traducta dedicatio ludorum, coronarum, & numiſmatum pariter ac temporum. 15. Nummi præſertim percuſſi iis, qui annum ordinarunt: quibus etiam agones annui, & ſacra certamina dicabantur, & ludi, potiſſimè Circenſes apud Romanos. 16. Quorum colores quatuor, ut reliqua circi ornamenta, ad anni tempeſtates relata, Solis ac Lunæ periodos deſignant. 17. Quatuor colores Circenſium aptantur Cyclo Luniſolari in Cæſaris Kalendario.

1 TEmporum ſeriem duplici potiſſimum invento fuiſſe à veteribus conſignatam, eorundem ex monumentis colligimus. Ea verò ſunt *numiſmata*, & *ſacra publica*. Fuere quidem & libri elephantini, & libri annales, & ephemerides. Verùm antiquiora libris videntur Feſta: vel ſi nummi, agones, & ludi libris ætate concedant; iis certè communi uſu præſtare nemo inficiabitur, qui noverit, ad ſacerdotes paucos, vel etiam ad magiſtratus majores pertinuiſſe librorum curam (quandoquidem & libri cenſorii, præter annales Pontificum, occurrunt in Romana hiſtoria apud Halicarnaſſeum interprete Sylburgio, Dionyſ. Halicarn. lib. 1. pag. 60.

 quo-

quorum exemplaria per manus tradita in *illuſtrium* virorum familiis habebantur); ſacrorum verò certaminum, pomparum, ludorum, perinde ac numiſmatum copiam, omnibus paratam ac præſentem fuiſſe in circis, theatris, templis, eamque cuſtoditam populi teſtimonio, nempe cæremoniis, ac ſuperſtitione, mentita in ſpectaculis ac ludis illuſtre officium religionis.

2 Conſenſus itaque manifeſtus apparet inter *Feſtorum*, ac *Numiſmatum* ſymbola. Conſtat, utriſque voluiſſe populos ætatem metiri juxta cæleſtium corporum motus (Solis præſertim, ac Lunæ) & vario Luminarium recurſu diſtinguere ſpatia temporis, quo gens, civitas, princeps, magiſtratus, ſacerdotes, aut præteritorum eventuum memoriam teſtarentur, aut præſentium indicia poſteris traderent, aut munia vitæ neceſſaria obirent, cultum agrorum, meſſem, vindemiam, invocato Dei præſidio (non eo caſto ritu, quo à parentibus olim acceperant eſſe inchoandum, cùm ejus numine cuncta moveri, ordinarique ſentirent); ſed religionis vero cultu ſublato, & impiè traducto ad mendacia ſimulacrorum, converſione impia votorum ad magna mundi corpora, aut ad ſceleſtos genios, portenta ſcilicet deorum, quibus anni partes ſingulas infamarunt. Utrumque igitur inſtitutum, *Nummarium*, & *Heortaſticum*, dici quodammodo poteſt pars Chronologiæ politicæ illius gentis, ad quam nummus vel ſacrum pertinet. Inſtaurabantur enim ad certas Luminarium converſiones in Circo ac Theatro ludi, ſacrificia, pompæ: numiſmata verò diribebantur, ſpargebantur, ſive etiam conferebantur, duorum ſiderum ſymbolis plerumque conſignata: quæ facili ne-

S. Auguſt. de Civit. Dei lib. 6. cap. 5.

gotio coaleſcebant cum illa civili theologia, cujus indolem à Varrone indicatam S. Auguſtinus aperuit.

3 Cogitavi ſæpe, an uſus frequentior numiſmatum eſſet in hujuſmodi ſacris per vices temporum inſtaurandis. Memineram,

Livius lib. 7.

clavos annales in æde Capitolina confixos rudi adhuc ſæculo apud Romanos: quibus in cella Minervæ inventricis numerorum, ut ipſis libuit aſſerere, teſtatam facerent ſummam ætatis. Tenebam, in antiquiſſimo totius Aſiæ templo apud

Lucianus de Dea Syria pag. 1074.

Hierapolitas oblatum fuiſſe quotannis nummum à ſacrificulis, excipiente gallo ſacerdote templi cuſtode: qui ſignaculum imprimebat, anno proximo reſolvendum. Occurrebant paſſim in cimeliarchiis numiſmata Ægyptia, Syra, Græca, Romana, quæ annos Urbium, ac Regum, Epochas certas, agones, periodos, ſacra certamina diſertè numerant: & in aliquibus Imperatorum aut Regum quatuor anni tempeſtates, aut puerulis totidem, aut horis virgunculis, aut ſymbolis

variis

variis adumbrant, prout Aleander Junior doctiſſimè obſervat in explicatione tabulæ Heliacæ, & nos antea monuimus numero 5. capitis præcedentis, ac rurſus hìc exponemus numero 11. Nummi denique legebantur fauſti ominis tantùm indices in auſpiciis anni capiendis: quorum tres memorabat Bellorius, antiquarum rerum conſultiſſimus, dum celebrem illum exponeret ab immortalis memoriæ Regina Chriſtina ſervatum, & hiſce literis intra lauream inciſis conſignatum: S. P. Q. R. A. N. F. F. OPTIMO PRINCIPI PIO. *Senatus, Populuſque Romanus annum nouum fauſtum felicem Optimo Principi Pio*: quam explicationem expanſam videmus in antiquis fictilibus lucernis.

Hieron. Haleand. Iun. explic. Tab. Hel. pag. 52.

Io: Franc. Bellor. de Nummo Antonini Pii pag. 21. & 22.
Vide Tab. 1. num. 1.
Sanc. Bartol. Lucer. ant. part. 3. nu. 5. & Bellorius ſupra.

Nec deerat, ut conjicio, locus inſerendi numiſmatis in coronas illas, quibus ornati veteres Romani intererant ludis, aut ſacra faciebant; cùm ſatis appareat in protome Trajani marmorea, quernis foliis compacta, & in Capitolinis ædibus Senatus, Populique Romani hodie conſpicua, ſcutulum frontale, ſeu nummus inſignis, imminens fronti inter coronæ folia, & inſculptus Aquilæ ſigno, Jovem, ut arbitror, indicante. Ex Tranquillo enim conſtat, ut in ſacrificiis aſtitiſſe, ità in certaminibus præſediſſe coronatos, & imagines deorum, aut principum in coronis geſtaſſe. *In ſtadio enim*, inquit, *curſu etiam virginum certamini præſedit crepidatus* (Domitianus) *purpureaque amictus toga Græcanica, capite geſtans coronam auream cum effigie Jovis, ac Junonis, Minervæque: aſſidentibus Diali ſacerdote, & collegio Flavialium pari habitu: niſi quod illorũ coronis inerat & ipſius imago*. Unde & nummi frequentes inveniuntur perforati, aliquando etiam anſulis inſtructi ad appendendum elenchi more. Complura in hanc rem congeſſi, alio in opere fortaſſis edenda. Addo nunc, pleroſque nummorum fuiſſe conſignatos Solis ac Lunæ ſymbolis: quam inſtitutionem ad ſacros agones ſimul, & ad Chronologiam gentis pertinuiſſe mox aperiam.

Vide in Tabula noſtra ſecunda figuram.

Sveton. in Domit. cap. 4.

4 Sed, ne nimius in argumento videar, alibi opportuniùs pertractando, ſumma tantùm capita percenſebo. Nummos ferè omnes, præſertim æreos, pertinuiſſe ad coronamenta varia, eorundem ex typo colligitur: potiſſimè verò ex vetuſtiorum ſymbolis, origini ſuæ proximioribus. In Græcis ante Cæſarem paſſim inſculptæ coronæ, aut capita deorum coronata, aut victoriæ coronantes quadrigas, bigas, Minotaurum, victores, athletas, reges, civitates, aut provincias indicia ſunt manifeſta ſacrorum certaminum. Evolventibus Goltzii Siciliam, Magnam Græciam, Græciam, & Inſulas nihil occurrit frequentius. Numi æreí Cæſaris, poſt ejus mortem Auguſto

Vaillant. in Colon.

Vide Tabulam noſtram ſecundam num. 2.

imperante percuſſi, vix aliud quàm lauream coronam exhibent inſcripto nomine DIVOS IVLIVS. In Auguſti numiſmatibus pariter æneis Antiochia, Edeſſa, Theſſalonica, Mylatienſes, Nicopolis, & Coloniæ Cæſarea Auguſta, Bilbilis, Ebora, Julia Celſa, Nemauſus, Patricia, Traducta, & Turiaſo, prout in Tiberio Accitana, Ergavica, Segobriga, Tarracco, & Babba, coronam impreſſere cum ſimplici epigraphe, civitatis nomen exprimente, ſive annorum numerum: non ſecus ac reliquis deinde Principibus lauream coronam procudere cum titulo tribuniciæ poteſtatis, aut populorum & civitatum epochis ſolemne fuit. In nummis Romæ percuſſis frequens corona civica, præſertim in Auguſto, inſcripta OB CIVIS SERVATOS, aut Victoria, eidem Principi coronam imponens. In Tiberio Victoria pariter coronam præfert, utrimque poſita circa aram, quæ inſcripta legitur ROMAE ET AVGVSTO. Coronas verò non niſi Deo antiquitus datas, poſtea in deorum honorem à ſacrificantibus ſumptas tradit Plinius lib. 16. cap. 12.: ubi etiam addit. *Noviſſimè & in ſacris certaminibus uſurpatæ; in quibus hodieque non victori dantur, ſed patriam ab eo coronari pronunciantur. Inde natum, ut etiam triumphaturis conferrentur in templis dicandæ: mox etiam, ut ludis darentur.* Nummi regum Syriæ, & Ægypti, ac Cæſarum luculenter id probant, præſertim ex quo Ptolemæus Jubæ filius in numo apud Patinum coronam Auguſto inſcribit in numiſmate; & Herodes Rex ludos Ceſareæ, & Nicolaus Damaſcenus in patria ſua certamen quinquennale conſtituere ab Auguſti nomine dictum: iſte quidem vocans Sebaſmia, ut in ampla corona nummorum Philippi ſenioris aliorumque Principum apud Vaillantium videre eſt: ille verò Cæſarea, quæ etiam in nummis Tyri Actia Cæſarea inſcribuntur. Præterea & nuncupatio votorum, quam peragi à coronatis oportuit, ut apparet ex Tertulliano, *prima in Principiis, ſecunda in Capitoliis*, plerumque coronis exprimitur etiam in numiſmatibus, VOTA DECENNALIA, aut XX., & XXX. complexis. Ceterum coronam lauream ex Senatus Conſulto Roma cudit *a* Neroni: quernam *b* Claudio ſignant Cibiritani publicè ex Decreto Decuriorum: cum annorum notis Auguſto ac Tiberio Ægyptii *c*, Trajano Cyrrheſteni, Beroeenſes, Chalcidenſes: cum Periodi memoria nummus *d* Mamææ apud Patinum: templo circumpoſitam *e* Zeugmatenſes in Antonino: ab Aquila porrectam *f* Eleitæ in Hadriano, & *g* Col. Ulpia Pautalia in Severo: nomine civitatis inſcriptam pleræque paſſim Metropoles & Coloniæ, *h* Flavia, Samoſata Comagenes, *i* Flavii Chalcidenſes, *K* Hierapolitæ, Emi-

Vide Triſtan. Patin. Angelon &c. & Tab. 2. num. 3.

Vide Golzium in Sicil.
Vaill. in Reg. Syr.

Patin. numiſm. Cæſarum pag. 42.
Vide Tab. noſtr. 2. num. 4.

Vide Tab. 2. n. 12.

Tertull. in lib. de Cor. Milit.
Vide Tab. noſtrã 2. num. 22.

a Patin. num. Imp. pag. 112.
b Idem pag. 100.
c Pag. 184.
d Pag. 343.
e Pag. 223.
f Pag. 200.
g Pag. 282.
h Pag. 201.
i Pag. 202.
K Pag. 228.

TABVLA. I


1
2
ΠΕΡΓΑΜ
3
ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ
4
ΤΙΑΝΩ
5
6
ΚΑΡ ΜΗΤΡΟΠΟΛ ΚΟΛ
7
8
L H
9
10
11
L IH
12
ΛΑΙΤΩΝ
13
ΣΑΡΑ ΠΙΣ
14
ΠΟΣΕΙΔΩΝ ΙΣΘΜΙΟΣ
15
L H
16
17
18
19
20
HERCVLI ROMANO AVGV
21
RECEPTA ASIA
22
23
ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΠΑΤΡΟΥ
24
ΒΥΛ ΛΙΩ Ν ΩΝ


25
M COMMODVS ANTONINVS PIVS FELIX AVG BRIT
26
P M TR P XIII IMP VIII
TELLVS STABIL
COS V P P
27
CLAVD CAES AVG OCTAVIA AVG. NERO CLAVD
28
ΜΗΝΗ ΣΑΜΙΩΝ
29
ΣΕΒΑΣΤΟΜ
30
ΚΑΡΡ ΚΟΛΟ
31
32
IMP C ALLIENVS PIVS FELIX AVG
33
34
ΝΕΙΚΑΙΩΝ
35
36
37
38
COS IIII
39
40
ΠΕΡΙΝΘΙΩ Ν
ΝΕΩΚΟΡ
ΩΝ
41
ΕΠΙ ΚΟΥΑΔΡΑΤΟΥ
42
L H
43
44
ΛΕΟΝΤΟΠΟΛΕΙΤΩΝ
45
46
OB CIVIS SER
47
L H
48

TABVLA·II·



DIVOS IVLIVS
EX S C P P OB CIVES SERVATOS
REX PTOL
SC
C. CIB. D. D. PVBL.
S P Q R ADSERTORI LIBERTATIS PVBLICAE
VOT X MVLT XX
ΠΕΡΙ ΟΔΟΣ ΔΕΚΑΤΗ
ISTH MIA
CERT. SAC PER. OECV ME. ISELA
AELIANA PINCEN SIA
IMP. T. AEL. CAES. HADR. ANTONINVS AVG. PIVS
S P Q R A. N. F. F. OPTIMO PRINCIPI PIO
SAEC. AVR
BIZY ΗΝΩΝ
KOINONIA KPHTΩN
IOVI CRESCENTI
TAPCOY
NEΩKOPOC
COS. V. P. P
ΟΛΥΜΠΙΑC ΠΑΥ ΤΑΛΙΑC
VOTA PVBLICA
COS VIPP
S C
FATIS VICTRICIBVS
SMA
TEMPORVM FE LICITAS
ΕΥΤΥΧΕΙC ΚΑΙΡΟΙ

Emiſeni, [l] Laodiceni, [m] Sidetes [n], & Coloniæ antea numeratæ: ac ludorum peculiarium titulo inſignitam [o] Tripolitæ, qui memorant Latonia Pythia; [p] Tralliani, qui Olympia Pythia [q] Moeſi qui Æliana Pincenſia; [r] Nicomedienſes Demetria; [s] Sardiani Aſiæ communia; [t] Philippopolitæ Alexandrina Pythia; [u] Sidonii demum certamina Sacra Periodonica Iſelaſtica Oecumenica, eademque coronariis numiſmatibus dedicant.

5 Coronas itaque ludorum indices, aliorumque ſacrorum certaminum, quibus certa tempora ſignificarentur per Lunæ ac Solis periodos, non abs re fuit in nummis procudi: quaſi coronam anni (ut ſacræ etiam literæ appellant) conditori temporum Deo eſſe offerendam ex antiqua conſuetudine teſtarentur. Quare & Stephanephori ludis præſidentes ex officio coronæ geſtandę leguntur in nummis: & quidem eo labente anno perpetuò geſtabant Stephanephori; cum Archieres, ſive Pontifices, aut ſacerdotes minores, coronarentur ſolummodò in ſacrificiis: tamquam priores illi deum referrent, cui dicabantur. Hinc etiam Tertullianus tantus invehitur adverſus coronamenta ethnicorum, in ludis ac ſpectaculis potiſſimum diſtributa: quippe quæ imaginem, aut teſſeram referrent illorum numinum, quibus addicebantur; diſtincta cùm eſſent certis indiciis idololatriæ, ut ipſe refert ex Claudio, & luculenter agnoſci poteſt ex appoſito ſignaculo, ſive frontali ornamento, ſatis evidenti in ſumma coronæ parte (ſive numiſma id cenſeatur, ſive lapillus dicendus ſit, deorum & Imperatorum imaginibus inſculptus), quod ſupra innuimus cum Suetonio: unde & coronarum conjectus mutatus videtur in oblationem ſtipis, ex praxi Auguſti, coronas nummo ſupplentis (licet à Claudio ſublatum nummi tamen obſignatione retenta), ex qua ſtipe ſimulacra deorum publicè dedicaret, potiſſimè cum offerrentur abſenti: prout inſcriptiones illæ declarant, quæ in Palatium Farneſianum tranſlatæ ſunt, & leguntur à pluribus Auctoribus editæ.

IMP. CAESAR DIVI F. AUGUSTVS
PONTIFEX MAXIMVS
IMP. XIII. COS. XI. TRIB. POTEST. XV.
EX STIPE QVAM POPVLVS ROMANVS
ANNO NOVO ABSENTI CONTVLIT
NERONE CLAVDIO DRVSO
T. QVINTIO CRISPINO COS
VOLCANO

LARIBVS PVBLICIS SACRVM
IMP. CAESAR. DIVI. F. AVGVSTVS
TRIBVNIC. POTEST. XVIII.
EX STIPE QVAM POPVLVS EI
CONTVLIT K. IANVAR. APSENTI
C. CALVISIO. SABINO
L. PASSIENO. RVFO COS

l Pag.230.
m Morell. ſpecim. ſupra num.4.
n Supra pag.42.
o Morell. ſpecim. Tab.14. Vide Tab. noſtram 2.
p Idem Tab.19.
q Tab.22.
r Vaillant. num. Græc. pag.438.
s Triſtan. tom.2. pag.96.
t Patin. pag.308.
u Spanhem. ep.2. ad Morell. pag. 121.

Vaill. de numm. Græcis pag.417. ex Platone in lib. de legibus.

Vide Protomen Trajani in Tabula noſtra 2.

6 Has

6 Has igitur gemmas & numiſmata deorum ſymbolis inſignita, quæ in ſumma corona aptabantur, geſtanda in ludis, & ſacris annuis, ſpectaculis, pompis, aſſero, ut plurimum, referri conſueviſſe ad Solem ac Lunam, ut denotarent exactum ſpatium curſûs eorundem aſtrorum, quo patria ſacra inſtaurari oportebat ex gentis illius inſtituto, quæ ludos edi curabat, & nummum percuti ludorum indicem.

a Morell. ſpecim. Tab.1.
b Golzius Græc. Tab.5.
c Idem Tab.27.
d Tab.14. Inſul.
e Tab.17.
f Tab.24.
g Græc. Tab.18.
h Tab.23.
i Tab.27.
K Inſ. Tab.1.
l Tab.6.
m Tab.26.
n Tab.27.
o Tab.1. Aſ.
p Tab.4.
q Tab. 1 Magn. Græc.
r Tab.37.
s Tab.19.
t Tab.15.
u Tab.23.
x Vaill. numi Græci.
Macrob. Saturn. libro 1. cap.17.

7 Equidem Solis ac Lunæ ſimulacrum, comata, aut radiata facie, diſco, meniſco, aut aſtro ad eorundem ſiderum ſpeciem inſignita, ac veluti tutulata, coronariæ huic monetæ inſculpere non Ægyptiis tantùm, Phoeniciis, aut Rhodiis ſolemne fuit, verùm etiam Aſiæ, & utriq; Græciæ, ut ex nummis a Pergamenorum, b Ambraciotarum, c Therntæorum, & iis quos fecerunt d Tenedii, e Delii, f Rhodii g Opontii, Locri, h Theſſalonica, i Byzantium, K Corcyra, l Cydoniatæ, m Carpatii, n Idalii, o Colchi, p Sinopenſes, q Arpani, r Maſſilienſes, s Tianei, t Neapolitæ, u Pandoſiani apud Golzium, & apud Vaillantium x Ancyrani, & Hadrianotheritæ. Solem verò ac Lunam, diverſis nominibus ac ſymbolis culta numina, pro gentium diverſarum inſtitutione nummi plerique referunt, ne Romanis quidem exceptis. Janum enìm geminum cùm exhibent nummi ærei Romanorum vetuſtiſſimi, Solem oportet intelligi, & anni caput à Numa conſtitutum.

Diſertè Macrobius non uno in loco Α'πόλλωνα Δ'ιδυμαῖον *vocant, quòd geminam ſpeciem ſui nominis præfert ipſe illuminando, formandoque Lunam. Etenim ex uno fonte lucis gemino ſidere ſpatia diei, ac noctis illuſtrat. Unde & Romani Solem, ſub ſpecie anni, Didymei Apollinis appellatione venerantur.* Annum & Annam, & quidem perennem à perennando, Janum & Janam, Deanum ac Dianam, Solem & Lunam dici teſtantur Auctores. Planiùs etiam exponit Macrobius cap.7. ac geminis conſequentibus. Cap.9. *Sunt*, inquit, *qui Janum eundem eſſe atque Apollinem & Dianam dicant*. Conſentit nummus argenteus frequens, relatus inter familias incertas à Patino: qui Janum utraque facie imberbem refert: qua ſpecie finxerunt plerumque Græci, ac Romani, Solem & Lunam; licet alibi Solem barbatum antiqui commenti ſint imitatione radiorum. Vulgaris eſt nummus Rheginorum eodem Jano imberbi conſignatus. Sequitur Macrobius. *Pronunciavit Nigidius Apollinem Janum eſſe, Dianamquè Janam, appoſita D litera, quæ ſæpe I literæ cauſſa decoris apponitur: ut reditur redhibetur, redintegratur, & ſimilia. Janum quidam Solem demonſtrari volunt, & ideò geminum, quaſi utriuſque januæ cæleſtis potentem: qui exoriens aperiat diem, occidens claudat:*

Vide Tab. noſtram 1. num.10.
Macrob. lib.primo cap.18.

Golzius in Magna Græcia.

dat : invocarique primum , cum alicui deo res divina celebratur , ut per eum pateat ad illum deum , cui immolatur , acceſſus , quaſi preces ſupplicum per portas ſuas ad deos ipſe tranſmittat . Inde & ſimulacrum ejus plerumque fingitur manu dextera trecentorum , & ſiniſtra ſexaginta & quinque numerum tenens : ad demonſtrandam anni dimenſionem : quæ præcipua eſt Solis poteſtas . Hæc afferebat Macrobius juxta phyſicam Varronis , ut arbitror , theologiam . Juxta civilem verò gentis Romanæ Janum & Saturnum videtur in nummo componere eadem de cauſa, qua ex menſibus anni Romani poſtremum , hoc eſt Decembrem , Saturno ; principem verò Januarium Jano regi Numa ſacravit : niſi hoc ipſum habendum ſit ſolaris motus indicium , uti Plutarchus conjicit in quæſtionibus Romanis . *Conſidera* inquit , *an non potiùs Numa anni principium ſumpſerit noſtræ naturæ magis accommodatum . In univerſum enim in his quæ circulo circumaguntur naturâ nihil eſt primum , aut ultimum : ſed arbitrio hominum alius aliud temporis ſtatuit initium . Optimè verò qui poſt Solſtitium hybernum anni exordium faciunt , quando Sol progrediendi fine facto , convertitur , & ad nos curſum reflectit .* Redeo ad Macrobium . *Etiam illud in promptu eſt , quod poſteri quoque duos eis continuos menſes dicarunt , ut December ſacrum Saturni, Januarius alterius vocabulum poſſideret.* Verum & hoc ad Solem refertur : quem in Saturno coli probat Macrobius pluribus argumentis . Saturno itaque , hoc eſt anno in ſenium vergenti , ſive Soli ad curſus annui terminum accedenti, Decembrem , & Saturnalia , & capitis bifrontis faciem ſenilem dicavit antiquitas . Adverſam verò , quæ Solem reſtituit ad initium circuli , uti exponebat Plutarchus , *Jano Apollini* ſimul & *Janæ* , hoc eſt *Lunæ* , ſive *Junoni* à novis Kalendis annum auſpicaturæ Numa ſervavit . Idem Macrobius inter Jani nomina *Janum Junonium* recenſens, *Junonium*, inquit, *quaſi non ſolùm menſis Januarii , ſed menſium omnium ingreſſus tenentem . In ditione autem Junonis ſunt omnes Kalendæ . Unde & Varro lib.5. rerum humanarum ſcribit, Jano duodecim aras pro totidem menſibus dedicatas .* Lib. primo cap. 9.

Neminem igitur dubitaturum puto , quin Jani imagine Solis ac Lunæ motibus ordinatam anni menſuram teſtarentur in nummis Romani : prout in reliquis Saturnaliorum ritibus Solem luculenter agnoſcere licet : puta cùm aras Saturnias accenſis luminibus excolebant , unde & cereos tunc miſſitare ſolemne fuit ad novam lucem ſignificandam : quemadmodum novo anno Romuli paullò ante Æquinoctium vernum ſolebant Veſtales ignem excitare collectis ſolaribus radiis . Auguſtus

Alex. ab Alex. Gen. dier. lib. 5. cap. 12.

ſtus verò etiam antiquos nũmos Saturnalium feſtis diſtribuere inſtituit, tradente Svetonio: uti è converſo ſtipem colligere Kalendis Januarii: è quibus Jovis, Volcani & Apollinis, hoc eſt Solis ſimulacra redempta vicatim eum dedicaſſe tum inſcriptiones paullò ante recenſitæ, tum hiſtorici tradiderunt. Nummos vetuſtos ab Auguſto Saturnalibus miſſitatos, uti etiam Jovis, Volcani, Apollinis ſimulacra ſtipe ſtrenarum abs ſe comparata, indicia ducerem ſacrorum, quæ avita ſuperſtitione Soli dicaverant variis appellationibus pleræque nationes. De ſimulacris peti ex Macrobio poteſt inter antiquos; inter recentiores ab Aleandro: de nummis oſtendere noſtra nunc intereſt, in his agnoſcendo Solis effectus varios plurium deorum ætate, cultu, & ſymbolis olim ſignatos.

Supra num.5.

Sueton. cap.57. vitæ Octav. Aug.

Aleander Tab.Heliacæ explic.pag. 44.

9 Harpocratem Ægyptii juvenem, imò puerum finxerunt: Solis utique effigiem, annos inſtaurantis. Et quidem videntur ſaltem poſt receptum annum Julianum hanc Solis ætatem auſpicati â brumali cardine, ut per conſequentes ad quartam deducerent Solem per quatuor anni tempeſtates. Macrobius. *Hæ autem ætatum diverſitates ad Solem referuntur, ut parvulus videatur hiemali ſolſtitio: qualem Ægyptii proferunt ex adyto die certa, quod tunc breviſſima die* paruvs & infans *videatur. Exinde autem procedentibus augmentis æquinoctio vernali, ſimiliter atque* adoleſcentis *adipiſcitur vires: figuraque* juvenis *ornatur. Poſtea ejus ætas ſtatuitur* pleniſſima effigie barbæ *ſolſtitio æſtivo: quo tempore ſummum ſui conſequitur augmentum. Exinde per diminutiones veluti* ſeneſcenti *quarta forma deus figuratur*. His nempe formis, quaſi per ætatis gradus deducatur, viſitur in nũmis *infans Hori lactenſis effigie*, cui Iſis porrigit mammam; mox adoleſcit in *puerum Harpocratem*, & in *adoleſcentem quadrigis vectum*, aut juvenem Liberum & Mercurium; tum in *barbatum numen flagello præditum*; denique in *Jovis* effigiem tranſmutatur, *barba rigentiori*, aut prolixiori, qua deformatur in Æſculapium, Plutonem, aut Neptunum: omnia in numiſmatibus paſſim extantia. Sed quatuor Solis ætates juxta Ægyptiorum analogiam inſimul refert nummus inſignis Bizyenorum ex ære maximo: ubi Sarapis, ſive Jupiter infernus, qui eſt Sol autumnalis, cum modio ac Cerbero, hinc habet Harpocratem, ſeu *Solem puerum*, inde trifaucem cerberum, & *adoleſcentem Anubim* canino capite, hoc eſt Mercurium ſeu *Solem juvenem*; præterea *Oſiridem* provectioris ætatis figuram in ea numinis forma, quæ Iſidi adverſa conſpicitur; demum ſeneſcentem annum in ipſo *Jove Sarapide*, qui numi obtinet centrum.

Macrob. lib. primo cap.18.

Vide Tab.2. nu.28. & ſequentib.

Apud R.P.Carthuſianos. Vide Tab. Tab.2. num.27.

10 Nam

10 Nam & Jovem referri ad Solis indicium, cui annus propterea ſacraretur, ante Macrobium admonuit Plutarchus. *Cur annum*, inquit, *Jovi, menſes Junoni conſecrant? An quod in deos inviſibiles, & ſoli intelligentiæ notos regnum obtinent Jupiter & Juno: in eos, qui conſpectui patent, Sol & Luna? Efficit autem Sol annum, Luna menſes. Neque ſimpliciter cenſendum eſt, hos iſtorum eſſe imagines; ſed ipſum in materia JOVEM ESSE SOLEM, ipſamque in materia JUNONEM ESSE LUNAM: ideoque Junoni nomen eſt à juveneſcendo: & Junonem vocant Lucinam, quaſi lucidam diceres: putantque eam in partubus auxilium ferre mulieribus, ut & Lunam: unde illud: per cæruleum aſtrorum polum, partus accelerantemque Lunam.*

In quæſtion. Rom. pag.282.

Hinc ethnicorum Jupiter, hoc eſt Sol anni moderator (ut ex menſuræ ſymbolo quod capite geſtat, quando eſt Sarapis Jupiter) non ſolum apud Ægyptios per ætatum diſcrimina ducitur; verùm & apud Cretenſes, ac Romanos puerili ſpecie in nummis oſtenditur, inſcriptis nomine JOVIS CRETAGENIS, & JOVIS CRESCENTIS: ubi ſcilicet exprimitur proximus Capræ nutrici, aut Capro inſidens, ut in numiſmate Gallieni, ad indicandum Solem in Capricorni ſidere lucis incrementa promoventem in noſtro hemiſphærio. Eidem *Jovi puero*, cum *Fortuna primigenia* culto, antiqui lapides inſcribuntur apud Gruterum fol. LXXVI.

Triſtan. tom. 2. pag 253.
Co. Mediobarb. ex Muſæo Illuſtriſs. & Reuerendiſs. Archiepiſc. Daviæ S. A. Nunc. S. M. C.
Vide Tab. 2. nu. 29. & 30.

FORTVNAE
IOVIS PVERI
PRIMIGENIAE
D D
EX SORTE COMPOS
FACTVS
NOTHVS RVFICANAE
L. F. PLOTILLAE

FORTVNAE
PRIMIGENIAE
IOVI PVERO
EX TESTAMENTO
TREBONIAE
SYMPHERVSAE
P. ANNIVS HERMA
HERES
L. D. D. D.

tum Jovi imberbi ſimulacra poſita in Romano litore declarat nomen AXUR vel ANXUR in nummis gentis Vibiæ conſignatum, quem puerum Servius facit, uti adnotarunt Scaliger, & Cuperus. *Circa hunc tractum Campaniæ* (ait Servius) *colebatur PUER JUPITER, qui ANXURUS dicebatur, quaſi ἄνευ ξυρᾶς, ideſt ſine novacula: quia barbam nunquam raſiſſet.* Eodem planè modo *Jovis imberbis* ſignum apud Eleenſes poſitum narrat Pauſanias: *quo etiam referendus eſt VEJOVIS ex Ovidii, Feſti, aliorumque ſententia*, indicante Cupero. JOVI JUVENI nummos cuderunt Pergameni apud Morelliũ,

Serv. ad Æneid. librum 7.
Scaliger. ad Feſtum. Cuperus in Harpocrate pag. 107.
Pauſan. lib. 5.
Cuperus vbi ſupra.

cum

Morelli ſpecim. Tabula prima.

Vide Tab. 2. num. 2.

cum appoſitis capitibus Solis ac Lunæ, anni caput ità exprimentibus: JOVI JUVENI. Numum inſignem ex ære maximo dedicat Commodus JOVI JUVENI P. M. TR. P. XIIII. IMP. VIII. COS. V. P. P. Jovem deinde patrem inter filios Caſtoras medium, hoc eſt Solem cum Geminorum ſidere verſantem circa Tropicum Æſtivum (ubi barbatus exprimendus Macrobio dicebatur) nummi complures, & quidem lectiſſimi proferunt denique Jovem Seniorē adjecto cognomento JOVIS AESCVLAPII, ΖΕΥΣ ΑΣΚΛΗΠΙΟΣ, ut latè deſcribit eruditiſſimus Spanhemius Epiſtola 4. ad Morelli ſpecimen addita pag. 221., obſignant Pergameni: ubi etiam Centauros δᾳδοῦχοι ſeu *faciſgeſtatores*, nempe ipſa *Æſculapii*, ac *Centauri* ſidera, ac *Serpentis* exponi ſatis credam, ſi dixero indicari aſtrorum poſitus, in quibus Sol per autumnum verſatur & annum complet. Nam & Æſculapio *ſeni* Teleſphorus *puer* comes idcircò additur, hoc eſt anno ſeneſcenti annus recens: & colubri ſpolia renovantes eidemque Æſculapio tributi (in quorum etiam ſpiris anni converſionem veteres prodidere) anni inſtaurationem perſpicuè docent, ut paullò infra expendemus, cùm à ſimulacris deorum ad ſymbola convertemur in nummis coronariis expreſſa. Ab Ægyptiis emanarunt ad Græcos & ad Romanos hæc myſtica Solis ænigmata, in ſimulacris & aſteriſmis eadem fætura producta, & cum obſervationibus aſtrorum artibuſque georgicis, ac nauticis inde diſſeminata, per illos auctores, quos refert marmoreum Chronicon, ex inſula Paro aſportatum in ædes Arundellianas, & plurium eruditorum commentariis illuſtratum. Quin etiam Macrobius teſtatur, ab Ægyptiis perlata fuiſſe ad Aſſyrios ſimulacra Solis ſub Jovis nomine culta. *Aſſyrii quoque*, inquit, *Solem ſub Jovis nomine, quem Dia Heliopoliten cognominant, maximis cæremoniis celebrant in civitate, quæ Heliopolis nuncupatur. Ejus dei ſimulacrum ſumptum eſt de oppido Ægypti, quod & ipſum Heliopolis nuncupatur, regnante apud Ægyptios Senemure, ſeu idem Senepos nomine fuit: perlatumque eſt primum in eam per Oppiam legatum Delebois regis Aſſyriorum, ſacerdoteſque Ægyptios, quorum princeps fuit Parmetis, diuque habitum apud Aſſyrios, poſtea Heliopolim commigravit &c. Nunc verò eundem Jovem Solemque eſſe cum ex ipſo ſacrorum ritu, tum ex habitu dignoſcitur. Simulacrum enim aureum ſpecie imberbi inſtat: dextra elevata cum flagro in aurigæ modum: læva tenet flumen & ſpicas. Quæ cuncta Jovis Soliſque conſociatam potentiam demonſtrant.*

Vide Tab. 2. nu. 34.

Vide Muſæi Eminentiſs. Carpin. Tab. 4. & 6.

Eodem planè diſcrimine ætatum, quo anni partes in Solis, Jovis, & Hori ſimulacris vidimus adumbratas ab Ægyptiis, &

inde

inde traductas in orientem & occidentem, variam quoque *Panis* effigiem, in nummis præſertim annorum indicibus, deprehendo. Numiſma elegans Nyſæorum qui in Caria ſunt, exhibet *Pana* ſpecie paſtoris ſaxo inſidentem, qui puerum manibus apprehenſum, dexteri pedis impulſu in aerem ſublevat. Pro pedibus viſitur baculus paſtoralis incurvus, ſive pedus: epigraphe talis eſt: ΕΠΙ. ΓΡ. Μ. ΑΥΡ. ΜΟΥϹΟΝΙΟΥ ΙΕΡΕΩϹ ΝΥϹΑΕΩΝ *ſub ſcriba M. Aurelio Muſonio Sacerdote Nyſæorum.* Nummum deſcripſit Vaillantius in Græcis: nos ejuſdem imaginem damus. Eminentiſs. Noriſius in Paneadis Epocha illuſtranda cum reliquis Syromacedonum, adnotavit, *Panem* ſæpe exhiberi juvenili forma: & *pedi* ſeu baculi incurvi ſymbolum expoſuit, cum Servio in eclogam ſecundam Virgilii, referendum ad anni converſionem: *pedum habet propter annum, qui in ſe recurrit,* ait Servius. Saxorum congeriem ad Solem retulit Aleander in explicanda Heliaca tabula, quippe à Phoenicibus in lapide informi cultum, ut Herodianus tradit in Helagabalo. Interpretari mihi lubet etiam ſubſultum pueri, Panis pede elevati. Videtur in eo deſignari Sol, ex Capricorni ſidere (quod *Pan* etiam dicitur ab antiquis) in altum attolli dietim incipiens: imo ſcilicet pede Panis, hoc eſt anni labentis extremo termino, anni recentis greſſum promovente. Paniſcus itaque junior à vetuſtiori diſtinguitur eodem ætatis diſcrimine, quo Jupiter Aſclepius, Anxur, & Juvenis à Jove puero diſſidet: quo Horus lactens à puero Harpocrate; hic ab Anubide adultiori; Anubis ab Oſiride; Oſiris à Sarapide ſecernuntur: Solis imagine per anni partes, ac tempeſtates quatuor præcipuas ubique variata.

Vide Tab. 2. n. 32.

Ex Muſæo Barberino.

Quatuor itaque cardines anni vertentis, quatuor puerulis diſcretos, figmento ſimili ſtatuunt Romani in Janis ſive arcubus publicè erectis, quos deinde colligunt in nummis Romæ, & in Græcia percuſſis ſub Commodo, Severo, & Caracalla. Eaſdem tempeſtates exprimunt ſingillatim in diverſis numinum ſimulacris: quibus nummorum ſuperficiem imprimunt: aptandis ad ea ſacrificia, certamina, ludos, circenſes, ac ſcænicos, & coronamenta, quæ in ſtata civilis anni tempora ex Juliano Kalendario incidebant. Harpocrates, Horus, Jovis Anxur, Juvenis, & Creſcens ad annum pertinent, quando ejus initium petitur à Solſtitio Brumali. Imberbi Apolline, Mercurio, Marte, & numinibus alterius ſexus, quibus Lunaris anni partes (alibi collectas in Horis ſupra deſcriptis) variare placuit Ægyptiis, Phæniciis, Aſſyriis Græcis, ac Latinis, nempe Luna, Venere, Cæleſti, Aſtarte, Junone, Lucina, Diana, Veſta, Iſide, Cybele, aut Matre Deûm, Vernus anni cardo deſi-

Vide Tab. 2. n. 41. & 42.

gnatur : Æſtivus cardo indicatur ſideribus Geminorum tropico proximis, qui Apollo & Hercules etiam audiunt; fortaſſis etiam barbatis numinibus ad Solem in Tropico æſtivo deſignandum adhibitis ex Macrobii ſententia: ſive ipſo Jove inter Caſtoras medio, ut Olympiadum initia denotet. Quarta demum ætas anni vertentis exhibetur Jove Sarapide tutulato, cum inſignibus modii, aut Calathi, & Cerberi, quando Solis deſcenſus ultra æquinoctium autumni in Jovem inferum eundem convertit, ſive in Plutonem raptorem Proſerpinæ, nec non in pomiferum Vertumnum, Liberum patrem, humidum Neptunum, ſenem Saturnum, & alia his conferenda numina: quæ maturitatem Autumni, & ſenium poſtremæ tempeſtatis frequenter in nũmis deſignant. Præcipuum ex his Æſculapium Macrobius dixit vim ſalubrem ex ſubſtantia Solis, cujus recurſum aſſerit ſpira draconis indicari. Hanc etiam ſaluti attribuit pari de cauſa ob effectus Lunares. Hinc verò apparet, aliqua numina, eaque præſertim quæ ſerpentibus ac draconibus conjunguntur, ut Ceres, & Minerva, promiſcuam habere indicationem Solis ac Lunæ, imo & anni totius circulum deſignare: & plures anni juxta ſerpentum numerum videntur aliquando colligi veluti periodo certa, puta dieteridum in Mercurii caduceo, & in curru Proſerpinæ; tetraeteridum ſive Olympiadum in Apollinis Lyra, & Siſtro Iſidis; in hydra Herculis ſeptemplici, & in Meduſæ capite, annos magnos plurium auctorum, ex multiplici vertentium ſumma collectos. Anni ſiquidem circulus non modo celebri ſymbolo draconis caudam ore mordentis olim fuit adumbratus; ſed ab exordio Ægyptiæ, & Græcæ Aſtronomiæ in draconis imagine aſtris illatus fuit, inſertuſque Zodiaci polo. Tum inter myſtica Orgiorum Baccho, ideſt Soli ſacratus habetur, & paſſim è ciſta prodiens exprimitur ab antiquis anaglyphis & numiſmatibus, quæ ciſtophora ſunt appellata. Angues perpetui Minervæ comites, & in Ægide media (hanc Cæli ſuperficiem ſtellis variatam interpretantur) Meduſæ capiti circumvolutos ab eadem geſtari videmus: quæ Mens mundi habita fuerat, quemadmodum & Sol mundi mens credebatur. Angues, Mercurio dati in caduceo nihil diverſum ab anno referunt, interprete Macrobio: quorum caudæ ad capulum revocatæ, & nodus Herculeus, & alæ adjectæ Solis motum, & annorum connexiones, & converſiones oſtendunt.

Vide Tab.2. n.35. & Tab.1. nu.13. & Tab.2. nu.27. & 43. Tab. prima num.12. & 14.

Tab. prima nu.17. & ſeqq.

Ibi num.16.

Cicero in Somn. Scip.

Macrob. lib. primo cap.19.

Tab.1. n.18. & 19.

11 Prolapſi jam ſumus ab imaginibus numinum ad eorum ſymbola è numiſmatibus exponenda: quæ ſimulacrorum vicaria, & compendia quædam haberi debent: eo conſilio hujuſmodi metallis impreſſa; ut quatuor anni tempora oſtenderent; ſi-

ve

ve Solem ac Lunam ſignificarent, dum quatuor cardinalia ſigna percurrunt æquinoctiorum, & ſolſtitiorum; & appellationes diverſas deorum aſſumunt pro varietate imaginum, & aſtrorum, quibus junguntur. Ita enim explicant Lyram Apollinis, ſive tricordem, ſive tetrachordam, & ſiſtrum Iſidis totidem virgulis instructum, & quadrilateras hermarum baſes, & ſacros tripodas, & aras tetragonas: quæ paſſim viſuntur in nummis, quos Ægyptii ſignarunt, & utraque Græcia; nempe [a] Syracuſani, [b] Tauromenitæ, [c] Lilybæotæ [d] Pandoſiei, [e] Caleni, [f] Brettii, [g] Rhegini, [h] Mamertini apud Golzium in Magna Græcia, & Sicilia; [i] Dyrrhachini, [l] Actii, [m] Calydonii [n] Phocenſes, [o] Delphi, [p] Meſſenii, [q] Cranii [r] Macedones, [s] Biſaltii, [t] Ageſii, [u] Corcyra, [x] Mytilene, [y] Cos, [z] Amyſa apud eundem in Græcia, & inſulis; ut reliquos prætercam ab aliis Auctoribus collectos. Numero enim terno ſignorum, menſium, ac Lunarum annus trimeſtris Ægyptiorum & Arcadum conſtat: horum verò quaternis annus vertens Lunaris aut Solaris componitur: quorum ex quatuor invicem junctis habentur Olympiades. Quare uti *Horæ* modò tres, modo quaternæ; ita & *chordæ* in Apollinis *lyra*, & *virgulæ* in Iſidis *ſiſtro* aliquando *tres* obſervantur, aliquando *quartam* admittunt.

Vide explicationẽ Tab. Heliacæ Aleandri Iunioris, & noſtrā Tab. 1. num. 17. & ſeqq.

[a] Goltz. Sicil. Tab. 3.
[b] Ibi Tab. 6.
[c] Tab. 8.
[d] Tab. 23. M. G.
[e] Tab. 19.
[f] Tab. 24.
[g] Tab. 25.
[h] Tab. 27.
[i] Tab. prima Græc.
[l] Tab. 6.
[m] Tab. 7.
[n] Tab. 8.
[o] Tab. 8.
[p] Tab. 10.
[q] Tab. 15.
[r] Tab. 22.
[s] Tab. 24.
[t] Tab. 28.
[u] Tab. prima Inſul.
[x] Tab. 14
[y] Tab. 20.
[z] Tab. 3. Aſiæ

12 Nullum tamen è ſymbolis evidentiùs oſtendit cæleſtes motus, in coronariis hiſce numiſmatibus indicatos, quàm nummi majoris, aut etiam maximi moduli, duodecim ſigna Zodiaci referentes, quandoque etiam adjectis planetis ſeptem, ſive Lunæ ac Solis quadriga, & elementorum figuris, terra præſertim & Oceano. Signiferum cum aſteriſmis duodecim, in circulo expanſis una cum ſimulacris Solis, ac Lunæ, quandoque etiam Jovis capite appoſito, videmus in nummis [a] Auguſti, [b] Trajani, [c] Hadriani, [d] Antonini [e] Elagabali, & [f] Valeriani plerumque percuſſis apud Ægyptios. Signa Zodiaci ſingillatim expreſſa reperimus in nummis diverſis. *Frequens eſt* (ait Vaillantius) *in Syriæ, Phoeniciæ & Coeleſyriæ nummis Arietis typus: quem in noſtra Syriæ regum hiſtoria pag. 342. ab Antiochenſibus cum Sole, & Luna percuſſum ad anni principium ſub hoc ſigno notandum diximus.* Niſibis Meſopotamiæ Arietem pariter cudit Severo Alexandro in Coloniis apud eundem Vaillantium. Tauri iconiſmum cum Luna & Stella nummis proponunt [g] Heraclienſes; Græci lubentiùs Minotaurum: & quidem non rarò dimidiatum, qualem referunt in aſteriſmo. Geminorum ſideribus, pileis, & aſtris Tripolitæ, & Syria maritima, nec non utraque Græcia, & Romanæ familiæ, ac Cæſares numiſmata ornarunt. Impreſſe-

Vide Tab. 1. n. 33. & ſeqq.

[a] [b] [c] Erizius, Triſtanus & Patinus in theſauro: & in Muſæo Sabbatino Romæ.
[d] In Muſæo Otthoboniano.
[e] Vaillant. Colonia Ptolemaid.
[f] Vaill. Colon. in Valeriano. Vide etiam nummum Sardienſium apud Sponium Itinerarii tomo 3. pag. 190.

Vide Tab. 1. n. 41.

Vaill. in Philippo Sen. Col. Damaſc.

[g] Goltzius Aſiæ Tab. 4.

Goltz. Sicil. & Magna Græc. Tab. prima.

Eminentiſs. Noriſ. Epoch. Syromaced. diſſert. prima pag. 84.

 re

Vide Tab. noſtram 1. num. 8.

re Cancrum cum Luna ſupernè poſita, & Solis aſtro Ægyptii anno octavo Antonini. L. H. quo anno complures nummos eadem Epocha ſignarunt Ægyptii, ut obſevat Morellus Tab. XI. ſpeciminis. Muliebre caput Junonis, aut Dianæ, ut arbitror, hoc eſt Lunæ, *h* Cancro eleganter adornant Brettii: Lunariis anni Epocham ab eodẽ ſidere auſpicandam Ægyptio & Græco more oſtendentes. *i* Leonem cum aſtro ac Diana, hoc eſt Sole ac Luna Maſſalienſes; cum *K* aſtro ac Minerva (quæ antiquis ethnicis Luna etiam fuit, ex S. Auguſtino, & Ariſtotele) Hyelitæ. *l* Leo radiatus in nummis Col. Beryti in Valeriano. Virginis ſignum plures fortaſſe referunt, quàm hactenùs perſuaſum ſit; nam quæ in numis Abundantia, Minerva, Pax, Juſtitia, ad Themidem, Erigonem, Virginem, earundem ſymbolis auctam in Aſteriſmo pluribus teſtimoniis, & in numo Cataniatum apud Golzium firmare poſſum: potiſſimè cum *m* Libræ ſignum ſeriùs illatum Cœlo à poetis, Æquinoctii Autumnalis titulum *mm* Virgini, aut Chelis Scorpii integrum antea permitteret. Scorpium conſignant *n* Africa & *o* Commagene; Sagittarium *p* Singareni *q* Boſtreni, & *r* Rheſaineſiii, in Meſopotamia, ac nummus Gallieni: qui etiam Capricornum frequenter habet, prout ante ipſum Auguſtus, Veſpaſianus, & complures Cæſares uſurparunt. *s* Aquarium Hadriano natale ſidus, cum aſtro, & Sarapidis capite anno octavo Antonini Pii cuderunt Ægyptii. Piſces viſuntur in aliquot numis Urbium maritimarum. Verùm ad aſteriſmum pertinere non duxerim, niſi delphinem; aut illam Decreti imaginem, quæ ex Diodoro Siculo lib. 2. *facie mulierem, & toto alias corpore piſcem refert*: ut in Aſcalonenſium nummis exhibuit, & interpretatus feliciter eſt Eminentiſſimus Card. Noriſius. Piſcium enim ſignum ad Venerem Syriam, quæ Derceto eſt, & Cupidinem, Diogenetes narrat apud Hyginum. Fortaſſis etiam elegerunt antiqui nodum potiùs, quàm piſces in hoc aſteriſmo adnotare, & ad ſymbolum anni transferre in caduceo Mercurii; cùm Aratus, & Cicero, non tam piſcium, quàm ſphæræ totius & cœleſtium nodum appellent.

h Apud Golzium in Magna Græcia Tabula 25. Nos Tab. 1. num. 43.
i Ibi Tabula 37.
K S. Aug. de Civit. Dei lib. 7. cap. 16.
Ariſtoteles apud Arnob. lib. 3 Vide Aleandrum Tab. Hel. pag. 831.
l Vaill. in Colon.

Vide Tab. 1. n. 45.

m Vide Germanic. in Arati phænom. & Aſtron. veteres.
mm Goltz. Sic. Tab. 6.
n Numi Hadriani.
o Card. Noris Ep. Syromac. pag. 109.
p Vaill. Col. Sever. Alex. & Gord. III.
q Idem.
r Idem Col. in Traj. Dec. & Q. Heren.
s Morell. ſpecim. Tab. XI. num. primo.

Vide Tab. 1. n. 46. & 47.

Epoch. Syromaced. differt. 5. pag. 434.

Præter zodiaci ſigna, aliis quoque aſteriſmis utriuſque luminaris motum, & anni cardines nummi antiquorum notant: præcipuè verò ſi quæ aſtra fuerint ſtellis majoribus inſignita, & proximiora ſignifero. Aram votis deorum celebrem apud Mythologos, quam Cœli lares etiam dixerunt, obſervo conſtitutam in ea Cœli parte, quæ proximè attingit tropicum Capricorni: unde trahenda eſt numeratio anni Romani. Cauſam idcircò videre videor, cur ita frequens in Latinis numiſmatibus *Ara* inveniatur. *Aquilam* Jovis aſſeclam eadem cauſa addicere

Vide Hyginũ, Germanicum, & reliquos mythologos inter Aſtrol. veteres.

Vide Tab. 1. n. 38.

dicere potuit anno Romano poſt Numæ ordinationem tuendo. Nam ſub regibus, ſtante republica, & florente Imperio, ſtellæ potiores illius aſteriſmi verſabantur in ipſo coluro ſolſtitii hyberni: ubi etiam num inſculpata conſpicitur Aquila in globo Farneſiano, Romanarum antiquitatum, imò & Græcarum, & Aſſyriæ, & Ægypti monumento præſtantiſſimo. *Equi* utriuſque, *Corvi*, *Crateris*, *Lyræ*, *Leporis*, *Coronæ*, *Navis*, *Centauri* ſidera, & quæ ad reliquas imagines aſtrorum pertinent, in alium rejicimus locum, ubi antiqui hujus globi editionem parare aliquando detur.

Vide Tab. primam num.48.

13 Relegenda ſunt ſymbola, quæ ſuperſunt relictis numinum imaginibus: quod facere inſtitueram ex nummis; ut oſtenderem, ea quoque referri ad luminarium loca, & anni partes enumerandas. Parata eſt eorundem interpretatio, ubi ſymbola referantur ad ſimulacra deorum, quos indicant; nam iſta collata jam ſunt cum reſpondentibus anni temporibus; & utriuſque ſideris poſitum manifeſtant. Quis enim ignoret fulmen & Aquilam Jovi aſſignari; Neptuno tridentem, & equum; Saturno falcem, & navem; Mercurio caducæum, ac petaſum; Apollini coruum, gryphum, laurum, ac tripodem; Marti thoracem, & galeam; Baccho vuas, hederam, & cantharum; Herculi clavam, & populum; Minervæ noctuam, oleam, & ægidem; Junoni pavonem; aram Veſtæ; Dianæ ceruum, & pharetram; Cereri tædas, ac ſpicas; anguem, & baculum Æſculapio? Hoc tamen ultimo nummos percutiunt [A] Coi, [B] Epidaurii, [C] Cretenſes, [D] Coriſii, & [E] Cydei. Spicis ac tædis plures Græcorum populi in Italia, Sicilia, & Græcia; [F] Menanini [G] & Locri tedis; [H] Syracuſii, [I] Capuani, [K] Metapontini, [L] Arpani, [M] Dyrracchini, [N] Ereſii & [O] Galatæ ſpicis. Pharetram cum Luna & Stella ſignauit [P] Amyſus; pavonem [Q] Samii; Ægidem ac Meduſæ caput [R] Amyſus, & [S] Paros; noctuam [T] Hyelitæ, [V] Metapontini, [X] Valentini in Italia; [Y] Athenienſes, [Z] Olympii, & [a] Cydonii in Græcia, & inſulis; oleam [b] Athenienſes, & plures Græcorum coronæ; clavam, & populum [c] Macedones, [d] Chii, [e] Galatæ, & [f] Pruſiæi. Baccho uvas autumni indices conſignant [g] Bizantii, [h] Coi, [i] Megiſtei apud Golzium; [K] Perpereni apud Morellium, [l] Tenii apud Sponium, [m] Nyſei apud Spanhemium [n] ferulam Ereſii; cantharum, ſeu vas anſatum, aut amphoram [o] Nicæi, [p] Boeotii, [q] Thebani, [r] Faſtii, [s] Hiſmenii, [t] Opontii, [u] Lamiei, [x] Corcyrei, [y] Chii, & [z] Coi;

A Goltz. Inſ. Tab.20.
B Idem Græc.12.
C Idem Tab.3. Inſ.
D Idem Tab.3.
E Ibi.
F Tab.XII. Sicil.
G Goltz. Magn. Græc. Tab.26.
H Tab. prima Sicil.
I Tab.20. M. Græc.
K Tab.30. & 31.
L Tab.32.
M Tab.1. Græc.
N Tab.15. Inſul.
O Tab.2. Aſiæ.
P Tab.3. Aſiæ.
Q Tab.16. Inſ.
R Tab.3. Aſiæ.
S Tab.19. Inſ.
T Tab.23. M. Gr.
V Tab.31. M. Gr.
X Tab.35. M. Gr.
Y Tab.14. Græc.
Z Tab.10. Græc.
a Tab.7. Inſ.
b Tab.14. Græc.
c Tab.22. Græc.
d Tab.15. Inſ.
e Tab.2. Aſiæ.
f Tab.5. Aſiæ.

 Martis,

g Tab.27. Græc.
h Tab.22. Inſ.
i Tab.24. Inſ.
K Morell. Specim. Tab.
l Spon. Voyag. tomo 3. p.166.
m Spanh. ep. 2. ad Morell. pag.105.
n Glotz. Tab.15. Inſ.
o Tab.15. Inſ.
p Tab.16. Græc.
q, r, s Tab.17. Græc.
t Tab.18. Græc.
u Tab.19. Græc.
x Tab.1. Inſ.
y Tab.15. Inſ.
z Tab.22. Inſ.

Martis thoracem, præter nummos Trajani, exhibent [A] Chelidonii; galeam [B] Metropolitæ, [C] Macedones, [D] Biſaltii [E] Syromacedones, & [F] Camarina ; ſcutum [G] Thebani , [H] Boeoti , [I] Anthedonii , [K] Macedonia ; Apollinis tipodas , & lauros utriuſque Græciæ , & Aſiæ populi , ac reges ; gryphum [L] Lilybei , [M] Actii , [N] Megarenſes , [O] Abderitæ , [P] Cytonii; Coruum monetæ Romanorum; Mercurii petaſum Romani , & [Q] Capuani ; alam [R] Maſſa liei ; caducæum [S] Hyelitæ , [T] Arcades , & [V] Nicæi ; Saturni falcem , & navem , ac Neptuni equum Romani; tridentem [X] Tenii, & [Y] Hydruntini . Denique Jovem fulmine denotant [Z] Seleucenſes in Syria; in Sicilia [a] Syracuſiii , [b] Mamertini , & [c] Agyrenſes ; in Italia [d] Bruttii , [e] Locrenſes, [f] Carcinii , [g] Valentini , & [h] Faleii ; è regibus [i] Agathocles, [K] Hieronymus, [l] Antiochi duo, Philopator , & [m] Epiphanes ; ex Imperatoribus Romanis Auguſtus , Veſpaſianus , & alii paſſim . Aquila & fulmine , ſive aquila tantùm , aut etiam additis aquilæ ſymbolis diverſis , clava , palma , apluſtro , ac ſimilibus Jovem in numis oſtendunt plures ab Alexandro Reges Seleucidæ in Syria , Ptolemæi in Ægypto , & omnium frequentiſſimè Romani . Neque deſiderantur nummi , qui ſymbolis quatuor collectis totidem anni tempeſtates figurent , ac numina iiſdem aptata ; cum Byllionii apud Golzium in corona (anni imagine) proferant quatuor anni temporum indicia , florem , ſpicam , uvas , & cornu amaltheæ : quæ omnia ſerpens (anni pariter figura) ſpiris circumvolutus complectitur: pertinent verò ad Iſidem, Cererem, Bacchum , & Æſculapium , ac Jovem . In Hadriano pariter cuderunt Ægyptii ſimul ſiſtrum , anguem , & caducæum . Triſtan. tomo primo pag.498.

14 At numiſmata , Alexandro Macedoni à poſteris percuſſa apud Golzium , ſingula ferè numinum ſymbola diviſim continent , florem, Lunam, taurum , caducæum , fulmen , aſtrum , uvas , clavam , pharetram , arcum , coronam , aquilam , Pegaſum , equum, apluſtrum, ſcutum , cornucopiæ, ſerpentem , cyſtam , hermam, leonem , & ex numinibus Martem, Venerem, Victoriam, frequentiſſimè autem Jovem anni moderatorem: ut omnes anni partes pervaderent honores Alexandro decreti à ſucceſſoribus regibus : quos fortaſſe imitatæ Romani Imperii provinciæ , Cæſaribus paſſim obtulere , ſuis cum agonibus & ludis , etiam ſymbola tempeſtatum in numiſmatibus . Quin etiam eò proceſſit ſtudium adulationis ; ut quemadmodum Quinctilem Julio Cæſari , proximum menſem Auguſto ſacrarunt ; ita ſolidos duodecim Commodo nuncuparent ex ejuſdem nominibus , ac titulis vocantes *Amazonium* , *Invictum* , *Felicem*

A Tab.15. Inſ.
B Tab.20. Græc.
C Tab.22. Græc.
D Tab.24. Græc.
E Vaill. Syromaced. pagina 285. in Tryph.
F Goltz. Tab.4. Inſ.
G Tab.16. Græc.
H, I] Tab.18.
K Tab.22.
L Tab.8. Sic.
M Tab.6. Græc.
N Tab.13.
O Tab.25. Græc.
P Tab.2. Inſul.
Q Tab. Magnæ Græc.
R Tab.37.
S Tab.23. M. G.
T Tab.11. Græc.
V Tab.5. Aſiæ .
X Tab. Inſ. 17.
Y Tab.33. M. G.
Z Eminentiſs. Noris de Ep. Syrom. pag.228.
a Goltz. Sicil. Tab.3.
b Tab.27.
c Tab.7.
d Tab. M. Græc.
e Tab.26.
f Tab.28.
g Tab.35.
h Tab.35.
i, K] Tab.14.
l Vaill. Reg. Syr.
m Ibi .

Vide Vaill. in Hiſt. Regum Syriæ & in Ptolem .

Goltz Græc. Tab.3. num.5.

Vide Tab.1. n.24.

Felicem, *Pium*, *Lucium*, *Ælium*, *Aurelium*, *Commodum*, *Auguſtum*, *Herculeum*, *Romanum*, *Exuperantem*. Cujus aſſentationis teſtem præter Lampridium in ejus vita, vidimus nummum elegantiſſimum ex ære maximo: in quo Commodus, auriga radiatus, quadrigam regit, & veluti Sol alter eclipticæ ſigna, supernè conſpicua in faſcia Zodiaci, videtur luſtrare, præcedente Phoſphoro, ac Terra ſub ſpecu ejuſdem beneficos radios implorante.

Tab.2. num.48.

Legimus etiam in Lanuvino ſaxo memorari *Idus Commodas*, ut videri poteſt apud Gruterum, & Scaligerum: qui obſervat ex vetuſtis auctoribus, Domitiano placuiſſe, ut Jano hyemes, ita Autumnos ſibi adrogare; vindicare tamen illi voluiſſe Statium menſium decuriam: reſervato bimeſtri duobus Principibus Julio, & Auguſto, tamquam legitimè poſſidentibus.

Gruter. fol. cccxxx. Scaliger de emend. temp. pag. 9.

Ita ſcilicet prona erant ingenia ethnicorum ad uſurpandam dedicationem temporum, in qua commune aliquid ſortiri cum deorum maximis ſibi videbantur. Signantur propterea Hadriano numi cum epigraphe SAECULUM AUREUM; Commodo autem imperante *ſæculum aureum* ex decreto Senatus ſceleſti Principis Æra appellatur; tum ejuſdem numiſmatibus Latinis, imprimuntur FELICIA TEMPORA, & Græcis inſculpuntur literæ indicantes: *Commodo Imperante mundus felix eſt*.

Morelli ſpecim. Tabula 5. & 12. & ibi Spanhem. Epiſt. 4.
Vide Tab. noſtram 2. num. 25. & 41. ac 42.

15 Potiori tamen jure in æreis numis Commodo inſcriptis memoriam, imaginem, ac nomen Viri, longe à Commodo diverſi, nempe ſapientiſſimi concivis Pythagoræ, Samii procuderunt. Is certè merebatur & metallis, & Olympiadibus dare nomen: qui cum tranſmiſiſſet in Ægyptum, ac Babylonem, & Aſtronomicis obſervationibus ibi vacaſſet, ſive à Perſis didiciſſet ſiderum motus, ut narrat Valerius Maximus, naturam Solis primus deprehendit, Plinio teſte, & ſcholæ Italicæ Auctor fuit: ex qua ſcilicet Numa Romanorum Rex eruditus, anni modum poſteris tradidit: nec non in Græcia ſuborti ejuſdem ſectæ Philoſophi motus circulares, & æquales luminarium adinvenerunt, ut Geminus ſcribit: tum præcipi Cyclorum Auctores, Meton Athenienſis, Eudoxus Cnidius, aliique Mathematici, quos numerat Cenſorinus, enneadecaeteridas, & octaeteridas ſuperſtuentes, annum vertentem, ac magnum, ejuſque partes plurima cum reipublicæ utilitate ordinarunt.

Vide Tab. 1. n. 31.
Strabo lib. 14.
Laert. in Vit. & ex eo Voſs. de Mathem. Morell. ſpecim. Tab. XII. Valer. Max. lib. 8. cap. 7. Plin. lib. 2. cap. 8.
Plutarch. in Numa.
Gemin. Iſagoge cap. 1.
Vide ſupra cap. 4. num. 9. pag. 33.

Verùm & præclara hæc ſapientum inuenta ſceleſtæ gentium fabulæ deturparunt, dum periodis repertis abutuntur ad cultum ſimulacrorum: ut eiſdem aptari querela poſſit, quam D. Hieronymus olim protulerat de temporis plagio, contra fas, & conditoris inſtitutum ab ethnicis perpetrato. *Cœleſtia*, inquit, *& Dei diſpoſitionem, idolorum nominibus infamarunt*.

S. Hieronym. Epiſt. 128. ad Fabiolã.

Idcircò

Idcircò non equidem negaverim (ut hinc revertar ad ſymbola feſtorum, temporum, ac deorum è numiſmatibus colligenda) his aliquando notis ſignificari tantummodò Civitatum præſides deos. Hoc tamen ipſum pertinere contendo ad argumentum, quod pertractamus. Nam propriis præſidibus plerumque dedicarunt exordia anni ſacri aut civilis, ſeu tempeſtatis, aut neomeniæ; inſtitutis ludis, agonibus, & ſacrificiis: quorum ludorum coronamenta diis offerenda cum anni epocha nummis frontalibus inſcripta, ac numinis tutelaris indicio, videor jure opinari in ſymbolis ita collectis deorum, agonum, & tempeſtatum.

Vide Eminentiſs. Noris de Epoch. Syromaced. diſſ. 3 pag. 196.

Jam verò cùm annus Julianus, & Cyclus Cæſaris omnibus latè populis anno Solari ſive Lunari utentibus, tum etiam periodis Luniſolaribus Lesbiam veluti normam aptaret, ad annos ipſos tum vertentes tum magnos, eorúmque cardines, ac partes, ſive trimeſtres, ſive ſemeſtres enumerandas, juxta uniuſcujuſque populi ritus, & Kalendaria, quæ cum Juliano facilè componebantur per octo literas jam explicatas; mirum non eſt, poſt Cæſarem in deos relatum, Romanis Principibus paſſim dicari annuos nummos, coronas, & ludos à provinciis, Auguſtorum imperio ſubiectis: præſertim cùm ſacra certamina, tam annua, quàm votiva iiſdem nuncuparent, aut certè communia facerent cum patriis diis: quemadmodum aras, ac templa ROMAE, ET AUGUSTO legimus conſtituta. Imitari, aut præcedere videbantur ambitioſum Neronis officium: quo coronas mille ſeptingentas & octo, totidem victoriarum indices, cùm victor in certaminibus Helleniſticis iiſdem donatus eſſet, reverſus in patriam indictis ludis, coronas ipſas in Circum attulit, & obeliſco Ægyptio omnes impoſuit. Ut enim Nero Soli, & Ægyptio operi addixit omnes annorum Græcorum coronas, iiſdem referens myſteria temporum, à quibus hauſerant Græci; ita pleræque Romani Orbis provinciæ hanc veluti gratiam perſolvebant Cæſaribus Chronotaxeos per eoſdem inductæ, ut nomina temporum ab iiſdem Principibus crederent eſſe petenda. Officium citò invaſit ſuperſtitio, ſtimulos præſertim addente aſſentandi ſtudio: quod etiam erga peſſimos principes Domitianum, & Commodum cùm exercerent Romæ ordines, foris provinciæ; Coloniæ quoque, municipia, & civitates, præſertim Neocoræ, communi impenſa præſtiterunt, ludorum, & monetæ ſacræ, ſeu coronariæ jure impetrato ab iis, quorum intererat ut impetrarent. Verùm de nummis, coronis, feſtis, ludis, eorumque temporibus hæc indicaſſe ſufficiat.

Dio lib. LXI.

16 Pro-

16 Promiſeram, aliquid me additurum circa colores quatuor, quos ego aptabam Literis Kalendarii Juliani, admonente titulo, licet mutilo, in quo legebam PINGENDVM, & TABVLIS PICTIS. Audebam verò eoſdem colores ſingillatim enumerare, ac ita diſponere, *Albatum*, *Praſinum*, *Ruſſatum*, & *Venetum*. A factionibus Circi petebam numerum, ac ſpecies colorum. Noveram enim, apud expoſitores Circenſium quatuor illis explicari totidem anni tempeſtates, iis præſertim in ludis, in quibus ex antiquorum teſtimonio univerſa referuntur ad anni ſymbolum, & ad Solis, Lunæ, & ſiderum converſiones. Corippus Africanus lib. primo de laudibus Juſtini minoris myſteria Circenſium ita proponit: Vide Tab. 2, n. 44.

„ Solis honore novi grati ſpectacula Circi
„ Antiqui ſanxere patres: qui quattuor eſſe
„ Solis equos quadam rerum ratione putabant,
„ Tempora continui ſignantes quattuor anni:
„ In quorum ſpecie, ſignis, numeriſque, modiſque
„ Aurigas totidem, totidem poſuere colores.
„ Et fecere duas ſtudia in contraria partes,
„ Ut ſunt æſtivis brumalia frigora flammis.
„ Nam viridis vernis ceu campus concolor herbis,
„ Pinguis oliva comis, luxu nemus omne vireſcit:
„ Æſtatis roſeus, rubra ſic veſte refulgens,
„ Ut non nulla rubent ardenti poma colore.
„ Autumni Venetus ferrugine dives & oſtro
„ Maturas uvas, maturas ſignat olivas:
„ Æquiparans candore nives, hiemiſque pruinam
„ Albicolor viridi ſocia conjungitur una.
„ Ipſe ingens Circus, plenus ſeu circulus anni
„ Clauditur in teretem longis anfractibus orbem,
„ Amplectens geminas æquo diſcrimine metas,
„ Et ſpatium mediæ, quà ſe via pandit, arenæ.

Hujus autem inventi cauſam à gentium errore ait eſſe repetendam: qua deum Solem arbitrati Græcorum inſtitutores impii cultûs teſtimonia in coloribus & ritu circenſium, dedicarunt: donec ethnici erroris caligine diſcuſſa, ſuperſtitioſum Solis cultum Chriſtiana religio ſubmoveret. Ubi etiam indicat non obſcurè, nummorum formam fuiſſe mutatam: & quemadmodum cultus circenſium ſacrilegus converſus fuit in lætitiam innocentem pro ſalute & imperio principum; ità & nummorum ſuperſtitio antiquata eſt, ut in præſtantem uſum monetarum imago faceſſeret. Nam quibus antea imprimebantur ſolaris idololatriæ ſymbola ac notæ, tum ante Conſtantinum maximum, quando publicè diis litabatur, tum imperante

Julia-

Vide Tab.2. n.48.

Vide Tab.2. n.11.

Juliano, qui abolitum deorum cultum poſtliminio revocavit, ſuperinductis iterum in numiſmata coronaria Iſide, Sarapide, & Anubide; Juſtino rerum potiente ejus nominis principem literam I nummi exhiberent, cum ſalutiferæ Crucis ſigno, aut aliis Chriſtianæ religionis indiciis, quæ temporum dedicationem legitimam Chriſto Domino conditori ac reparatori aſſerunt meritò nuncupandam in epigraphe illa: quam à Conſtantino Maximo ejus liberi ac nepotes uſurpant, cum labaro, Chriſti monogrammate decorato, & literis, FELIX TEMPORVM REPARATIO. Sed à Corippo præſtat excipere, quæ de litera I avi Juſtini Senioris, patris Juſtiniani, ac ſui nominis indice, nummis impreſſa cecinit, ſublato ſolaris ſuperſtitionis charactere tum à monetis, tum à circenſibus.

„ Hunc veterum primi ritum non ritè colebant
„ Eſſe Deum Solem recta non mente putantes:
„ Sed Factor Solis poſtquam ſub Sole videri
„ Se voluit, formamque Deus de Virgine ſumpſit
„ Humani generis; tunc munere Solis adempto,
„ Principibus delatus honor, munuſque Latinis,
„ Et jocunda novæ Circenſia gaudia Romæ.
„ Huc omnes populi, pueri, juvenèſque, ſenèſque
„ * Dant agmina plauſus, vox omnibus una,
„ Mens eadem, nomen populis placet omnibus unum
„ Ales ut expoſitos cùm phænix innovat artus
„ A buſto * recidiva ſuo, concentus in unum.
„ Stans avium ſpectat Solem, Soliſque volucrem
„ Dum veniat, regèmque nouum clamore ſalutant:
„ Sic decus imperii ſanctum, *ſic Jota reſurgens*
„ *Exortum eſt de fine ſuo, ſeniùmque reponens*
„ *Nominis & recti Juſtino in principe vivit*
„ *Juſtinianus apex*. Domini ſic vulgus amore
„ Undique conveniens lætarum more volucrum,
„ Tu vincas, Juſtine, canunt: ingènſque tumultus
„ Creſcit, & Auguſta luctus diſceſſit ab aula,
„ Lætitia veniente nova. Vox excitat omnes.
„ Omnia Juſtino præbent elementa favorem.

* Editores verſum ità ſcriptum in exemplari aſſeverant.

* Fortaſſe *rediviva*.

Notandum eſt etiam, Poetam uti voluiſſe Phoenicis avis ſimilitudine; his in carminibus, in quibus lætitiam natalis Imperii Juſtini Junioris celebrat ex numiſmatibus. Neque enim poterat aptiori ſymbolo rem proponere, quàm ipſa *phœnicis* imagine, à Conſtantino Magno ejuſque liberis adhibita in hiſce coronariis monetis, ex quo cœpit honori Principum tribui

bui

bui lætitia, quæ Soli prius votiva in circo habebatur. Conſultò itaque Poeta nominat *Solis volucrem*, ut illi comparetur *Jota reſurgens* Juſtini. Utrumque ſcilicet ſymbolum conſignatum fuerat in adverſa parte numiſmatum; quæ ex noſtra ſententia publicæ circenſium lætitiæ, & coronis deputabantur, abolitâ Solaris cultus impietate. Celebris eſt nummus Conſtantini Maximi Auguſti, in quo exhibetur Imperator thoraci inſidens, & ab offerente filio, seù duce aliquo globum accipiens, cui Phœnix imminet. Edidit doctiſſimus Senator Philippus Bonarota inter ſelectiores nummos Gazæ Carpineæ (cui ſimilem Romæ ſervant cimeliarchia Otthobonianum, Odeſcalchum, & Sabbatinum, aliaque virorum principum ac eruditorum ſcrinia) & notis cum phoenice ipſo de immortalitate certaturis ornavit. Phoenicem globo inſidentem monetis pariter inciderunt liberi Conſtantini, cum epigraphe *felix temporum reparatio*, de quibus pari laude ſcripſerunt Triſtanus tomo 3. & Gabrielis Carola, Caroli Patini filia, in erudita diſſertatione de nummis phoenicis imagine ſignatis. Tot ingeniorum præclaris meditationibus addi poſſe videtur ex Corippi poemate ducta interpretatio: haec nempe, quæ aſſerit, eos nummos, qui Soli, omnium ferè ethnicorum Deo pantheo, antea dicabantur una cum ſuperſtitionibus Circi, melioribus auſpiciis ab uſu impiæ indicationis abſolutos adhiberi jàm coronandis Chriſtianis Principibus, diademata ſua & Orbem Romanum ultrò ſubdentibus legitimo rerum Domino, ac Reparatori temporum Chriſto.

Tab. 35.

Oiſell. Tab. 58.

Vide Harpocrat. Cuperi.

Verùm, ne videamur poetica tantùm auctoritate niti, aut rei nummariæ conſultiſſimis ſolummòdò ſcribere, quibus Circenſium eruditio funditus perſpecta hæc minimè neceſſaria facit, quibus inſiſto; proferam etiam ab hiſtoricis, & Patribus probationes, aliis fortaſſe profuturas, qui Romanarum antiquitatum ſtudio ſe minus exercuerunt. *Ludorum ſpectacula*, inquit [a] Onuphrius, *non voluptatis ſed religionis nomine, ut Livius, Valerius, & S. Auguſtinus tradunt, Lydi ex Aſia in Hetruriam concedentes inter cetera ſacra inſtituerunt*. Idem ex Lactantio obſervat (lib. 6. de vero cultu) [b] *Ludorum celebrationes deorum feſta ſunt: ſiquidem ob natales eorum, vel templorum novorum dedicationes ſunt inſtituti*. Rectè *ob natales*; nam Circenſes in antiquo Kalendario natalibus deorum aut principum exhibentur apud Bucherium. De *circenſibus* enim miſſis interpretari oportere literas C M iiſdem adjectas, eruditos docuit Eminentiſſimus Noriſius in diſſert. *de Votis decennalibus*, addita explicationi duorum numiſmatum Gazæ Medicæ pag. 113. *Bucherius illis notis C M quæ toties*

Sanctus Cyprianus de Symb. Apoſt. Quid mirum ſi Virgo cōceperit: quin Orientis, avem, phœnicem vocant, in tantū ſine conjuge naſci aut renaſci conſtet &c. S. Ambr. Hexahemer. lib. 5 Vide notas de la Barre in Tertull. de reſurrectione, & notas hiſtoricas Senatoris Philippi Bonarotæ in num. Card. Carpinei pag. 392.

[a] Panvin. lib. 1. circens.
[b] Lactantius lib. 3. c. 15.

ties

ties in eodem Kalendario leguntur, ſuſpicatus eſt ſignificari congiarium; *ſed certum eſt deſignari* Circenſes miſſus; *ibidem enim ſæpius ſcribitur C M X X I I I I. Circenſes miſſus à Caligulæ principatu, quoties edebantur, fuere viginti quatuor, uti ex Dione ac Caſſiodoro eruditiſſimus meus Panvinius oſtendit lib.1. de ludis Circenſ. cap. 14. quamvis etiam quadraginta miſſus cucurriſſe anno Urbis milleſimo teſtetur Caſſiodorus in Chronico. Hinc cùm in diem VI. Iduum Novembris duorum Imperatorum natalis incideret, Circenſes miſſus duplicabantur.*

Ex eodem Kalendario Bucheriano Natalis Solis, incidens in diem Julianam Solſtitii Brumalis VIII. Kal. Januarii, circenſes proferebat ampliori miſſuum numero nempe XXX.

VIII. Kal. Jan. *Natalis Invicti C M X X X.*

De Solis enim Natali, cui paſſim in nummis additur epigraphe SOLI INVICTO COMITI, interpretandum eſſe *Natalem Invicti* apertè demonſtrat cum auctoribus ſupra indicatis aliiſque ſingulari eruditione prẹſtantibus iiſdem conferendus Illuſtriſs. & Reuerendiſs. D. Philippus à Turre Epiſcopus Adrienſis Cap.VI. Monumentorum veteris Antii. Unde & Chriſtianis opportunè contigit eodem phoenicis ſymbolo (quo ethnici in Ave ipſi ſacra Solem colebant) ſanctiùs impoſterum uti ad indicium Æternitatis, à Servatore noſtro Mundo comparatæ, tum naſcendi modo planè divino, integra Matris virginitate, tum moriendi ac reſurgendi genere verè INVICTO, nullo ſui ſpolio morti conceſſo; quum veluti phoenix effloruit de funere, ut ait Tertullianus, *non minus parabolis operato Deo, quàm locuto*. Plura Patrum teſtimonia congeſſit in hunc locum promultiplici eruditione qua præſtat celeberrimus Auctor de la Barre, indicante etiam laudato Senatore Bonarota in explicatione nummi Conſtantiniani. Eodem igitur jure vindicata tempora Chriſto Domino Regi Sæculorum, ac vindici æternitatis, quo Jure ſymbola reparationis temporum & Orbis terrarum, à Solis cultu nefario purgata, in nummis, templis, aris dedicabantur . . .

Tertull. de Reſurrect. pag. 34. & 35. Edit. de la Barre.

Ceterum cum pleraque ſacra ethnicorum ad illam theologiam referrentur, quam ab Ægyptiis hauſtam primi Græcorum philoſophi addixerant colendis mundi partibus, nempe Cælo, ſideribus, & elementis; ad eandem quoque ſententiam pertrahebant ipſi pleraque ſymbola ac myſteria; arcano quodam involucro contegentes phyſicorum inventa, & aſtronomorum obſervationes circa periodos Solis, ac Lunæ: quæ duo corpora magnos deos habuerunt ferè omnes gentium ſectæ, Ægyptia impietate ut plurimum imbutæ: Jovem ipſum deorum maximum, & Junonem ejus ſororem & conjugem

Plutarch. de quæſt. Rom. Vide ſupra pag. 47.

in

in eadem ſidera reſolventes, uti ex Plutarcho ſupra monuimus. Eò autem proceſſerat vetus hic error, ut impoſuerit etiam nonnullis Chriſtiani generis, à recta fide ità deſciſcentibus, ut ex Chriſto ac Sole portentoſum idolum ſibi confingerent. Gnoſtici præſertim & Valentiniani hanc blaſphemiam commenti ſunt: cui exigendæ, ac eradicandæ Tertullianus, Auguſtinus, aliique Patres non ſemel inſudarunt. Gentes itaque *deorum maximum* ſtatuentes *Solem*, inſtituerunt feſtorum, & ſacrorum ſymbola Solis motibus explicandis maximè idonea, potiſſimè verò in ludis & Circo: in quo ut *immanitas obeliſci* (majoris) *Soli proſtituta*, ait Tertullianus; minoris verò obeliſci moles ſacra erat Lunæ (teſte Caſſiodoro); ità præcipuum Soli templum in ſpina conſtitutum, & ſeptem curſus, qui Græcis fuere XII., uti & miſſus totidem, ac totidem carceres, pro biſſeno menſium numero parem ſummam ſignorum Zodiaci indicabant. Metæ autem geminæ, & colores, qui ab initio fuere duo, utrumque Tropicum, & affixas Tropicis anni tempeſtates, Æſtatem ac Hiemem, deſignarunt. Tertullianus. *Meritò & aurigas coloribus, & idololatriam veſtierunt. Nam initio equi duo ſoli fuerunt, albus & roſeus*: albus *hiemi ob nives candidas*: roſeus *æſtati ob Solis ruborem voti erant. Additos deinde duos*, Praſinum *ſcilicet Terræ matri, vel verno*; Venetum *Cælo, & Mari, vel Autumno*. Quare & Neptunus barbatum numen, ejuſque menſis Poſidonius apud Græcos, Romanorum Decembri reſpondens: quo Conſualia Neptuno in Urbe peragebantur; & Aſteriſmi Neptuni apud Theonem, qui tempeſtates & ſerenitatem oſtendunt, diſcreti ab aſteriſmis Jovis, qui pertinent ad cultum agrorum. Tum barbatorum fratrum ſimilis Pluto, germanus Jovis ac Neptuni, Proſerpinam rapiens quadriga, hoc eſt Lunam intercalarem eximens ab anni rationibus, & Februario, menſi inferiarum, & infelicis numeri, qui fuerat ex inſtitutione Romuli anni poſtremus, diem detrahens, ad ſenium anni Romuliani pertinet: uti etiam Saturnalia, ſenioris numinis feſta, ad ultimam anni Lunaris partem referuntur. Putantibus enim à Kalendis Januarii dies 354., quot in Lunari numerandi ſunt, occurrit dies 20. Decembris: quæ poſtrema eſt Saturnaliorum: cum in Kalendario ante diem quartum, ſive 17. Decembris ità legamus: XVI. (Kal. Jan.) *Ludi. Saturnalia*: & apud Macrobium lib. 1. cap. 10. memoriæ proditum ſit, Octavianum Auguſtum, Kalendarii paterni inſtauratorem, diſceptantibus Romanis de numero dierum feriis Saturnalibus aſſignandorum, opinionem Manlii ſecutum, juſſiſſe, ut dies tres feriæ haberentur: quibus cum addi-

Tertullian. de Spectaculis cap. 5.

Theonis Scholia ad Arati ſigna verſ. 24.

Tab. 1. num. 12.

Kalendarium antiquum Biblioth. Cæſareæ Vindobon. apud Bucherium in Victorii Canonem, & apud Lambecium tom. 4. pag. 288.

Sueton. in Calig. cap.17.

derimus quartum, à Caligula adjectum, nomine *Juvenalem*, ex Tranquillo in ejus vita, *ut lætitiam publicam in perpetuum augeret*; tenebimus diem 20. Decembris: quæ terminus eſt anni Lunaris, putati à Kalendis Januarii in anno communi. At in biſſextili (qualem fortaſſe Julius reſpexit) terminus anni Lunaris cadit in præcedentem diem 19. Decembris: unde factum arbitror, ut Auguſtus, qui triduum aſſignavit Saturnalibus feriis, ipſa feſta Saturnalia referret ad diem 17. Decembris: ità enim eveniebat, ut Saturnaliorum triduo abſoluto, terminus eſſet anni Lunaris eadem dies 19. Decembris quæ à Kal. Januarii eſt 354. in anno biſſextili.

Verùm & alia feſtorum indicia probant, connexionem Kalendarii Juliani cum Solis ac Lunæ motibus fuiſſe neceſſariam ad Græcos & Romanos ritus antiquarum obſervationum inſtaurandos; cùm ſuperſtitiones Ægyptiæ, Græcæ, ac Romanæ, præcipuè vetuſtiores, ad varium utriuſque luminaris adſpectum plerumque referantur, ut ſæpe monuimus, ex Kalendario, & ex numiſmatibus comprobari. Quis enim non videat *Theogamia* Græcorum, & *Gamelia* Latinorum, ad principem anni diem indicta feſta, nihil referre aliud, quàm obſervationem Novilunii, ut inde annus civilis, qui Græcis & Romanis Lunaris primò fuit, aptè haberetur? *Gamelia* in Veteri Kalendario tributa Kalendis Januarii, uti Spanhemius obſervat, dicuntur *Nuptiæ Plutonis*, ſive Jovis inferi, aut Sarapidis Ægyptiorum (qui Sol eſt infernè poſitus in hemiſphærio Auſtrali) cum Proſerpina, ſive Junone infera, hoc eſt cum Luna infernè pariter poſita circa tropicum hybernum: unde inſtituit Numa Romanum annum putari: quem imitatus eſt C. Cæſar, à die Novilunii, ſive Synodi Solis & Lunæ, annum principem auſpicatus, ut ſupra oſtenſum fuit. Pari de cauſa etiam Græcis, potiſſimùm Siculis, à nova Luna annum exorſis *Theogamia* in feſtis, ac nummis notantur: de quibus eruditè Spanhemius in epiſtola ſecunda ad Morellium. Non ſecus Ægyptii, poſt anni ordinationem Julianam receptam imperante Auguſto, à ſynodo Luminarium, ſive Sarapidis & Proſerpinæ (quæ ipſis Iſis dicebatur) annum inchoarunt: ut Petavius demonſtrat lib. 10. de doctrina temporum cap. 69. 70. & 71.: cùm jugum luminarium incidiſſet anno poſt Actiacam pugnam in 29. Auguſti: unde anni Ægyptiorum fixi exordium poſteri deduxerunt. Quare & in nummis, in Ægypto cuſis, exhibetur Sarapis Jupiter cum Iſide conjuge, nempe duo capita jugata, circa quæ duplex ordo ſignorum Zodiaci impreſſus viſitur: ad declarandum utriuſque ſideris motum in Julianæ periodi, & Luniſolaris Cycli ordinatione perpenſum,

Tab. 2. num. 1. 2. 3. 4. 5. 7. 8. 12. 35. & Tab. 1. nu. 29. 30. 36. 41. 47. 48.

Vide Tab. 1. n. 36.

ſum,

ſum, & in parapegmate conſignatum. De Siculis & Græcis antea diximus, Theogamia, apud eos celebrata, anni exordium à Novilunio demonſtraſſe; nec non apud pleroſque Orientalis Græciæ populos *Junonis pronubæ, aut* dearum ipſi affinium, quæ *Lunam indicant*, feſta pertinuiſſe ad caput anni Lunaris cum cæleſti neomenia per Cyclos componendum. Diſcimus enim ex Theone, conſtituta fuiſſe parapegmata anni civilis per Mathematicos eorumdem populorum præſtantiſſimos. Propoſuiſſe Siculis Archimedem, Samiis Cononem docuit Scaliger ex Virgilio: ut Eudoxi, Metonis, aliorumque periodos prætercam, quarum eſt notitia frequentior apud hiſtoricos & Chronologos. Atticum Scaligeri parapegma exhibet menſem Gamelionis, ſive Theogamiam, nuptias ſcilicet Jovis inferi & Junonis infernæ, (hoc eſt Novilunium in brumali Tropico) cum Romano Januario, fortaſſis poſt receptam à Græcis ordinationem Julianam, eamque compoſitam cum patrio parapegmate per Cyclum Cæſaris Luniſolarem.

Theon. ubi ſupra pag. 61. in verſ. 20.

Videor itaque demonſtraſſe, tam Circi partes, ornamenta, ludos, quàm deorum ſimulacra, feſta, & nummorum ſymbola, inſcriptiones, uſum pertinuiſſe ad ſuperſtitioſas rationes civilis chronologiæ juxta cæleſtium corporum converſiones, præſertim Solis ac Lunæ, eaſque ut plurimum fuiſſe diſcretas in quatuor anni tempora, juxta rei agrariæ, & nauticæ opportunitatem: Solis ac Lunæ idolis in tot numina variatis, quot effectus inducere obſervabantur eorum ſiderum adſpectus & poſitiones, præſertim circa Æquinoctia ac Solſtitia: unde factionum colores quatuor miſſis circenſibus tributi ſunt. Poſſem reliquum circi apparatum, thenſas, curſus expendere ſingillatim, & Aſſyriorum æquè ac Ægyptiorum ritus cum Græcis ac Romanis conferre. Quemadmodum enim ſupra monueram cum Macrobio, antiquiſſimum Solis ſimulacrum, ad Aſſyrios ex Ægypto translatum, aureum fuiſſe, ſpecie imberbi, dextra elevata, cum flagro, in aurigæ modum; ità eodem teſtimonio probarem, apud Heliopolitas in Ægypto publica pompa invectum. Unde ſi ad Romanorum Circum, ac Deorum thenſas converterer, ſimili pompa productas ante ludos, ſimulacrum Solis oſtenderem in agitatoribus, & quatuor Ægypti Horos in coloribus quatuor, toties memoratis. Verùm temperare pluribus præſtat; cùm eo conſilio à me congeſta fuerint quæ hactenus memorabam; ut oſtenderem, eoſdem colores quatuor aptari præ ceteris debuiſſe Cyclo Cæſaris in literis Kalendario Juliano appoſitis: cùm inde nata ſuſpicio fuerit, ita fuiſſe interpretanda, quæ de pigmentis legebantur in titulo Kalendarii: quod ſcilicet EXPOLIEN-

Supra ex Tertull. de Spectaculis, Corippo in fine libri &c.

 DUM,

DUM, & PINGENDUM, ac TABULIS PICTIS ornandum, ſive expandendum inſcriptio ipſa præſeferebat. Duo autem ſunt quæ præ ceteris id confirmant; tum quod oſtenderim capite præcedenti, Periodum Luniſolarem compactam literis ita depictis ſibi conſtare, ex colorum quaternario, uti ex comparatione eclipſium demonſtravi; tum quod feſtis ac ſuperſtitionibus omnium ferè populorum Romano imperio parentium concinnè reſponderent tam Cycli Juliani methodus, quàm Circi Romani ludicra, ſacra, obeliſci, carceres, aræ, columnæ, coronæ, thenſæ, colores, miſſus, curſus, numiſmata, ac numina: quæ ad Solis, ac Lunæ cultum ſignificandum, & periodos numerandas adhibebantur.

CAPUT SEXTUM.

Refelluntur opiniones contrariæ, & indicatur tempus, quo Lunaris Cyclus Kalendario Juliano inſertus fuit.

SUMMA CAPITIS.

1 *Dubia duo proponuntur contra explicationem Cycli Lunaris, ex octo literis Kalendarii Juliani collectam.* 2 *Scaligeri interpretatio nundinis addixit eaſdem literas.* 3. *Contra Scaligerum colligitur ex Macrobio, inter duas nundinas non ſeptem tantummodo, ſed octo ſolidos dies fuiſſe interpoſitos.* 4. *Refellitur eadem interpretatio Scaligeri ex incurſu nundinarum in dies ab antiquorum ſuperſtitioſa obſervatione improbatos.* 5. *Traditur methodus, qua Nundinarum periodus per biennia diſponi potuiſſet, die unica diſſimulata.* 6. *Solvitur dubium ſecundum contra Cyclum, quod petebatur à ſilentio ſcriptorum veterum, prolatis antiquorum teſtimoniis, nempe Macrobii & Euſebii: unde colligitur, Cyclum additum fuiſſe Kalendario Juliano, vel ab ipſo Cæſare in correctione faſtorum, vel ab Auguſto proximis annis poſt mortem Cæſaris.*

1 Literis octo inciſis in Kalendario Cæſaris, earumque coloribus, à titulo indicatis, Cyclum Lunarem exhiberi contenderam. Oſtendi, popularem facilitatem in illo nequaquam deſiderari: cæleſtium verò motuum conſenſum ex eclipſibus colli-

colligi : tum extendi uſum ad omnium nationum Kalendaria, ſive heortologia : adeò ut nihil ſuperſit reliquum ad interpretationis noſtræ jura firmanda. Verumtamen, ne ulla à me difficultas vel ſuſpicio diſſimuletur; duo ſunt objices removendi : quorum alterum poſuit auctoritas priorum interpretum, nempe Scaligeri, Bucherii, & aliorum, qui proximè ab utroque ſcripſerunt; alterum ſupereſt apud antiquos hiſtoricos : qui cùm tradant anni rationem, à Cæſare caſtigatam; nihil plerumque memorant de Cyclo Lunæ; cum tamen eundem occulere inofficioſo ſilentio non debuiſſent; ſi vnà cum Kalendario fuiſſet à Cæſare, vel ab Auguſto propoſitus in publico parapegmate. Et quidem quod pertinet ad hiſtoricorum teſtimonia, in poſtremam hujus capitis partem rejicio. Aſſumo autem priùs explorandam illorum interpretum opinionem, quibus placet in octo literis Juliani parapegmatis exprimi tantùm dies *nundinales*. Hujus interpretationis excluſio nouum feret pro noſtra ſuffragium. Si enim oſtendero, indicationi nundinarum ſervire minimè potuiſſe literas octo, quæ Cyclo Lunari tanta concinnitate reſpondent, quantam hactenus demonſtravi; jure videbor eaſdem interpretatus: quæ nec recuſant in noſtram ſententiam duci, nec patiuntur in alienam trahi.

2 Scaliger omnium primus arbitratus eſt literas octo ad nundinas pertinere. Dum enim proponeret hemerologium Auguſto imperante inciſum, quod initio diſſertationis exhibuimus, & paullò ante Scaligerum fuerat è ruderibus Urbis egeſtum, hæc ſtatim adjecit. *Dies anni Juliani, ut vides in exemplari, notati ſunt per octonarios uſque ad literam H: quia Romanorum Ogdoas in tributione dierum ſervabatur propter Nundinas, ut apud Judæos hebdomas propter Sabbatum, à quibus nos didicimus. Nam poſt tempora Theodoſii, imò à temporibus tantùm Dionyſii Exigui Kalendaria Romana in hebdomadas tributa, & Cyclus Lunæ in margine appoſitus, quem Aureum Numerum vocamus, exemplo Kalendarii Alexandrini. Antea nondum Kalendariis Julianis annotabatur numerus aureus. Nam planè inventum eſt Chriſtianorum poſt conſeſſum Nicænum. Ut ſatis mirari non poſſim doctos viros, qui aſſeverant, etiam Epactas à Julio in Kalendario ſuo impreſſas. Diceres eos cum Soſigene in conſilium à Dictatore adhibitos. Quid? Nonne doctiſſimus Mathematicus Germanus ſcribit, ſe apud Baronem Germanum vidiſſe commentarium ampliſſimum in aureum numerum C. Cæſaris: eumque commentarium in codice vetuſtiſſimo fuiſſe deſcriptum? Adeo peregrinus eſt in harum rerum origine. Ajunt igitur, à C. Cæſare Kalendis Janua-*

rii unitatem appoſitam: quia is eſſet primus annus Cycli Lunaris Juliani, quod in Kal. illas novilunium concurreret. Sed ne verum quidem conjunctionem luminarium fuiſſe in Kal. Januarii primi &c.

3 Hìc non ſemel hallucinatus eſt eruditus temporum emendator. Nam vetuſtum illum codicem, in quo ætas Lunæ occurrit, digeſta per Epactas ad annos ſingulos Kalendis Januarii, ſcriptum verò tum ante Dionyſium, tum ante Magnum Theodoſium, ut probant Auctores mox afferendi, edidit bono literarum fato Bucherius, doctiſſimo cum commentario, & illuſtravit iterum Eminentiſſimus Noriſius poſt Epochas Syromacedonum. Minùs etiam verè diſtulit Scaliger neomeniam primam Æræ Julianæ ad poſtridie Kalendas Januarii: quam ipſis Kalendis contigiſſe juxta utrumque motum, *verum*, ac *medium* omnes Chronologi colligunt. Qua igitur facilitate iſta protulit, à vero prorſus aliena; eadem falli etiam potuit in literis Cycli Lunaris applicandis ad nundinas. Pedibus quidem ivit in hanc ſententiam Scaligeri P. Ægidius Bucherius, paullò ante commendatus; ſed rem à ſe non fuiſſe maturiùs perpenſam declarat in breviſſima approbatione, qua hæc omnia tranſilit. In diſcrimen adduxit eandem ſententiam Langius, ex Macrobio ſcitè obſervans, Nundinarum intervalla debuiſſe literis novenis potiùs, quàm octonis conſignari. Nam octo dies ſolidi videntur interceſſiſſe inter utraque extrema Nundinarum, ità ſcribente Rutilio. Macrobii verba ſunt: *Rutilius ſcribit, Romanos inſtituiſſe Nundinas: ut octo quidem diebus in agris ruſtici opus facerent: nono autem die, intermiſſo rure, ad mercatum legeſque accipiendas Romam venirent*. Ne igitur octonas literas Kalendarii adſcribam periodo Nundinarum, Rutilii auctoritas intercedit. Quî enim fieret, ut ruſtici *octo diebus in agris opus facerent*, & *nona* die nundinarum *rus intermitterent*, ſi poſt octavam literam, quæ proxima eſt ogdoadis ſecundæ, nundinas inſtauraret? Profectò nec Judæi ſeptenos dies, neque nos Chriſtiani totidem intermittimus, ſed tantùm ſex, quando per ſeptem literas illis Sabbatum, nobis Dominica dies recurrit. Numerus dierum operi utilium unitate majorem arguit periodum dierum ac literarum, quæ complectatur diem vacationis. Cum igitur, tradente Rutilio, octo fuerint dies operis ruſtici, unus poſt hos dies intermiſſi ruris ſeu nundinarum; jàm liquet, per octo literas non potuiſſe hanc periodum novem dierum in Kalendario deſcribi.

Macrob. Saturn. libro 1. cap. 16.

4 Verùm & alia de cauſſa nundinalem periodum ab ſe rejiciunt octo literæ Kalendarii Juliani. Horus, & Prætextatus apud Macro-

Saturn. lib. primo cap. 13. & 15.

Macrobium ſubtiliter quærunt de Nundinis, quarum obſervatio tam diligens, tam cauta narratur, ut religio fuerit, ne unquam in Kalendas Januarias, vel in quaſcumque Nonas menſium Nundinæ inciderent, poſteaquam ſuperſtitioſa obſervatione diri ominis id eſſe cæpit. *Cum ſæpe*, inquit, *eveniret, ut Nundinæ modò in anni principem diem, modò in Nonas caderent: utrumque autem pernicioſum reipublicæ putabatur: remedium, quo hoc averteretur, excogitatum eſt. Quod aperiemus, ſi priùs oſtenderimus, cur Nundinæ vel primis Kalendis, vel Nonis omnibus cavebantur. Nam quoties incipiente anno dies cæpit qui adlectus eſt nundinis: omnis ille annus infauſtis caſibus luctuoſus fuit: maximèque Lepidiano tumultu opinio illa firmata eſt.* At remedium quidem, quo id caveretur, Macrobius ibi non attulit. Cauſam tantummodo cavendorum dierum, qui ad Nundinas legerentur, ità ſubtexuit. *Nonis autem conventus univerſæ multitudinis vitandus exiſtimabatur: quoniam populus Romanus exactis etiam regibus diem hunc Nonarum maximè celebrabat, quem Natalem Ser. Tullii exiſtimabat. Quia cùm incertum eſſet, quo menſe Ser. Tullius natus eſſet: Nonis tamen natum eſſe conſtaret: omnes Nonas celebri notitia (al. lætitia) frequentabant. Veritos ergo, qui diebus præerant, ne quid Nundinis collecta univerſitas ob regis deſiderium novaret: caviſſe, ut Nonæ à Nundinis ſegregarentur.*

Ex hac itaque lege Arithmeticos provoco ad experiundum de Kalendario Cæſaris, ejuſque literis octo, an fieri unquam poſſit, ut quocumque nundinali Cyclo iiſdem ex literis contexto, Nonæ omnes, & princeps anni dies à nundinarum incurſu liberentur. Tentari omnes literas volo. A & E ſunt omittendæ: quòd illa in Kalendas, iſta in Nonas Januarii cadat. Superſunt B C D F G H: quæ pariter ſunt excludendæ. Auſpicemur enim à litera B, 2 Januarii. Vel octavo quoque die, juxta placitum Scaligeri, & Bucherii; vel nono juxta Langii ſententiam, ac noſtram, recurrent Nundinæ. Si octavo inſtaurantur die; Nonæ Martii, litera B ſignatæ, eandem excludunt à cenſu nundinalium. Huic verò difficultati obnoxiam reddent literam C nonæ Decembres; D Februarii, Junii, & Julii; E Januarii & Novemb.; G Aprilis & Maii; H Septembris & Octobris. Supereſt litera F libera tum ab incurſu Kalendarum Januarii, tum à quibuslibet Nonis. Verùm cùm litera F in diſtributione applicetur etiam diei 24. Decembris; ſi octavo poſtea die nundinæ inſtaurarentur; caderent in proximas Kalendas Januarii. Sin verò placeat octo diebus rura coli, & nonam quamque diem adlegi

ad

Annis impares.		Anni pares.	
Ian.	7	Ian.	2
	16		11
	25		20
			29
Feb.	3	Feb.	7
	12		16
	21		25
Mart.	2	Mart.	6
	11		15
	20		24
	29		
Apr.	7	Apr.	2
	16		11
	25		20
			29
Maii	4	Maii	8
	13		17
	22		26
	31		
Iun.	9	Iun.	4
	18		13
	27		22
Iul.	6	Iul.	1
	15		10
	24		19
			28
Aug.	2	Aug.	6
	11		15
	20		24
	29		
Sept.	7	Sept.	2
	16		11
	25		20
			29
Oct.	4	Oct.	8
	13		17
	22		26
	31		
Nov.	9	Nov.	4
	18		13
	27		22
Dec.	6	Dec.	1
	15		10
	24		19
			28

ad Nundinas, ut nos cum Rutilio probamus; non video, cur novem literis uſus non fuerit Julius Cæſar, ſive Auguſtus, in civili parapegmate Kalendarii: quemadmodum Chriſtiano more literas ſeptem aſſumimus ad Ferias ſex inſerendas inter Sabbata ſingularum hebdomadum. Præterea incurſus Kalendarum Januarii, aut Nonarum alicuius menſis impedit uſum cujuſcumque literæ ex octo propoſitis, ſi nona quaque die nundinæ occurrant. Nam A & E, quæ in principes anni Kalendas ac Nonas incidunt, ſtatim excident jure indicandi. Si numeres à litera B, 2. Januarii, per intervalla dierum novem, concurrent Nundinæ cum Nonis Auguſti. Eodem vitio peccat litera C., turbans Romanum omen Nonis Martii. D inficiet Nonas Novembris. F vitiabit Nonas Septembris: H Nonas Februarii, & Julii. Vacaret infauſto auſpicio litera G: niſi hæc transferret anno ſequenti indicium Nundinarum in literam B, jàm excluſam. Neutrum igitur ſyſtema utiles reddit octonas literas Kalendari, ſive octavo, ſive nono die inſtaurandæ ſint Nundinæ. Quare videmur jure ſtatuere cum Langio, eaſdem literas ad vſum planè diverſum fuiſſe appoſitas Kalendario Juliano.

5 Cæterum ſi Julius Cæſar, ſive Auguſtus, ejuſve Mathematici voluiſſent Nundinarum periodum explicare; mihi videntur compendioſiſſimè id præſtare potuiſſe ſingulis bienniis; unico die diſſimulato in fine dieteridis. Non is ego ſum, qui Cæſari augur occurram, aut conſiliarus adhiberi præſumam à Soſigene. Si tamen problema ſolvendum proponatur ità ordinandi Nundinas more Romano per intervalla dierum novem, ut nunquam incurrant in diem Kalendarum Januarii, vel in cujuſcumque menſis Nonas; poſſem actutum recitare ex tabella, quam in margine adſcribam. Duas in illa ſtatuo columnas; unam annorum imparium; alteram parium. Prima Nundinarum indictio aſſignetur diei 7. Januarii. Aſſero Nundinas toto biennio nunquam occurſuras Kal. Januarii, vel Nonis cujuslibet menſis: quod ex ipſa dierum conſecutione percipitur, in Tabella. In fine annorum parium dies diſſimuletur: próut anno biſſextili dies VI. Kal. Martii dum bis aſſumitur ſemel diſſimulatur. Perſpicuum eſt, anno tertio recurſuras iterum Nundinas die 7. Jannarii: unde periodus Nundinarum iterum fluet, ad proximum biennium numeranda: & incident Nundinæ in eaſdem omninò dies Kalendarii Juliani, juxta columnas annorum parium & imparium.

An verò Romani uterentur hac methodo Nundinali, præſertim poſt editum Cæſaris Kalendarium, ſtatuere minimè auſim. Neque enim hactenus aliud probare contenderam poſtremo

capite

capite hujus diſſertationis, quàm literas octo, in Kalendario conſpicuas, nullum referre Cyclum Nundinarum; ſed periodum Luniſolarem, eamque elegantiſſimam exhibere.

6 Abſolvimus, ut arbitror, literas Cycli Juliani à ſervitute Nundinarum contra recentium ſcriptorum auctoritatem. Defendere eaſdem oportet ab imputato vetuſtiorum ſilentio: quod illis inimicum interpretari facile poſſent ii, quibus perſuaſum eſt, non defuturos fuiſſe Chronologos aut Hiſtoricos, qui Cyclum Lunarem Cæſaris ità celebrarent, uti Solaris anni methodum, in eodem parapegmate unà propoſitum, memoriæ prodiderunt. Hujuſmodi ſuſpicioni eò lubentiùs occurram, quò incidet opportuniùs in reſponſione ætatem ejuſdem Cycli aperire. Aſſero itaque, apud Hiſtoricos, & Chronologos vetuſtiores prætermiſſam non fuiſſe memoriam Lunaris Cycli: quin potiùs literis non ſemel mandatam ad nos perveniſſe cum eorundem operibus. Macrobius enim aſſeverat, uti docuimus ſub initium diſſertationis cum Eminentiſſimo Noriſio, *annum civilem à Cæſare conſtitutum habitis ad Lunam dimenſionibus, ac edicto palàm poſito publicatum*: quæ verba ſatis diſertè indicant Lunaris Cycli rationem in marmorea tabula Kalendarii à nobis explicatam. Verùm de Lunari Romanorum Cyclo, ætate Cæſaris adinvento, evidentius teſtimonium occurrit in Euſebii Chronologia. Is enim ad annum tertium Olympiadis 186., Herodis Regni decimum, hæc adſcripſit: LVNAE SECVNDVM ROMANOS CVRSVS ADINVENTVS. Verſavit hunc locum Petavius de doctr. temporum lib.x. cap.67.: ubi divinare viſus eſt, cùm de aliquo Lunari Cyclo, per id temporis à Romanis excogitato, hanc Euſebii periocham interpretaretur. Poſtquam enim de auctore ejuſdem periochæ ultro citroque diſſerens plura congeſſit, hanc de illius explicatione legitima ſententiam tulit: *nihil aliud velle, niſi circa hoc tempus Romanos Lunarem aliquem Cyclum ad annum ſuum Julianum adſciviſſe; ac tum primùm utriuſque ſideris epilogiſmos certo aliquo annorum orbe, ut puta enneadecaeteride conſtrictos, in concordiam adduxiſſe: non tamen, ut ab hoc anno* (Olympiadis 186. tertio) *caput illius periodi repetendum ſciverint, quod periocha non loquitur; ſed ut Lunarem illo tempore curſum inveſtigaverint*. Utrumque rectè aſſequutus videtur: tum quod Cyclum Lunarem crediditi à Romanis hac ætate adinventum, & Kalendario Cæſaris inſertum; tum quod initium Cycli nequaquam aſſignandum eſſe cenſuit anno tertiò Olympiadis CLXXXVI., ſed referendum ad aliquem ex annis proximis. Operæ pretium non eſt Chronographorum, ſeu Criticorum tricis moleſtiùs

*M*acrob. Saturnal. lib.1. cap.14. Vide ſupre pag.1.

ſtiùs

ſtiùs immorari, ut ex varia Olympiadum connexione cum Herodis Epocha, ſive ex codicum antiquorum collatione cum notis Euſebii hujus inventi annum præciſiùs indicemus. Ut facillimum eſt in numeris Græcè deſcribendis elementa permutare, & loco Olympiadis 183., quæ ſcribenda eſſet per notas ΡΠΓ corruptè uſurpare literas ΡΠϚ, quæ notæ ſunt numeri 186. (quemadmodum ex athletica inſcriptione Palatii Farneſiani ſimilem anachroniſmum ab exſcriptoribus inductum animadvertit, & ex marmoris inſpectione emendavit Cardinalis Noriſius epiſtolæ Conſularis pag.88.); ita non difficulter potuit Euſebius à vitioſis codicibus excipere numerum Olympiadis ΡΠϚ loco tertiæ præcedentis ΡΠΓ, *unius literæ, nempe gamma longiori tractu inferiùs ſinuato*, ut rectè ibi obſervabat Eminentiſſimus emendator. Ejus verò Olympiadis ΡΠΓ 183. anno tertio cùm tribuatur correctio Juliana, & Lunaris Epochæ caput affigatur, quemadmodum hac diſſertatione ſtatuimus; conſequens erat, ut juxta numerum annorum mendosè lectum in expanſione Canonis Chronici per trinam Olympiadem differret Chronographus hanc periocham. Fortaſſis etiam dilata fuit Lunaris Cycli expanſio in parapegmate Kalendarii Juliani ad annum, quo Auguſtus rerum potitus eſt, unde Alexandrini numerare cæperunt Æram Auguſtorum: qui tertia Olympiade diſtat ab anno primæ correctionis Julianæ. Quare nec ulterius vexamus numeros Canonis Euſebiani. Conſtet priſca lectionis auctoritas. Tanti non eſt diſputare de ſpatio trinæ Olympiadis, ubi, ſuffragante Petavio, Vetus Chronologus non loquitur de anno principe Cycli Luniſolaris, à Romanis conſtituti; ſed tantùm de ætate Julii, & Octaviani, quarum alterutra ſibi vindicat periocham illam Euſebianam, *Lunæ ſecundùm Romanos curſus adinventus*. Auguſti Principis ætati videtur ab Euſebio aſſignata, pluſquam vicennio maturiùs, quàm ipſi contigerit paternam emendationem anni civilis perficere, à ſacerdotibus imperitis in pontificatu Lepidi malè luxatam. Julio Cæſari tribuit Macrobius. Cùm enim Julius dicatur edicto palam poſito annum ordinaſſe habitis ad Lunam quoque dimenſionibus; vix aliter intelligi poteſt, quàm ut inſertis proprio Kalendario literis octo, ejus Cycli Lunaris auctor habeatur: cujus interpretationem ex marmoreæ tabulæ titulo indicatam comparatione cæleſtium motuum, & Orbis Romani uſibus confirmabam.

CAPUT SEPTIMUM.

Pleraque in hac diſſertatione pertractata illuſtrantur ex antiquo marmore, nuper detecto in baſi Columnæ, Antonino Pio dicatæ poſt ejuſdem apotheoſim: cujus vetuſti operis deſcriptio, & declaratio exhibetur.

SUMMA CAPITIS.

1 *Deſcriptio baſis, in qua exprimitur Apotheoſis Antonini Pii, ejuſque dedicationis epigraphe, poſita communi nomine fratrum Auguſtorum Marci Aurelii, & Lucii Veri. 2. Exponuntur ſymbola globi cœleſtis ibidem appoſita ad Epocham conſecrationis Pii demonſtrandam. 3. Oſtenditur, iiſdem cæremoniis peractam fuiſſe apotheoſim Pii, quibus Auguſtus antea fuerat inter divos à Tiberio relatus. 4. Annui Circenſes ludi die Natali Antonini, uti olim Auguſto, ita etiam Pio decreti à Senatu, cum ejuſdem apotheoſi, indicantur per obeliſcum, in baſi ſculptum, quem illi offert Genius Circi, aut Campi Martii, ſeu Genius Populi Romani, humi ſedens. Illuſtratur verò ejuſmodi ritus exemplo Regum Ægyptiorum: à quibus deductæ ſuperſtitiones pleræque ethnicorum, ſed præcipuè cultus communis Soli, & Principibus in deos relatis. 5. Dies Apotheoſeos Antonini hoc in marmore conſignatur duplici ſymbolo, ſeu charactere: quorum alter ad annum cæleſtem pertinet, alter ad civilem Romanorum. Indicatur autem dies pridie Eidus Martii Æræ Chriſti communis 161.: quæ fuit octava dies obitus Antonini. Character cæleſtis ejus diei habetur in locis Solis, ac Lunæ, ibi deſignatis. 6. Equeſtres ludi, ſeu decurſio Romanorum, in utroque latere baſis ejuſdem ſculpta, præter hunc ritum, qui pars erat apotheoſeos, alterum quoque characterem videtur oſtendere ejuſdem diei* XIV. *Martii, in anni civilis ordinatione Feſto Equiriorum tributæ. Ejuſdem ritus funebris ac feſti origo apud Romanos veterum Auctorum teſtimonio illuſtratur. Ex pleriſque ſymbolis hujus anaglyptici operis confirmantur ea, quæ in hac diſſertatione pertractabantur, præſertim quarto, & quinto Capite de ludorum Circenſium ſpectaculis, aliiſque ſuperſtitionibus, ac myſteriis, ad utriuſque Luminaris motus,*

&

& ad memoriam Principum impio cultu celebrandam apud ethnicos, plerumque adhibitis, & ordinatis ex Cyclo Kalendarii Juliani.

1 DUm hujuſce lucubrationis de Kalendario & Cyclo Cæſaris poſtrema folia prælo ſubduntur per fauſtam diem IX.Kal. Decembris qua literarii munuſculi nuncupatio Optimo Principi offerebatur, Natalitii titulo indulgentiùs excipienda, aut excuſanda, felici admodum eventu contigit, ut è ruderibus, ad palmos quadraginta cum ſolo egeſtis, in lùcem educeretur antiqua baſis, Columnæ adhuc ſuppoſita: unde pars maxima comprobatur illarum rerum, quæ Capite quarto, & quinto hujus diſſertationis exponebam. Pro illo enim ſtudio, quo doctiſſimus Princeps (ut id quoque referam ad felicitatem noſtrorum temporum) Urbis ornamenta proſequitur, ac illa præſertim, quæ illuſtrant hiſtoriæ partem, Eccleſiæ, & Imperio communem; ſuggerente Illuſtriſſimo ac Reuerendiſſimo Domino Nicolao Judice, Cameræ Apoſtolicæ Clerico, rerum antiquarum in primis ſtudioſo; Columnam in Campo Martio, à cochlide diverſam, Antonino Pio dicatam, & ſuperioribus ætatibus dimidia tantum ſui parte ſpectabilem, (cùm reliqua pars ingeſto potius colle quàm terra occultaretur) egeſto ſolo à ſqualore detergi, ac veluti è tumulo educi dum jubet; reperta eſt baſis ampliſſima ex marmore plurimum commendato, quod Græcum noſtrates vocant, eoque perpetuo, licet ad expanſionem palmorum quindecim undequaque extenſo; anaglypticis operibus ſcalpturæ admirandæ in ſingulis lateribus ornata, præter quàm in eo, quod reſpicit plagam occidentalem: ubi aream marmoris implet inſcriptio, antiquam elegantiam ſua brevitate, ac majeſtatem characterum amplitudine referens. In ea verò legitur dedicatio Columnæ à duobus Auguſtis, Aurelio, & Vero fratribus optimo parenti Antonino Pio in deos relato, hujuſmodi verbis concepta

DIVO· ANTONINO· AVG· PIO
ANTONINVS· AVGVST· ET
VERVS· AVGVSTVS· FILII


Frons altera baſis iſtius, inſcriptioni adverſa, exhibet Pium, & Fauſtinam ejus uxorem ad Cęlum evectos per alatum Genium, utriuſque protomas humeris efferentem; non ſecus ac in marmore, olim extante in arcu triumphali M. Aurelii, nunc verò

in



Decurſio militaris Equitum ac peditum Romanorum, anaglyptico opere inſculpta in baſi Columnę, Antonino Pio erectę ab Impp. M. Aurelio et L. Vero cum ſymbolis ejuſdem Apotheoſeos in Campo Martio, et ibidem detecta Aerę Christi anno 1703: ubi etiam legitur in alio baſis latere inſcriptio

DIVO·ANTONINO· AVG· PIO· ANTONINVS· AVGVSTVS· ET· VERVS· AVGVSTVS· FILII



Roma ſedens Apotheoſim decernit Antonino Pio: cuius, et uxoris Fauſtinæ protomas in ſublime humeris tollit Genius cęleſtis, dum Circenſes ludos, qui Diuorum in natalibus edebantur, alia figura humi decumbens per obeliſcum oſtendit. Opus anaglyphum, Romæ detectum anno 1703, in basi columnæ, Pio dicatæ in Campo Martio ab Impp. M. Aurelio et L. Vero.

in Capitolium tranſlato viſitur Fauſtina minor à Diana Lucifera alis explicatis in ſublime geſtari, ſpectante M. Aurelio, & Genio Vici Halalæ, ad radices Tauri Montis, ubi illa deceſſerat: quod erudita Io: Bellorii explicatio prodidit, uti legimus in graphica deſcriptione illius tabulæ, edita fol.49. inter Arcus triumphales à Io: Dominico de Rubeis. Addita verò ſunt hac in Apotheoſi Antonini elegantiſſima ſymbola: quæ cum mirificè comprobent pleraque, à me prolata Capite quarto & quinto hujus diſſertationis; eadem lubentiùs offeram eruditis: addita etiam icone totius anaglyphi; ut monumenti adeò præclari expoſitionem, quam ego properanti ſtylo curſim attingam, feliciùs, & vberiùs alii pertractent.

In hac itaque facie baſis, quam appellabimus primam, exhibetur apotheoſis Antonini Patris, cognomento Pii, & uxoris Fauſtinæ majoris: ſpectante Roma, quæ, ut moris eſt, mulieris armatæ cultu, & figura exprimitur, ſedens in ima parte marmoris ſupra ſcutum, Lupâ, & puerulis inſignitum, & Genium intuens exaduerſo poſitum. Pro Romæ pedibus ſpolia congeſta jacent: quæ jure poſſumus interpretari Britannica, Germanica, Dacica, & Judaica; cùm Antonini expeditiones, per legatos feliciter adminiſtratæ, hæ fermè habeantur: nam ceteroqui ejus imperium ita fuit pacatum, ut de Pio ſcripſerit Capitolinus: *Solus omnium propè principum prorſus ſine civili ſanguine, & hoſtili, quantum ad ſe pertinet, vixit*. Viſitur verò adverſus Romæ juvenis, pallio ſuccinctus, humi ſedens, ac ferme ſtratus parte inferiori corporis; ſuperna erectus: ſiniſtro autem femore ſuſtinet obeliſcum, quem læva manu complèctitur. Hunc haberi oportere Genium populi Romani aut Genium Campi Martii, ſeu potiùs, (quod lubentiùs dixerim), Genium Circi, infra oſtendam numero IV. At Genius alatus inter duas aquilas medius ſupernè volat, & ſiniſtra manu globum ſtellatum præfert: in quo Zodiaci faſciam videmus, aliquot ſigna exhibentem, hoc eſt Piſces, Arietem, & initium Tauri. Lunam quoq; corniculatam demonſtrat globus, & prope medium Arietis ſignum conſtitutam. Circa globum ſinuatur Serpens, polo Zodiaci Arctico ſuperna ſui parte inſiſtens, eoq; poſitu referens cæleſtem Draconem: quem Aſtronomi Veteres in illa ſpheræ parte collocaverunt, Aſteriſmum latè extendentes per duodecim ſigna, in cardine eclipticæ collecta: unde fabulantur Poetæ eundem eſſe, qui à Gigantibus obiectus Minervæ, cum eos in Cęlum conſcendere nitentes oppugnaret, & ab eadem Minerva arreptus, & contortus, ad Cęli axem affixus dicitur: indicio evidenti Aſtronomici ſtudii, tum primum ab antiquis ordinati, cùm eclipticæ polum, & axem

Hyginus in Poet. Aſtron.

axem deprehendiſſent obſervatione. Hujus proinde draconis imagine utebantur Ægyptii, Græci, ac Romani tamquam aptiſſimo ſymbolo ad indicandam periodum annuam, ac menſtruam, ut ſupra dixeram pag.50., nummorum fidem ſecutus. Aptiſſimo, inquam ſymbolo; nam Aſteriſmus Draconis, latè circumvolutus in ea Cęli plaga, quæ circulos longitudinum colligit, veluti in umbilicum, ad ſummum verticem, ſeu polum Zodiaci Boreum, pervadit ſigna duodecim, eoque nomine integram Solis converſionem annuam, & Lunæ menſtruam jure deſignat. Poſterior verò ætas modò temporis, modò æternitatis ſymbolum haberi voluit, utpote imaginem cęleſtis motûs in ſe recurrentis, nulloque termino definiti. At effigies, ſeu protome Antonini, quam Genius ille alatus, hoc eſt cęleſtis, humeris geſtat, tunicata eſt, & ſcipionem eburneum, Aquilâ Romanâ faſtigiatum, inſigne ſcilicet imperii, dextera manu præfert. Vxoris Fauſtinæ imago illi adhærens, eodem cultu, quo in nummis, viſitur, in ſummo vertice tutulata, & pluribus unionum gyris collectos crines de more conſtringens: velo etiam eleganter expanſo, ad referendam imaginem Lunæ; ut ſolemne Romanis fuit in Auguſtarum conſecratione, ſive ad *peplum* illum percelebrem indicandum, quem Junonis ac Lunæ capiti circumductum, cęlum, aeri, & planetis circumfuſum ſignificare ex Porphyrio docet Auctor eruditiſſimus Monumentum Veteris Antri pagina 185. Hæc in antica fronte baſis, quæ orientem reſpicit. Lateralibus autem ſpatiis, ad Meridiem, & Boream verſis, inſculpta eſt decurſio Equitum Romanorum, in Apotheoſi Cæſarum uſurpata, uti ex Dionis libro 26. circa finem, & ex Herodiano lib.4. noverunt antiquarii. Demum in quarta facie hujus fulcri, ſeu baſis, ad occidentem poſita, legitur inſcriptio, paullò ante relata, DIVO. ANTONINO. AVG. PIO &c.: quæ æneis characteribus olim fuerat Magnificè inſtructa, iiſque ad dodrantem palmi Romani extenſis, ut altè inciſi literarum ductus demonſtrant.

2 Quoniam verò præcipuum inſtitutum mihi modò non eſt in ſingulas anaglyphi hujus figuras moroſiùs inquirere, tum ritum apotheoſeos, aut decurſionis, vel Pyrrhici, ſeu Trojani ludi, ornatus Equitum, turmas, vexillationes, militaria ſigna, cultum, & alia hujuſmodi oſtendere, præſtantium Auctorum libris abundè pertractata; in ea tantummodo parte ſiſtam, quæ paullò ante deſcripta eſt, & potior etiam videtur; tum operis noſtri argumentum proximè attingit. Ejus interpretationem ut expoſuero, plura veluti corollaria deducam ad confirmationem eorum, quæ in hujus diſſertationis decur-

fu,

ſu, capite præſertim quarto, & quinto, aſſerveram, & numiſmatum antiquorum teſtimonio comprobaveram.

Primùm itaque obſervo, in cæleſti globo, quem Genius alatus ſiniſtra manu geſtat, non eſſe improvidè conſignatam cum Vernis Zodiaci ſignis creſcentem Lunam. Epocha enim conſecrationis Antonini diſertè oſtenditur hoc uno ſphæræ conſpectu. Piſcium, & Arietis ſigna, uti narrabam, globus demonſtrat: & circa mediam Arietis imaginem creſcentis Lunæ figuram profert, ſupra Zodiaci faſciam paullisper elevatam, ut cornuum directio prodat, Lunam radios mutuari à tertia circiter decade Piſcium; ubi propterea neceſſe eſt Solem tunc verſantem intelligi. Ex his verò locis utriuſque ſideris ita indicatis oſtenditur ipſiſſima dies 14. Martii Æræ Chriſti vulgaris 161.: qua mox demonſtrandum erit, honorem apotheoſeos delatum fuiſſe à duobus Auguſtis fratribus Pio parenti: cui proinde DIVI nomen in Columnæ dedicatione tribuitur. Deſignationem temporis ita colligo.

Conſentiunt potiores Chronographi, veterum hiſtoricorum, lapidum, & nummorum auctoritate ducti, è vita ceſſiſſe Antoninum Pium Nonis Martii anno Epochæ Chriſtianæ CLXI. Facem omnibus prætulit parens hiſtoriæ Panvinius: cujus non rationes modò, ſed etiam verba præſtat adducere in Faſtis ad annum V. C. 914. ubi ait. *Pius imperare cœpit die obitus Hadriani*, VI. *Idus Julii*, *ut tradit Spartianus*. *Imperavit autem uſque ad hunc annum*, *ut paullò poſt oſtendam ex antiquis nummis*. *Is autem imperare deſiit quo die mortuus eſt*, *in quo Marcus imperium accepit*. *Marcus autem*, *ut inter omnes conſtat*, *imperavit annos* XIX., *& dies* XI. *Is*, *Tertulliano*, *& Dione teſtibus*, *obiit* XVI. *Kalendas Aprilis*. *Si autem ab eo die* XI. *dies retrogradiamur*, *inveniemus diem natalem imperii Marci*, *mortiſque Pii fuiſſe Nonas Martii hujus anni*. *Quod etiam mirificè quadrat Pii epitaphio*: *ex quo eum tribuniciam poteſtatem* XXIIII. *attigiſſe intelligitur*, *quod verum eſt*. *Nam* XXIIII. *anno ante* V. *Kalendas Martii*, *die adoptionis*, *eam ab Hadriano obtinuerat*, *ut tradit Julius Capitolinus in ejus vita*. *Hoc igitur anno*, *quando diem obiit*, *tribunicæ poteſtatis* XXIIII. *diem agebat undecimum*. *Statim autem inter Divos à Marco relatus eſt*, *& in Hadriani Sepulchro ſuper Tiberim cum hoc elogio tumulatus*:

IMP. CAESARI T. AELIO HADRIANO
ANTONINO AVG. PIO PONTIF. MAXIM.
TRIB. POT. XXIIII. IMP. II. COS. IIII. P. P.

Panvinii computum probaverunt Eminentiſſimus Card. Noriſius Epiſtolæ conſularis pag. 101., P. Dionyſius Petavius in Chronologia expanſa, nec non alii primi ordinis Auctores, nihil remorati ſententiam Lydiati in Canone Chronico, quam vetera monumenta lapidum, & nummorum facilè explodunt.

Rectè etiam ſcripſit Panvinius, fuiſſe Pium à Marco *ſtatim* inter Divos relatum. Nam Julius Capitolinus ejus vitæ hiſtoriam ita concludit, ut commemoret, communi ſtudio fuiſſe Pium ab univerſo Senatu Divum appellatum, & omnibus honoribus certatim auctum. *Cum jucunditate*, inquit, *à Senatu Divus eſt appellatus, cunctis certatim adnitentibus, cum omnes ejus pietatem clementiam, ingenium ſanctimoniam laudarent. Decreti etiam ſunt omnes honores, qui optimis principibus antea delati ſunt. Meruit & flaminem & Circenſes, & templum, & ſodales Antoninianos: ſoluſque omnium propè Principum prorſus ſine civili ſanguine, & hoſtili, quantum ad ſeipſum pertinet, vixit. Et qui ritè comparetur Numæ, cujus felicitatem, pietatemque, & ſecuritatem, cæremoniaſque ſemper obtinuit*. Idem Capitolinus in Vita M. Aurelii unâ vel alterâ periodo, eâque breviſſimâ Piani funeris, & conſecrationis ſummam complectitur, à Marco, & Vero curatam utroque exequiarum honore, privato & publico. *Hadriani autem ſepulchro*, ait, *corpus patris intulerunt magnifico exequiarum officio. Mox juſtitio ſecuto, publicè quoque funeris expeditus eſt ordo. Et laudavere uterque pro roſtris patrem, flaminemque ei ex affinibus, & ſodales ex amiciſſimis Aurelianos creavere*.

3 Pauca hæc verba demonſtrant, apotheoſim Antonini iiſdem cæremoniis peractam, quibus Octaviano Auguſto is honor primùm delatus fuerat, & à Dione deſcriptus. In baſi verò, quam explicamus, indicari id conjicio ex ejus figuræ appoſitione, quæ ſuſtinet obeliſcum, tum etiam ex decurſione Equitum Romanorum, in lateribus ſecundo & tertio ejuſdem ſtereobatæ inciſa, ut paullò infra oſtendam.

Supervacaneum puto tranſcribere ex Dionis hiſtoria ritum conſecrationis Auguſtorum, quem ipſe mandavit literis teſtis oculatus, quippe inter Senatores relatus, ac præſens in funere Pertinacis. Collegerunt pridem antiquitatum ſtudioſi ex Dione, & ex Herodiano: qui etiam diſertè ſcribit, per dies ſeptem luctum publicum circa imaginem defuncti lecto jacentem, fieri, pronunciantibus quotidie medicis, deterius ſe habere, donec die ſeptima quaſi diem obire viſus fuerit, mor-

Dio lib. 56. Herodian. lib. 4. cap. 2.

tuus

tuus habeatur. *Tum verò lectum humeris attollunt Equeſtris Senatoriique ordinis nobiliſſimi, ac lectiſſimi juvenes, perque viam ſacram in vetus forum deferunt, ubi magiſtratus Romani deponere imperium conſueverant.* Hìc verò ait, defunctum Principem laudari certatim à choris puerorum patriciorum, ac fæminarum nobilium. Dio etiam addit, orationem recitari de ejuſdem laudibus; tum procedentibus ordinibus *ad Campum Martium, quà latiſſimè Campus patet, ſuggeſtus quidam ſpecie quadrangula; lateribus æquis aſſurgit, nulla præterquam lignorum ingentium materia compactus in tabernaculi formam.* Pyra deſcripta, ita proſequitur Herodianus ſeriem apotheoſeos. *Ubi verò ingens aromatum acervus* (in pyram) *aggeſtus eſt, ac locus omnis expletus, tum circa ædificium illud adequitant, univerſis equeſtris ordinis certa quadam lege ac recurſu, motuque Pyrrhichio, numeroque in orbem recurrentibus. Currus item decenti ſimiliter ordine circumaguntur, inſeſſi purpuratis rectoribus, qui perſonas ferant, quæ habent imagines Ducum omnium Romanorum, Principumque illuſtrium. Quæ ubi celebrata ſunt, facem capit Imperii ſucceſſor, eamque tabernaculo admovet. Tum ceteri omnes undique ignem ſubjiciunt: cunctaque illicò fomitibus illis aridis odoramentiſque referta, igni valido corripiuntur. Mox ab extremo minimoque tabernaculo, tamquam è faſtigio quodam, ſimul cum ſubjecto igni aſcenſura in ætherem aquila dimittitur: quæ in Cęlum creditur ipſam Principis animam deferre. Ac jam ex illo una cum ceteris numinibus Imperator colitur.* Aquilæ duæ hìc tribuuntur, una Pio, alia Fauſtinæ.

Dio etiam memorat, pedeſtrem militiam cum Equitibus circa molem adſtare, & circumire, & ornamenta, ac dona militaria, ſibi olim à demortuo Imperatore conlata, in ejus rogum conjcere conſueviſſe.

Quæ verò apud Dionē occurrunt in funere Auguſti peculiaria, & in conſecratione Antonini renovata, ea ferme ſunt. Primò laudatio duplex pro roſtris. Si quidem Auguſtus à Druſo Cæſare Tiberii filio primò laudatus fuit in foro veteri, veluti privato nomine ab affini, deinde ab ipſo Tiberio Imperatore & Pontifice Maximo, Senatu decernente veluti ex publica auctoritate. Quam obſervationem Tiberius ipſe declarat in exordio orationis, ad populum habitæ ex Senatus Conſulto pro roſtris Juliis, cùm paullò ante Druſus ad proxima roſtra fori veteris ex ſcripto recitaſſet. *Quæ privatim*, inquit, *ab homine cognato de Divo Auguſto dicenda fuerunt à Druſo dicta ſunt. Quoniam autem eum, idque meritò, publica etiam*

 aliqua

aliqua voce Senatus dignatus eſt; id muneris jure mihi injunctum eſſe ſatis ſcio. Non aliter Pii Antonini funus & apotheoſim curarunt Auguſti fratres M. Antoninus, & Verus. Præmiſſa enim Veri oratione, tamquam privato cognati hominis officio in parentalibus, ipſe Marcus ex Sen. Conſulto tamquam Pontifex Maximus communi Reipublicæ voce laudavit. Aptiſſimis igitur verbis Capitolinus narrat de Marco, & Vero. *Laudavere uterque pro roſtris patrem*. Ea, quæ ſequuntur, ab Auguſti pariter exemplo petita ſunt: nempe, *Flaminem ex affinibus, & ſodales* (hoc eſt Sacerdotum Collegium) *ex amiciſſimis* AVRELIANOS *creavere*. In vita autem Pii eoſdem ſodales vocat ANTONINIANOS. Nempe Auguſto Flamen fuerat conſtitutus, & Livia affinis, utpote Vxor ejuſdem, extitit etiam Sacerdos prima; tum in Coloniis collegia VI. Virûm Auguſtalium, ut omnes noverunt. AVRELIANOS, & ANTONINIANOS ſodales antiqui lapides memorant: quos hic exſcribam.

Capit. in Vita M. Aurelii.

Idem in fine Vitæ Antonini Pii.

C. CAERELLIO FVFIDIO
ANNIO. RAVO. C. F. OVF.
POLLITIANO. SODALI
MARCIANO. AVRELIANO
COMMODIANO. HELVIANO
SEVERIANO. III. VIR. MONET
A. A. A. F. F. TRIB. LATICLAVIO
LEG. III. CYR. VI. VIR. EQVIT. ROM.
TVRM AE. PRIMAE. QVAESTOR
CANDIDATO
IMP. CAES. M. AVRELII
ANTONINI. PII. FELICIS. AVG.
TRIB. PL. CANDID. PR. HASTAR. C. V.
FVFIDII. AMYCVS. ET
CHRESTINA. NVTRITORES

Panvin. de Civit. Rom. pag. 78.

Vereor tamen, ut iſte Fufidius Sodalis *Marcianus Aurelianus* ſit potius ex Collegio, in honorem M. Aurelii poſt ejus obitum inſtituto: ac propterea ſodales Pii ſint ANTONINIANI. At is, quem Gruterus habet fol. CCCCLVII., M. Pontius unus certè fuit è ſodalibus, à M. Aurelio lectis in Collegium eorum, quos Antonino Pio, & aliorum quos fratri Vero poſt ejuſdem apotheoſim decernente Senatu conſtituerat; nam M. Aurelio inter vivos agente lapis poſitus legitur

M. PON-

M. PONTIO M. F. PVP.
L. AELIANO LARGIO SABINO. COS. PON
TIFICI. SODALI. ANTONINIANO VERIANO
FECIALI. LEG. AVG. PR. PR. PROV. SYRIAE LEG. AVG
PR. PR. PROV. PANN. SVP. LEG. AVG. PR. PR. PAN
NON. INFER. COMITI. DIVI. VERI. AVG. DONATO. DONIS
MILITARIB. BELLO. ARMENIACO. ET. PARTHICO
AB IMP. ANTONINO. AVG. ET. A DIVO. VERO. AVG. &c.

Alterius quoque ſodalis ANTONINIANI VERIANI meminit marmor à Sponio relatum Itinerarii Tom.3. pag.49.

Habuit etiam apotheoſis Pii communem cum Auguſtea honorem templi, eidem Pio & Fauſtinæ poſiti: (prout olim Auguſto templum datum, quod Antoninus reſtituit, ut ex nummis conſtat): cujus hodie titulum ſuperſtitem legimus in Foro Boario, ſupra porticus epiſtilia in zophoro ſculptum

DIVO ANTONINO ET DIVAE FAVSTINAE EX S. C.

Demum Circenſes utriuſque Principis natali decretos vetus Kalendarium oſtendit apud Lambecium menſe Septembri

XIIII. Kal. Octob.	N	Traiani Triumphales	CMXLVIII.
XIII.		Pii Antonini	CMXXIIII. dies Ægypt.
IX	N	Divi Auguſti	CMXXXIIII.

4 Hos verò Circenſes ludos Antonino decretos ex S. C. elegantiſſimè expreſſos interpretor, in hac imagine apotheoſeos per obeliſcum, ipſi oblatum à juvene humi ſedente: quem indicare autumno Genium Circi, aut Genium Populi Romani. Et quidem Genius Populi Romani antiquis in numiſmatibus ſimili figura exprimitur, ſpecie juvenis, pallio tantùm obducti, nulliſque alis inſtructi. Verùm etiam in numiſmatibus Romanorum Imperatorum ſignatis GENIO AVGVSTI, & GENIVS AVGVSTI, ita efformatus occurrit Genius ſeminudus. GENIVS THEATRI inciſus legitur in marmore Capuano, non ita pridem edito à R.P. Mabillon, extantibus literis ſupra caput juvenis, pateram tenentis, & togati, imò etiam togæ lacinia ſupra caput reductâ in ſpeciem ſacrificuli, cui anguis barbatus apponitur. Nihil tamen videre ſimilius contigit huic figuræ juvenili obeliſcum tenenti, quàm imaginem Viæ Trajanæ, & imaginem fœminæ humi pariter ſedentis, appoſitis obeliſcis circenſibus, quæ in elegantiſſimo Hadriani nummo conſpicitur, ubi adjecta eſt Epocha Natalis Urbis. His nempe impellor ad aſſignandam figuram Genio Circi; cum Circus via quædam haberi debeat in ſe revoluta.

P.Mabill. Itin. Ital. pag.103.

Vide Tab.2. nu.39.

luta. Aptè vero exhibetur dimidia ſui parte ſtratus, in area ſcilicet, qua currus aguntur; dimidia verò erectus, ubi ſubſtructiones, & gradus altiùs tolluntur. Ceterum, ut Genio Auguſti, & Genio Populi Romani, & Genio theatri, ita etiam Circenſi huic Genio nullæ apponuntur alæ: quæ tamen alteri Genio, Pium & Fauſtinam ad Deos evehenti, hoc eodem in marmore tributæ ſunt; ad illam fortaſſe differentiam indicandam, quæ cæleſtes genios à terreſtribus ſecernebat apud antiquos. Idcircò Imperatoribus inter viros agentibus, nec non rebus inaminis in terra ſitis Genios involucres tribuerunt. At in Cęlum profecturis, nec non Orbibus, & corporibus aſtrorum in Cęlo verſantibus, ut globus hìc expreſſus oſtendit, Genios remigio alarum præditos, hoc eſt Cęleſtis naturæ, aſſignarunt. Cauſa incidendi obeliſci hoc in marmore non una fortaſſis fuit. Plura enim complecti potuit unico ſymbolo ingenium artificis. Nam Obeliſcus pertinere etiam potuit ad exprimendam ſimilitudinem funeris Auguſti: cujus Mauſoleum proximè conſtitutum ad ripam Tiberis, peregrinis hiſce molibus ornatum erat, exemplo regum Ægyptiorum, inter numina relatorum ſuis à gentilibus; cum ſcilicet hinc recedentes, reſolutis in ſua principia corporibus, animi pariter ad aſtra perferri, & Solis naturam induere, ac mundi animæ commiſceri crederentur, juxta errores ethnicæ theologiæ. Hoc etiam nomine obeliſcum Divo Pio illuſtrandum præbet Genius Romæ, aut Circi, aut Campi Martii (quandoquidem aſſerente Servio in notis ad verſ.94. lib.V. Æneidum, veterum Romanorum theologis decernentibus, nullus locus ſine Genio erat.) ut exprimat, eodem in Campo, ubi obeliſcum horarum indicem ſtatuerat Auguſtus, expectari impoſterum oportere, ut Pius inter Divos relatus, veluti Soli & Auguſto ſimilis, benigno lumine ſuam Romam è Cęlo proſpiciat, & felicia tempora Quiritibus dividat cum aſtris & Sole, ad quem hinc è rogo credebatur translatus. Sive igitur hæc moles Ægyptia denotet, Antoninum ad Solis circulum fuiſſe elevatum, & mundi animæ reſtitutum juxta ethnicorum placita, quæ ab Ægyptiis ad Italicam ſcholam derivaverant Pythagorei; ſive indicet annua ſacra ludorum Circenſium, ipſi tamquam divo conſtituta ex S. C., eadem prorſus lege, qua Solis, perinde ac Cæſarum diis additorum natalibus centeni currus Circenſium miſſuum XXIIII. decernebantur; (quam ſententiam reliquis præfero in explicatione Obeliſci) ſemper deſignat, Antoninum Pium à Populo Romano haberi ſimilem Divis, & Soli conferendum una cum Auguſto: exemplis veterum Regum: quos ex hominum

cenſu

cenſu in deorum album, & ſedes, nempe inter planetas, & ſidera ethnicorum ſuperſtitio retulerat, dum Circenſibus ludis eorundem memoriam juſſerat celebrari: quod luculentiùs etiam illuſtrat auctoritas Tertulliani, inferiùs producenda numero 7.

Hæc fuerant à me pertractata capite quarto hujus diſſertationis numero 2.: nec non capite quinto fermè ſolido, ſed præſertim numeris 6. 7. 8. cum proximis, ac rurſus num. 14. & 15.: qui numeri ſi conſulantur, apertam fore confido hujus monumenti explicationem.

5. Videor jam attigiſſe eam capitis poſtremi partem, quam addicere conſtitueram confirmationi rerum antea memoratarum ex baſi nuper effoſſa. Verum illa priùs abſolvenda ſunt, quæ de conſecrationis Epocha attigeram in expoſitione globi cęleſtis, ex eodem marmore antea deſcripti. Narraveram, Zodiaci ſigna duo ibi eſſe conſpicua, Piſces, & Arietem: & in ſigno Arietis Lunam corniculatum ita diſponi, ut Solis quoque locum deſignet, adeoque oſtendat longitudinis ferme gradum, aut certe decuriam, quam die apotheoſeos utrumque luminare obtinebat. Imago Lunæ creſcentis, in Arietis ſigno conſtitutæ, ita convertit cornua, ut lumen ſuum mutuari apertè demonſtret à tertia decade proximi ſigni Piſcium: ubi ſcilicet Sol verſabatur pridie Idus Martii: qua die peractam fuiſſe Antonini conſecrationem ita ex præcedentibus colligo.

Septem dies poſt obitum Pii ad ejuſdem apotheoſim ſunt numerandi, juxta veterum ritus, à Virgilio deſcriptos Æneidum V. interprete Servio, & ſuffragante Herodiano, cujus verba jam retuli numero 3. Servius verò ait ad verſ. 63. lib. quinto Æneidum: *ſciendum, quia apud majores ubi quis fuiſſet extinctus, ad domum ſuam referebatur. Unde eſt*

Sedibus huc refer ante ſuis, & conde ſepulchro:

& illic ſeptem erat diebus: octavo incendebatur. Obitum Pii contigiſſe nonis Martii ſupra vidimus cum clariſsimis Chronologis & hiſtoricis pag. 75. A Nonis itaque ſi putentur ſepteni dies juſtitio publico impenſi, cùm certatim feſtinaverint Patres Conſcripti omne honorum genus Pio Imperatori decernere; incidet concrematio & Apotheoſis in fine diei ſeptimæ, quæ octava erat obitus Antonini, nempe die 14. Menſis Martii ejuſdem anni 161. Æræ vulgaris Dionyſianæ. Jam verò tabulæ Aſtronomicæ locum Lunæ demonſtrant per eam diem in prima graduum decuria, quæ ad ſignum Arietis pertinet; & Solem referunt in poſtrema Piſcium. Hoc ipſum exhibet globus Cęleſtis, noſtra in baſi ab alato Genio elevatus:

tus:addito etiam Serpentis ſymbolo:qui annũ manifeſtè deſignat:ut in nũmis antea monebã capite V.circa finẽ numeri 10.

6. Demum obſervo, ritum, & epocham conſecrationis Pii per alia etiam indicia copulari ab artifice in figuris anaglyphis ejuſdem baſis. Nam in utroque latere ſculpta eſt decurſio equitum Romanorum, qualis occurrit in numiſmatibus. Hac verò decurſione equeſtri duo ſimul indicari autumo: nempe Epochæ jam indicatæ civilem characterem per ludos equeſtres, Pyrrhicam illam velitationem, quæ ab equitibus Romanis peracta legitur apud Dionem in Auguſti conſecratione: ritu fortaſſe ducto ex veterum Heroum parentalibus, ut à funeribus Patrocli, & Oedipi Regis XXIII. Iliadis libro, & in Odyſſea ab exequiis Achillis lib. XXIV. Ad hos autem ritus conſtat reſpexiſſe Virgilium in ludis, Anchiſæ parenti perſolutis poſt ejus mortem à filio Ænea: ubi aſſerit, à Trojanis ad Albam, & ad Latinos Veteres per Aſcanium fuiſſe traductos; inde verò deſcendiſſe ad Romanos.

Hunc morem, hos curſus, atque hæc certamina primus
Aſcanius, longam muris cùm cingeret Albam,
Rettulit, & priſcos docuit celebrare Latinos:
Quo puer ipſe modo, ſecum quo Troja pubes,
Albani docuere ſuos. Hinc maxima porrò
Accepit Roma, & patrium ſervavit honorem,
Trojaque nunc pueri, Trojanum dicitur agmen.

Sequitur indicium apotheoſeos paternæ

Hæc celebrata tenus ſancto certamina patri.

Præſtiterit verò deſcribere præcedentes quoque verſus poetæ; nam elegantiſſimè pingunt in geſtis Æneæ tam Auguſti ſæculum, quàm poſteriora Virgilio tempora Antonini, & ejuſdem Columnæ baſim, quam explicamus.

Incedunt pueri, pariterque ante ora parentum
Frænatis lucent in equis: quos omnis euntes
Trinacriæ mirata fremit, Trojæque juventus.
Omnibus in morem tonsâ coma preſſa coronâ:
Cornea bina ferunt præfixo haſtilia ferro:
Pars leves humero pharetras. It pectore ſummo
Flexilis obtorti per collum circulus auri.
Tres equitum numero turmas, ternique vagantur
Ductores: pueri biſſeni quemque ſecuti
Agmine partito fulgent, paribuſque magiſtris.

Ne quis verò dubitet, aliud à Virgilio certamen deſcribi, quòd ibi

ibi juvenes, ac ferme pueros inducat equitantes; in hoc autem marmore decurſio equeſtris referat aliquot ex equitibus imberbes, alios verò barbatos. Nam ut in funere Auguſti, ita in reliquorum Imperatorum conſecratione, potiſſimè verò in Antonini Pii Apotheoſi, *certatim* univerſi equeſtris ordinis adequitarunt certa lege ac recurſu, motuque ac numero Pyrrichio in orbem decurrentes, ut ex Dione, & Herodiano Bullengerus obſervat. Milites verò, adeoque etiam equites, plerique barbam alebant, ex quo Hadrianus id moris induxit. Obſervare etiam juvat è collo equitum pendentem pugionem parte læva. Vix referam ad ſculptoris arbitrium hunc ritum, ubique ſervatum in noſtra baſi. Videmus enim in utraque Columna cochlide, Trajani, & Antonini, Equites perſæpè inſculptos gladium è collo pendentem geſtare, modò à dextro, modò à ſiniſtro latere; at Præfectum Prætorio, & Imperatorem tantùm à ſiniſtro. Conjiciant alii, an geſtatio à læva parte nobilioribus tantùm daretur. Quod verò pertinet ad capitis ornamentum ideſt galeam, Equitibus datam, quam Virgilius appellat coronam, vide in margine * notas Servii in eundem verſum. Verùm ex reliquis Poetæ verſibus evidentiorem baſis Anoninianæ deſcriptionem proſequamur.

Bull. de Imp. Rom. lib. 1. cap. 15.

Serv. in V. Æneid.
* *Preſſa corona*. Ideſt galea, & ſermone Homeri uſus eſt, nam galeam στέφανον dicit. Et revera corona non poteſt intelligi, cum ſequatur *galeam ante pedes projecit inanem*. Sed alii dicunt, potuiſſe eos galeas habere coronatas. Bebius tamen Macer dicit, à Cæſare Auguſto pueris, qui luſerunt Trojam, donatas eſſe galeas. & bina haſtilia: ad quod Virgilium conſtat alludere.

Poſtquam omnem læti conſeſſum, oculoſque ſuorum
Luſtravere in equis, ſignum clamore paratis
Epitides longè dedit, inſonuitque flagello.
Olli diſcurrere pares: atque agmina terni
Diductis ſolvere choris: rurſuſque vocati
Convertere vias, infeſtaque tela tulere.
Inde alios ineunt curſus, alioſque recurſus
Adverſis ſpatiis, alternoſque orbibus orbes
Impediunt, pugnæque cient ſimulacra ſub armis.
Et nunc terga fugæ nudant, nunc ſpicula vertunt
Infenſi, facta pariter nunc pace fruuntur.
Ut quondam Creta fertur labyrinthus in alta
Parietibus textum cæcis iter, ancipitemque
Millenis habuiſſe dolum, qua ſigna ſequendi
Falleret indeprenſus, & irremeabilis error.
Haud aliter Teucrum nati veſtigia curſu
Impediunt, texuntque fugas, & prælia ludo:
Delphinum ſimiles, qui per maria humida nando
Carpathium, Libycumque ſecant, luduntque per undas.
Hunc morem, hos curſus, atque hæc certamina primus
Aſcanius, longam muris cùm cingeret Albam,
Rettulit &c.

Repetendos eſſe duxi poſtremos verſus, ut notam alteram Epochæ

chæ Antoninianæ Apotheoſeos Pridie Idus Martii ab iiſdem colligerem. In veteri enim Kalendario, hac in diſſertatione à nobis expoſito, Equiria in Campo Martio bis occurrunt, nempe III. Kalendas, & Pridie Idus Martii. Utrumque verò ludicrum pertinet ad ejuſdem numinis cultum, in Novilunio ac Plenilunio Martii celebratum (quando ſcilicet menſis Lunaris obſervatio vigebat), & à Cæſare Dictatore diſpoſitum in dies, Novilunio ac Plenilunio congruentes, quando Kalendæ Januarii ſynodum exhibebant: ut anno primo Julianæ ordinationis, qui conſultò electus à Dictatore fuit, contigiſſe retulimus cum Paullo Middelburgenſi, initio diſſertationis. Neque enim fortuitò addidit eodem loco Virgilius, equeſtres ludos ab Aſcanio inſtitutos fuiſſe

. . . . longam muris cùm cingeret Albam.

neque inconſultè ſubdidit

. . . . . Hinc maxima porrò
Accepit Roma, & patrium ſervavit honorem.

Equiria in Novilunio ac Plenilunio menſis Martii indicabant natalem Martis, gentis ſuæ auctoris, & à Romulo idcircò obſervatum, Ovidio teſte

Sanguinis auctori tempora prima dedit.

Numinis verò patrii natalitio parem quodammodo ſtatuit Romulus, ſive quiſpiam alius Sacrorum, & Faſtorum Romæ antiquus conditor, cultum Natalis Urbis ipſa Palilium die; cùm Dionis teſtimonio conſtet (lib.43.) per ætatem Cæſaris equorum certamen, ſive hippodromia ea die fuiſſe *diis immortalibus* celebrata. Τά τε γὰρ παρίλια ἱπποδρόμια ἀθανάτων Unde etiam poſteri magnificentiùs exhibebant circenſes natalibus Deorum ac principum. Verùm hæc alias, in diſſertatione ſequenti: ubi ex cap.23. libri 4. Regum oſtendemus, ab Aſſyriorum ſuperſtitionibus in Solis, Lunæ, ac ſiderum impio cultu id fuiſſe profectum: qui circa Romuli ætatem *adolebant incenſum Baal, & Soli, & Lunæ, & duodecim ſignis, & omni militiæ Cęli*, quando piiſſimus Rex Joſias, celebri Paſchate inſtaurato, *abſtulit equos, quos dederant Reges Juda Soli in introitu templi Domini &c. & currus Solis combuſſit igni*.

IV. Reg. cap. 23.

Quod ſpectat ad marmor Antonini, & ad ejuſdem Apotheoſeos diem, lubenter interpretabor, ibi exhiberi præ ceteris cæremoniis equeſtres ludos, ut indicetur, pridie Idus Martii, qua die Equiria à Romulo Marti conſtituta celebrabantur, fuiſſe Pium in divos relatum: hanc ipſam diem oſtendente etiam globo cęleſti ibidem expreſſo per utriuſque Luminaris poſitum:

tum: ut annuæ ſolemnitatis ratio conſtaret poſteritati: præſertim cùm Antonino etiam viventi hoc præcipuè tempus fauſtum haberetur. Nam Pius imperii pignore donatus fuerat ab Hadriano tribunitiæ poteſtatis honore delato v. Kalendas Martii, uti ſupra vidimus ex Capitolino: hoc eſt VIII. die poſt Quirinalia, quæ Romuli eſt Apotheoſis: & biduo ante prima illa Equiria, quæ Marti, generis ſui auctori, à Romulo olim dicata retulit Cæſar in Kalendario ad III. Kal. Martii, & Ovidius Faſtorum II. ità explicavit: Pag. 75.

Jamque duæ reſtant noctes de menſe ſecundo
Marſque citos junctis curribus urget equos.
Ex vero poſitum permanſit Equiria nomen:
Quæ Deus in Campo proſpicit ipſe ſuo.
Jure venis Gradive; locum tua tempora poſcunt:
Signatuſque tuo nomine menſis adeſt.

Proximè poſt Equiria dabantur etiam Kalendis Martii Circenſes miſſus XXVIII. die Martis Natali, ut legimus in veteri Kalendario apud Lambecium: Kal. Mar. $\overline{N}$ Martis $\overline{CM}$ XXVIII. Unde etiam placuiſſe arbitror Antonino, ut his Equiriorum ludis, circa Martis Natalem diem, Romuli Quirinalia, & novæ tribunitiæ poteſtatis ſuæ feſta inſtaurandis, cuderetur nummus, inter elegantes aſſervatus in cimeliarchiis: in quo Antoninus exhibetur cum epigraphe conſueta: & in averſa parte cernitur Mars Gradivus, cum literis ROMVLO AVGVSTO.

Huc itaque recidunt univerſa, ut hiſtoria conſecrationis Pii, propoſito in marmore conſignata, addito etiam charactere Chronologico tum cæleſtis, tum civilis anni, demonſtret, cum aliis Auguſtis in deos relatis haberi Pium ſimilem Soli; & cum Fauſtina ſuperis addita, ejuſque cum cæleſti Genio æternitate potiri: ipſius verò memoriam quotannis illuſtraturam Faſtos Romanos in circenſium ludorum editione. Tutelaris enim, ac patrii numinis adſpectum quodammodo referre Quiritibus videbatur Pius, cùm utrumque luminare in ea cæli plaga conſtitutum oſtenderet die apotheoſeos, in qua Equiria Marti exhiberi, tum ex veteri anni Lunaris inſtituto, tum ex Juliani lege, decernebatur. Nam Equiriorum ſolemnes ludos, licet à Romulo parciori ſumptu inſtitutos, ea ſcilicet frugalitate, quam anguſta res Romana tum ferebat (unde duos tantùm equos ab initio Soli datos vidimus ex Tertulliano etiam in Circo); magnificentiùs auctos vidit ætas poſterior poſtquam ex Aſiaticis opibus Urbano luxui incrementa acceſſerunt. Immo & Martis Circenſes videntur reli-

Lambecius Bibliothecæ Cæſareæ tom. IV. pag. 279.

quis poſtmodum fuiſſe auguſtiores; cum Natales Quirini, Caſtorum, Herculis, Salutis, & aliorum numinum in Kalendario Lambecii, celebrentur miſſubus XXIIII.; Martis verò Natalis Miſſus numeret XXVIII. Putat verò Bullengerus, Equiria priora III. Kal. Martii addicta fuiſſe univerſo equitatui luſtrando; & poſteriora Pridie Idus Martii ſupplendo, & integrando numero conſtituta. Virgilius certè indicat, ætate Auguſti admodum magnificè peractos equeſtres ludos exemplo Aſcanii: & eos potiſſimum, qui referrentur ad patria numina, & ad initia Urbis, eo ritu celebranda, quo puer Julus inſtituit,

. . . . longam muris cùm cingeret Albam;

nam ad eandem exempli normam reſpexiſſe poſteros diſertè tradit:

. . hinc maxima porrò

Accepit Roma, & patrium ſervavit honorem.

7 Explanatione marmoris abſolutâ, propero ad corollaria: quorum erit ſumma, ut oſtendamus, pleraque ex iis, quæ retulimus capite quarto & quinto, ex hujuſce baſis Antoninianæ figuris, ac ſymbolis confirmari.

Primum illud haberi volo, quod proximè attigi, de fabuloſa transformatione animorum in numina Solis ac Lunæ, ab ethnicis excogitata: ut illuſtrem aliquam excuſationem temeritati obtenderent ſuæ, Philoſophorum ex placitis derivatæ; dum ſpiritus, cæleſti origine procreatos, ſuis quodammodo ſedibus reſtitui in nativo ſidere per hujuſmodi machinas argutabantur. Id verò attigeram numero primo capitis 4. pag. 26. circa finem. Illuſtrari autem poſſet uberiùs ex origine illius erroris, quem lectiſſima eruditione à Perſis quoque profectum oſtendit cum ſacris Mithræ Illuſtriſſimus, & Reuerendiſſimus D. Phil. à Turre Epiſcopus Hadrienſis in opere antea laudato monumentorum veteris Antii. Verùm cùm de Romanis agamus, illa ſufficiet indicare, quæ Bullengerus in apotheoſi Cæſarum retulit obſervata. *Poſt conſecrationem*, inquit, *imagines Imperatorum cum fulmine, radiata corona, cum aſtro in vertice finxere.* Lucanus lib. 7.

Bull. de Imp. Rom. cap. 15. lib. 1.

Fulminibus manes, radiiſque ornabit & aſtris.

Aſſentiuntur nummi veteres, potiſſimùm Auguſti. Nam coronas radiatas *Solis avi ſpecimen* ex Etruſcorum ritu referre omnes noverunt tradente Virgilio. Quin etiam columnæ ibi excitatæ ubi defuncti Imperatoris buſtum concremabatur, & aræ, ibidem poſitæ tamquam Divo, primum occurrunt in ipſo

Julio,

Julio, à quo Cæſarum apotheoſes profectæ ſunt. *Plebs ſolidam columnam prope 20. pedum lapidis Numidici in foro ſtatuit, ſcripſitque Parenti Patriæ. Apud eandem longo tempore ſacrificare, vota ſuſcipere, controverſias quaſdam interpoſito per Cæſarem jurejurando diſtrahere perſeveravit*. Tum ſequitur: *In Deorum numerũ relatus eſt, non ore modò decernentium, ſed & perſuaſione vulgi. Siquidem ludis, quos primos conſecratos ei heres Auguſtus edebat, ſtella crinita per 7. dies continuos fulſit, exoriens circa undecimam horam; Creditumque eſt, Animam eſſe Cæſaris in Cœlum recepti. Et hac de cauſſa ſimulacro ejus in vertice additur ſtella*. Hæc Bullengerus: qui mox obſervat. *Aram ponit Dio non columnam, quam tamen agnoſcit Cicero Philip.1. Taliſque everſio illius execratæ columnæ, quam Appianus à Pſeudomario poſitam ait Julio apud Dionem* ἔςἰ τὸ θέατρα &c. *decreverunt, ut ſella ejus inaurata in theatro, & corona ejus, lapillis & auro diſtincta, EX AEQVO CVM DIIS INFERRETVR, ET IN CIRCVM THENSA EJVS INDVCERETVR*. Hæc fuſiùs recenſui, ut collecta videri poſſint omnia ferme ſymbola, ſive adjuncta apotheoſeos, *quæ nummos, coronas, thenſas, circenſes, columnas, aras*, EX AEQVO diis gentium, & divis Auguſtis poſitas manifeſtant. Unde etiam liquet, cur uſus columnarum ſervatus fuerit à M. Aurelio, & L. Vero in conſecratione Patris Antonini; cùm à prima Cæſaris apotheoſi exemplum poſteri traherent in divinis honoribus decernendis.

Bulleng. lib.3. cap. xx. de Imp. Rom.

Conſequitur deinde alterum corollarium ad confirmationem eorum quæ dicta ſunt: nempe, quod ſingula feſta numinum, Principum, & Heroum ad utriuſque luminaris cultum ſuperſtitioſum ethnici plerumque retulerint, cum eorundem Heroum, ac Principum, Deorumque memoria confuſum: ut narraveram capite v. numero xiv. Alii obſervabunt, ea, quæ de ſerpentis ſymbolo dixeram eodem capite, mirificè conſentire cum dracone, circa globi cæleſtis Boreum cardinem hìc expreſſo: ſive is Mundi Genium denotet pro illa emblematis affinitate, quam inter colubrum, & Genium Servius ex veterum myſteriis tradit; ſive annuam inſtaurationem ludorum, quæ Pio erat impoſterum exhibenda ex S. C. ad diem conſtitutam Naralis ſui: uti ſupra pag.50. oſtenderam, ex numiſmatibus anguem referentibus plerumque indicari periodos utriuſque ſideris, per civilis anni ordinationem ad Cyclum redactas: earumque uſum, ſive abuſum ad circenſes, ac theatrales ludos, diis nuncupatos, pro ethnicarum ſuperſtitionum diverſis legibus, juxta omnium nationum parapegmata ex unico Cæſaris Kalendario indicendos.

Circenſium verò ludorum publica editio, ex S. C. decreta, ſolemnis cultus, imò & potiſſimum indicium apotheoſeos habenda eſt; cùm abundè oſtenderit Tertullianus in utroque libro de ſpectaculis ac de Corona Militis, in diſſertatione ſæpe producto, *templi ſpecimen in ſingulis circi ornamentis conſtitui*: & *à primordio bifariam cenſeri ludos*, ideſt *diis nationum, & mortuis*. Quare & in nummis eorundem indicia explicata ſuperiùs ſunt cap. 5. & in hujus Columnæ baſi per unicam obeliſci oblationem, à Genio Circi præſtitam, ſatis concordi ſymbolo declarantur. Quæ igitur dixeram de ſuperſtitioſa communione ludorum, potiſſimè autem Circenſium, eorumque dedicatione Soli, & Principibus in deos relatis, ex Antonini apotheoſi hìc expoſitâ confirmantur. Hujus verò interpretationis argumenta eruditè colligit Tertullianus. *Circus*, inquit, *Soli principaliter conſecratur: cujus ædes medio ſpatio, & effigies de faſtigio ædis emicat. Quòd non putaverunt ſub tecto conſecrandum quæ in aperto habent. Quod ſpectaculum primum à Circe habent. Soli patri ſuo, ut volunt, editum affirmant: ab ea enim Circi appellationem argumentantur*. Et paullò ante ſcripſerat: *Communis igitur origo ludorum utriuſque generis, communes & tituli, ut de communibus cauſſis proinde apparatus communes habeant neceſſe eſt de reatu generali idololatriæ conditricis ſuæ. Sed Circenſium paullò pompatior ſuggeſtus, quibus propriè hoc nomen pompa præcedens, quorum ſit in ſemetipſa probans de ſimulacrorum ſerie, de imaginum agmine, de curribus, de thenſis, de armamaxis, de ſedibus, de coronis, de exuviis: quanta præterea ſacra, quanta ſacrificia præcedant, intercedant, ſuccedant, quot collegia, quot ſacerdotia, quot officia moveantur, ſciunt homines illius Urbis, in qua dæmoniorum conventus conſedit*.

Teſt. de Spectaculis cap. 4. *Singula ornamenta Circi ſingula templa ſunt*. Et cap. 2. *A primordio bifariam ludi cenſebantur ſacri, & funebres: ideſt diis nationũ, & mortuis*.

Quæ cùm ita ſint, nemo non videt, cur Genius Circi obeliſcum Circenſium ludorum indicem offerat Antonino, cui à Senatu cum apotheoſi etiam annui circenſes tamquam divo decreti fuerant, uti recenſet Capitolinus: tum etiam fit manifeſtum, jure à nobis aſſeri, pleroſque nummos veterum ethnicorum eſſe referendos ad coronamenta, & ad ornatus Circenſium, ac theatralium ludorum, & agonum ſacrorum (ut Græcos etiam, & Ægyptios nummos complectar), quorum ſymbolis viſuntur inſculpti, & ſuperſtitionibus quodammodo agnati. Vidimus enim ejuſdem fœturæ habenda eſſe numiſmata Cæſarum ethnicorum, ac eorundem Circenſes: quemadmodum è contra innuimus, eodem tempore expurgatam fuiſſe monetam coronariam Auguſtorum ab impiis Idolorum titulis, quo tempo-

TABVLA · III ·



1. Corona ęnea vetus, Lauream imitata, cum frontali ſcutulo, CHRISTI monogrammate insignito: de hac vide Card. Baron. in Annalibus Eccl. Tomo 3.
2 Nummus Constantini Max. cum Ara Cruce insculpta ibi. 3. 4. Nummi Christianorum Principum ornati CHRISTI Nomine ☧, et perforati. 5 Protome ſiue Στηθάριον, aut pectoralis imago Traiani Augusti cum corona ciuica, et nummo frontali Iouis Aquilam et fulmen exprimente. Asseruatur in ędibus Capitolinis S. P. Q. R. 6. 7. 11. Nummi variè perforati ad appendendum. 8 Nummi à Iuliano Apostata percuſſi, et in monile antiquitus connexi. 9. 10. 12 Nummi, Lamellis retortis, aut ansulis instructi à veteribus, ut appenderentur. Seruantur omnes apud Auctorem.

tempore à Circo ſubmotæ Solis ac Lunæ, & reliquorum numinum thenſæ locum fecerunt pompæ innocenti Principum Chriſtianorum: converſis ad verum DEUM votis, & ad Virginem Deiparam precipus, à Corippo deſcriptis lib. 2. in Natalitio Imperii Juſtini junionis.

Roſcida purpureos aurora oſtenderat ortus
Imperio ſacrata Dei, Dominique jubebat
Sumere conceſſum cæleſti munere Regnum.
Ipſe autem procerum magnis oratibus actus
Non primùm imperii regalia ſigna recepit,
Ni ſacrata priùs ſupplex oracula poſcens
Effuſis precibus Chriſto ſua vota dicaret.
Ilicet angelici pergens in limina templi
Impoſuit pia thura focis, ceraſque micantes
Obtulit, & ſupplex lachrymis ita cœpit obortis.
Omnipotens Princeps, Summi Pater inclyte Verbi &c.

Pari etiam religione Sophia Auguſta ad Deiparæ Virginis templum orans deſcribitur.

Ipſa etiam ſummi conſors caſtiſſima regni
Virginis & Matris templum ſublime petivit,
Cujus adoratum limen feliciter intrans,
Ante pios vultus expanſis candida palmis
Conſtitit, & pronis ſupplex hæc vultibus infit.
Virgo Creatoris Genitrix Sanctiſſima Mundi &c.

Religionis teſtimonio ritè præmiſſo, inducit Poeta coronandos Auguſtos per Patriarcham: à quo primùm ſalutari Crucis ſigno exceptus Juſtinus, ornatur ſubinde diademate.

Poſtquam cuncta videt ritu perfecta priorum,
Pontificum Summus, plenaque ætate venuſtus
Aſtantem benedixit eum: Cælique potentem
Exorans Dominum, ſacro diademate juſſit
Auguſtum * ſancire caput, ſummoque coronam
Imponens capiti, feliciter &c.
Ipſe coronatus ſolium conſcendit avitum,
Atque Crucis faciens ſignum venerabile, ſedit.

* fortaſſe vincire

Hoc nempe ſigno Chriſtianæ Religionis totiens iterato; ac diſertè invocato rerum omnium Conditore, & Reparatore Chriſto Domino; cùm nihil jam commune ſubeſſet publicæ lætitiæ cum ſuperſtitionibus veterum; Poeta Chriſtianus Auguſtos coniuges Soli, ac Lunæ tutò comparauit.

Juſtinum, Sophiamque pares, duo Lumina Mundi
Eſſe ferunt: regnare pares in ſecula dicunt.

Hinc verò poſt orationem habitam ad Senatum, proceditur ad Circum, non impurum illum, & ſuperſtitionibus refertum, ſed frugi, & innocentis hilaritatis diſciplinam profeſſum.

Protinus in Magni ſurgit faſtigia Circi,
Cerneret ut lætos populos, plebemque moneret
Eloquii pietate ſui.

Tum verò à monetis pariter, & à coronis amotæ idolorum imagines, tituli, ac ſuperſtitiones abſceſſerant, inducto in utraſque venerabili Crucis ſigno, aut monogrammate ☧ divinum Chriſti nomen exprimente; cum alterutrum incidi curarent Catholici Principes publicis numiſmatibus, perinde ac auguſtis inſignibus Imperii, nempe Labaro, & Coronis Cæſareis, ac Regiis. Triumphalibus quoque ornamentis aptatum fuiſſe docent tum vetuſti arcus Baſilicarum, quos adorando Chriſti nomine ornatos hodie videmus in Liberiana, & in Conditorio Ravennati Domus Auguſtæ de quo Ill. Ciampinus; tum etiam indicat maximè ſcutulum frontale in corona laurea ex ære olim compacta, & à Lælio Paſqualino ejuſdem Liberianæ Baſilicæ Canonico ante annos centum ſervata inter vetuſta cimelia, uti Cardinalis Baronius retulit in Annalibus Tomo 3. ad annum 351., addita etiam figura, quam P. Arringhius cùm recuderet in Roma ſubterranea lib. VI. cap. 49., aſſeruit, conceſſiſſe in Muſæum Excellentiſſimæ Domus Boncompagnæ perrarum illud monumentum Chriſtianæ eruditionis ſimul & pietatis. Eandem verò lauream, noſtræ veluti diſſertationis coronidem eſſe hìc proferendam duxi, & quodammodo opponendam ſuperſtitioſis antiquorum coronis, dum icones earundem produco, quas ad illuſtrationem hiſtoriæ nummariæ adhibendas eſſe cenſueram. Diatribam enim hanc auſpicatò claudemus, exemplo tot Cæſarum Chriſtianorum; ſi ea, quæ in Kalendario & Cyclo Cæſaris vindicata monſtravimus ab impio ſiderum cultu, & ad legitimum Paſchatis noſtri uſum ordinemque aſſerendum ritè traducta, aptè junxerimus antiquorum coronamentis, Chriſtianâ cenſurâ expiatis ab ethnicorum ſuperſtitione: ut cum ſenioribus à B. Joanne divinorum Sacramentorum interprete olim deſcriptis Regi ſæculorum Chriſto Domino ſopplices advolvamur: ejuſque ſacris ritè operati juxta certas temporum leges Cęlo Terraque ab eo conſtitutas, ſedenti ſuper thronum & Agno communi univerſarum Nationum conſenſu, & omnium coronarum conjectu litemus.

Vide Ciampin. tomo I. veterum Moniment. pag. 200. Tab. II. & pag. 226. Tabula LXV. LXVI. & LXVII.

Apocalypſ. cap. IV.

DISSERTATIO SECUNDA DE CANONE PASCHALI S. Hippolyti Epiſcopi, & Martyris.

CAPUT PRIMUM.

De antiqua baſi, aut ſede marmorea, in qua ſculptus viſitur Canon Paſchalis: ac de ejuſdem effoſſionis hiſtoria.

SUMMA CAPITIS.

1. *Baſis antiqua, & Canon Paſchalis S. Hippolyti à pluribus Auctoribus nondum plenè explicantur.* 2. *Paſchalis Latinorum Cyclus annorum* CXII. *à S. Hippolyto adinventus, à Victorio memoratur, & in hac baſi, ex antiquis ruderibus effoſſa in agro Verano anno Chriſti* 1551., *inciſus conſpicitur.* 3. *Idem Canon præclaro commentario illuſtratur à R. P. Bucherio.* 4. *Canonis conſpectus, & partitio duplicem in laterculum.*

EXHIBEBAM in prima diſſertatione temporum ſpatia, ethnicarum ſuperſtitionum notis
1 Ægyptiis, Græcis, Romanis in ipſa ordinatione ſui deformata, dum ordo elegantiſſimus, per Cyclos, & Kalendaria quæſitus, à vero DEI cultu transfenetur ad ſimulacrorum impia myſteria. In hac ſecunda diſſertatione vindicandam ſuſcepi antiquorum Chronologiam à ſervitute illiberalis erroris, propoſito Cyclo Paſchali S. Hippolyti Epiſcopi, & Martyris: in quo videre mihi videor priſcorum

Patrum Aſtronomiam, poſtliminio veluti reſtitutam, dum caſtè adhibetur ad Sacramenta Dei & Hominis JESV Chriſti quotannis ritè ſervanda. Primus in hoc ſtadio non curram. Occuparunt Viri eruditione præſtantes: quorum in commentariis ut complura ſcitè exponuntur, ita indicantur, aut relinquuntur alia non pauca, quæ ipſi à poſteris colligi permiſerunt. Præmittenda tamen eſt antiqui lapidis hiſtoria, in quo ſculptus cernitur Canon ille Paſchalis, à B. Hippolyto Martyre ante ſæcula quindecim concinnatus. Hanc ita collegit eximius monumenti illuſtrator P. Bucherius Comment. in Victorii Canonem Paſchalem pagina 291. ubi ait.

2 *Victorius Prologi ſuo §. tertio duorum maximè Paſchalium ante ſe Cyclorum Canonumve mentionem facit*: LXXXIV. *annorum unius, qui Judæorum primò, tum Chriſtianorum veterum, ſaltem Latinorum fuit*: CXII. *alterius, quem ab Hippolyto Portuenſi Epiſcopo conditum ſatis conſtat*. Et pluribus interiectis, ita proſequitur. *Perierat iſte Canon cum ceteris ejuſdem Hippolyti monumentis, nec ejus quidquam præter nomen ſupererat: cum ecce, bono Deo, & magna cum eruditorum omnium lætitia (ut Baronius, Scaliger, Gruteruſque teſtantur) anno Domini* 1551. *ex agro Verano, non procul ab Æde S. Laurentii ad Urbem è memoriæ Hippolyti antiquæ ruderibus effoſſa prodiit antiqua è marmore ſtatua, ſolio inſidens, Græcis utrimque literis inſcripta. Literæ in binis cathedræ laterculis Cyclos Paſchales annorum* XVI. *exhibebant; quartadecimarum dextro, Dominicarum Paſchalium ſiniſtro, utroſque* 112. *annis univerſim comprehenſos: qua annorum periodo ferias eaſdem in orbem redire credidit Hippolytus. Non erat quidem expreſſum Hippolyti nomen; ſed facilè ipſa Heckædecaeteridos methodo, & librorum lemmate, quod dexterum laterculum continebat, proditum eſt; eorum enim omnium auctorem Euſebius, Hieronymus, aliique Hippolytum Epiſcopum faciunt. Tam illuſtre, tam rarum Eccleſiæ primitivæ monumentum Marcello Cervino, tunc S. R. E. Cardinali, poſtea etiam ejuſdem nominis Papæ II. digniſſimum viſum, quod Romam inde deferretur, & in Vaticana Bibliotheca conderetur. Edidit deinde Græcè, ut erat, cum antiquis ſuis inſcriptionibus Gruterus; Scaliger etiam notis illuſtravit. Ego hìc Latinè fideliter redditum non tam de novo explanare, quàm Paſchalibus Victorii noſtri, Latinorumque primorum rationibus conformem paucis oſtendere conſtitui &c.*

3 Fidem egregiè præſtitit P. Bucherius, oſtendens per animadverſiones doctiſſimas, quanta eſſet hujuſce Canonis conſenſio cum priſcis Latinorum rationibus; quantâ etiam injuria Scaliger

IN PSALMOS

DE PYTHONISSA

DE EVANGELIO SECVNDVM JOANNEM ET APOCALYPSI

DE CHARISMATIBVS

APOSTOLICA TRADITIO

CHRONICON

AD GRAECOS

IN PLATONEM VEL ETIAM DE OMNI

EXHORTATORIVS AD SEVERINAM

DEMONSTRATIO TEMPORVM PASCHAE QVEMADMODVM IN TABVLA

ODAE IN OMNES SCRIPTVRAS

DE DEO ET CARNIS RESVRRECTIONE

DE BONO ET VNDE MALVM

ANNO I. REGIMINIS ALEXANDRI IMPERATORIS FACTA EST XIV. PASCHAE IDIBVS APRILIBVS SABBATO CVM MENSIS EMBOLIMAEVS FVISSET. ERIT SEQVENTIBVS ANNIS SICVT IN TABVLA SVBIECTVM EST. EVENIT VERO IN PRAETERITIS SICVT INDICATVM EST. SOLVERE AVTEM OPPORTET IEIVNIVM VBI DOMINICA INCIDERIT.

IDIBVS EM. APRIL.	1	G	F ESDRAS IVXTA DANIELEM ET IN EREMO	E	D	C	B	A
IV. NON. APRIL.	2	D GENESIS CHRISTI	C	B	A	G	F	E
XII. XI. KA. BISS. APRIL.	3	A EZECHIAS.	G	F IESVS	E	D	C	B
V. EID. EM. APRIL.	4	G IOSIAS	F	E	D	C	B	A
IV. KA APRIL.	5	D	C	B	A	G	F	E
XV. KA. APRIL.	6	A	G EZECHIAS IVXTA DANIELEM ET IOSIAS.	F	E	D	C	B
BISS. NONIS EM. APRIL.	7	G	F	E	D IESVS IVXT. DAN.	C	B	A
VIII. KA. APRIL.	8	D	C	B	A	G	F	E
IDIB. EM. APRIL.	9	C	B	A	G	F	E	D
IV. NON. APRIL.	10	G	F	E	D	C	B	A EXODVS.
XII. XI. KA. BISS. APRIL	11	D	C	B	A	G	F	E
V. EID. EM. APRIL.	12	C	B	A	G	F	E	D IN EREMO.
IV. KA. APRIL.	13	G	F	E	D	C	B	A
XV. KA. APRIL.	14	D	C	B	A	G	F	E
BISS. NONIS EM. APRIL.	15	C EXODVS IVXTA DANIELEM.	B	A	G	F	E	D ESDR.
VIII. KA. APRIL.	16	G	F PASSIO CHRISTI.	E	D	C	B	A

ANNO ALEXANDRI CAESARIS PRIMO INITIUM DOMINICAE PASCHALES SECUNDUM ANNOS

ADPUNCTIONES VERO OSTENDUNT BISSEXTUM.

	I.	III.	V.	VII.
1	XI. Kal. Maii. Dñica.	XVI. Kal. Maii. Dñica.	XIV. Kal. Maii. Dñica.	XII. Kal. Maii Dñica.
2	VIII. Idus Apr. Dñica.	VI. Idus Aprilis.	IV. Idus Aprilis.	Nonis Aprilis.
3	V. Kal. Apr. Dominica.	X. Kalendas Aprilis.	VIII. Kalen. Aprilis.	VI. Kalendas Aprilis.
4	XV. Kalendas Maii.	Pridie Idus Aprilis.	XVIII. Kalendas Maii.	XVI. Kalendas Maii.
5	IV. Nonas Aprilis.	Pridie Nonas Aprilis.	VIII. Idus Aprilis.	Kalendis Aprilis.
6	VIII. Kalendas Aprilis	XIII. Kalendas April.	XI. Kalendas Aprilis.	IX Kalendas Aprilis.
7	Idibus Aprilis.	VI. Idus Aprilis.	IV. Idus Aprilis.	Pridie Idus Aprilis.
8	IV. Kalendas Aprilis.	Pridie Kalend. Aprilis.	IV. Nonas Aprilis.	V. Kalendas Aprilis.
9	XIV. Kalendas Maii.	XII. Kalendas Maii.	XVII. Kalendas Maii.	XV. Kalendas Maii.
10	IV. Idus Aprilis.	Nonis Aprilis.	VII. Idus Aprilis.	V. Idus Aprilis.
11	VIII. Kalendas Aprilis	VI. Kalendas Aprilis.	IV. Kalendas Aprilis.	IX. Kalendas Aprilis.
12	XVIII. Kalendas Maii.	XVI. Kalendas Maii.	III. Idus Aprilis.	Idibus Aprilis.
13	VIII. Idus Aprilis.	Kalendis Aprilis.	III. Nonas Aprilis.	Nonis Aprilis.
14	XI. Kalendas Aprilis.	IX. Kalendas Aprilis.	VII. Kalendas Aprilis.	XII. Kalendas Aprilis.
15	IV. Idus Aprilis.	Pridie Idus Aprilis.	VII. Idus Aprilis.	V. Idus Aprilis.
16	IV. Nonas Aprilis.	V. Kalendas Aprilis.	III. Kalendas Aprilis.	Kalendis Aprilis.

	II.	IV.	VI.
1	XVII. Kalendas Maii.	XV. Kalendas Maii.	XIII. Kalendas Maii.
2	VII. Idus Aprilis.	V. Idus Aprilis.	Pridie Nonas Aprilis.
3	IV. Kalendas Aprilis.	IX. Kalendas Aprilis.	VII. Kalendas Aprilis.
4	III. Idus Aprilis.	Idibus Aprilis.	XVII. Kalendas Maii.
5	III. Nonas April.	Nonis Aprilis.	Pridie Kalend. Aprilis.
6	VII. Kalendas Aprilis.	XII. Kalendas Aprilis.	X. Kalendas Aprilis.
7	VII. Idus Aprilis.	V. Idus Aprilis.	III. Idus Aprilis.
8	III. Kalendas Aprilis.	Kalendis Aprilis.	VI. Idus Aprilis.
9	XIII. Kalendas Mart.	XI. Kal. Maii Dñica.	XVI. Kalendas Martii.
10	Pridie Nonas Aprilis.	VIII. Idus Aprilis.	VI. Idus Aprilis.
11	VII. Kalendas Aprilis.	V. Kalendas Aprilis.	X. Kalendas Aprilis.
12	XVII. Kalendas Maii.	XV. Kalendas Maii.	Pridie Idus Aprilis.
13	Pridie Kalend. Aprilis.	IV. Nonas Aprilis.	Pridie Nonas Aprilis.
14	X. Kalendas Aprilis.	VIII. Kalend. Aprilis.	XIII. Kalend. Aprilis.
15	III. Idus Aprilis.	Idibus Aprilis.	* III. Idus Aprilis.
16	VI. Kalendas Aprilis.	IV. Kalendas Aprilis.	Pridie Kalend. Aprilis.

* ſeu potiùs VI. Idus nam in marmore vexata litera dubiam reddit lectionem.

Poſt pag. 92.

ЄΤЄΙ ΑΛЄΞΑΝΔΡΟΥ

ΚΑΙCΑΡΟC

Τω $\overline{Α}$ ΑΡΧΗ

ΑΙ ΚΥΡΙΑΚΑΙ ΤΟΥ ΠΑCΧΑ ΚΑΤΑ ЄΤΟC

ΑΙ ΔЄ ΠΑΡΑΚЄΝΤΗCЄΙC ΔΗΛΟΥCΙ ΤΗΝ ΔΙC ΠΡΟ ЄΞ

Α	Γ	Є	Ζ
Π̊ ΙΑ ΚΑ. ΜΑΙ. ΚΥ	Π̊ ΙS· ΚΑ. ΜΑΙ. ΚΥ	Π̊ ΙΔ. ΚΑ. ΜΑΙ. ΚΥ	Π̊ ΙΒ. ΚΑ ΜΑΙ. ΚΥ
Π̊ Η ЄΙ. ΑΠΡ. ΚΥ	Π̊ S ЄΙ. ΑΠΡ. ΚΥ	Π̊ Δ ЄΙ. ΑΠΡ. ΚΥ	Νω ΑΠΡ. ΚΥ
Π̊ Є ΚΑ. ΑΠΡ. ΚΥ	Π̊ Ι ΚΑ. ΑΠΡ. ΚΥ	Π̊ Η ΚΑ. ΑΠΡ. ΚΥ	Π̊ S. ΚΑ. ΑΠΡ. ΚΥ
Π̊ ΙЄ ΚΑ. ΜΑΙ. ΚΥ	Π̊ Α ЄΙ. ΑΠΡ. ΚΥ	Π̊ ΙΗ ΚΑ. ΜΑΙ. ΚΥ	Π̊ ΙS. ΚΑ. ΜΑΙ. ΚΥ
Π̊ Δ Ν. ΑΠΡ. ΚΥ	Π̊ Α Νω. ΑΠΡ. ΚΥ	Π̊ Η ЄΙ. ΑΠΡ. ΚΥ	ΚΑ. ΑΠΡ. ΚΥ
Π̊ Η ΚΑ. ΑΠΡ. ΚΥ	Π̊ ΙΓ ΚΑ. ΑΠΡ. ΚΥ	Π̊ ΙΑ ΚΑ. ΑΠΡ. ΚΥ	Π̊ Θ. ΚΑ ΑΠΡ. ΚΥ
ЄΙ ΑΠΡ. ΚΥ	Π̊ S ЄΙ. ΑΠΡ. ΚΥ	Π̊ Δ ЄΙ. ΑΠΡ. ΚΥ	Π̊ Α. ЄΙ. ΑΠΡ. ΚΥ
Π̊ Δ ΚΑ. ΑΠΡ. ΚΥ	Π̊ Α ΚΑ. ΑΠΡ. ΚΥ	Π̊ Δ Νω. ΑΠΡ. ΚΥ	Π̊ Є. ΚΑ. ΑΠΡ. ΚΥ
Π̊ ΙΔ ΚΑ. ΜΑΙ. ΚΥ	Π̊ ΙΒ ΚΑ. ΜΑΙ. ΚΥ	Π̊ ΙΖ ΚΑ. ΜΑΙ. ΚΥ	Π̊ ΙЄ. ΚΑ. ΜΑΙ. ΚΥ
Π̊ Δ ЄΙ. ΑΠΡ. ΚΥ	Νω ΑΠΡ. ΚΥ	Π̊ Ζ ЄΙ. ΑΠΡ. ΚΥ	Π̊ Є. ЄΙ. ΑΠΡ. ΚΥ
Π̊ Η ΚΑ. ΑΠΡ. ΚΥ	Π̊ S ΚΑ. ΑΠΡ. ΚΥ	Π̊ Δ ΚΑ. ΑΠΡ. ΚΥ	Π̊ Θ. ΚΑ. ΑΠΡ. ΚΥ
Π̊ ΙΗ ΚΑ. ΜΑΙ. ΚΥ	Π̊ ΙS ΚΑ. ΜΑΙ. ΚΥ	Π̊ Γ ЄΙ. ΑΠΡ. ΚΥ	ЄΙ ΑΠΡ. ΚΥ
Π̊ Η ЄΙ. ΑΠΡ. ΚΥ	ΚΑ ΑΠΡ· ΚΥ	Π̊ Γ Νω. ΑΠΡ. ΚΥ	Νω ΑΠΡ. ΚΥ
Π̊ ΙΑ ΚΑ. ΑΠΡ. ΚΥ	Π̊ Θ ΚΑ. ΑΠΡ. ΚΥ	Π̊ Ζ ΚΑ. ΑΠΡ. ΚΥ	Π̊ ΙΒ. ΚΑ. ΑΠΡ. ΚΥ
Π̊ Δ ЄΙ. ΑΠΡ. ΚΥ	Π̊ Α ЄΙ. ΑΠΡ. ΚΥ	Π̊ Ζ ЄΙ. ΑΠΡ. ΚΥ	Π̊ Є. ЄΙ. ΑΠΡ. ΚΥ
Π̊ Δ Νω. ΑΠΡ. ΚΥ	Π̊ Є ΚΑ. ΑΠΡ. ΚΤ	Π̊ Γ ΚΑ. ΑΠΡ. ΚΥ	ΚΑ ΑΠΡ. ΚΥ

Β	Δ	S
Π̊ ΙΖ ΚΑ. ΜΑΙ. ΚΥ	Π̊ ΙЄ ΚΑ. ΜΑΙ. ΚΥ	Π̊ ΙΓ. ΚΑ. ΜΑΙ. ΚΥ
Π̊ Ζ ЄΙ. ΑΠΡ. ΚΥ	Π̊ Є ЄΙ. ΑΠΡ. ΚΥ	Π̊ Α Νω. ΑΠΡ. ΚΥ
Π̊ Δ ΚΑ. ΑΠΡ. ΚΥ	Π̊ Θ ΚΑ. ΑΠΡ. ΚΥ	Π̊ Ζ ΚΑ. ΑΠΡ. ΚΥ
Π̊ Γ. ЄΙ. ΑΠΡ. ΚΥ	ЄΙ ΑΠΡ. ΚΥ	Π̊ ΙΖ ΚΑ. ΜΑΙ. ΚΥ
Π̊ Γ Νω. ΑΠΡ. ΚΥ	Νω ΑΠΡ. ΚΥ	Π̊ Α ΚΑ. ΑΠΡ. ΚΥ
Π̊ Ζ ΚΑ. ΑΠΡ. ΚΥ	Π̊ ΙΒ ΚΑ. ΑΠΡ. ΚΥ	Π̊ Ι ΚΑ. ΑΠΡ. ΚΥ
Π̊ Ζ ЄΙ. ΑΠΡ. ΚΥ	Π̊ Є ЄΙ. ΑΠΡ. ΚΥ	Π̊ Γ ЄΙ. ΑΠΡ. ΚΥ
Π̊ Γ ΚΑ. ΑΠΡ. ΚΥ	ΚΑ ΑΠΡ. ΚΥ	Π̊ S ЄΙ. ΑΠΡ. ΚΥ
Π̊ ΙΓ ΚΑ. ΜΑΡ. ΚΥ	Π̊ ΙΑ ΚΑ. ΜΑΙ. ΚΥ	Π̊ ΙS ΚΑ. ΜΑΡ. ΚΥ
Π̊ Α Νω. ΑΠΡ. ΚΥ	Π̊ Η ЄΙ. ΑΠΡ. ΚΥ	Π̊ S ЄΙ. ΑΠΡ. ΚΥ
Π̊ Ζ ΚΑ. ΑΠΡ. ΚΥ	Π̊ Є ΚΑ. ΑΠΡ. ΚΥ	Π̊ Ι ΚΑ. ΑΠΡ. ΚΥ
Π̊ ΙΖ ΚΑ. ΜΑΙ. ΚΥ	Π̊ ΙЄ ΚΑ. ΜΑΙ. ΚΥ	Π̊ Α ЄΙ. ΑΠΡ. ΚΥ
Π̊ Α ΚΑ. ΑΠΡ. ΚΥ	Π̊ Δ Νω. ΑΠΡ. ΚΥ	Π̊ Α Νω. ΑΠΡ. ΚΥ
Π̊ Ι ΚΑ. ΑΠΡ. ΚΥ	Π̊ Η ΚΑ. ΑΠΡ. ΚΥ	Π̊ ΙΓ ΚΑ. ΑΠΡ. ΚΥ
Π̊ Γ ЄΙ. ΑΠΡ. ΚΥ	ЄΙ ΑΠΡ. ΚΥ	Π̊ *Γ ЄΙ. ΑΠΡ. ΚΥ
Π̊ S ΚΑ. ΑΠΡ. ΚΥ	Π̊ Δ ΚΑ. ΑΠΡ. ΚΥ	Π̊ Α ΚΑ. ΑΠΡ. ΚΥ

* *Seu potiùs* Ζ ЄΙ; *nam in marmore vexata litera dubiā reddit lectionem*

ΙΟΥC
ΝΙΑC
ΛΑΜΟΥC
ΓΑCΤΡΙΜΥΘΟΝ
ΥΠΕΡ ΤΟΥ ΚΑΤΑ Ιω
ΑΝΗΝ
ΕΥΑΓΓΕΛΙΟΥ ΚΑΙ ΑΠΟ
ΚΑΛΥΨΕωC
ΠΕΡΙ ΧΑΡΙCΜΑΤωΝ
ΑΠΟCΤΟΛΙΚΗ ΠΑΡΑΔΟ
CΙC
ΧΡΟΝΙΚωΝ
ΠΡΟC ΕΛΛΗΝΑC
ΚΑΙ ΠΡΟC ΠΛΑΤωΝΑ
Η ΚΑΙ ΠΕΡΙ ΤΟΥ ΠΑΝΤΟC
ΠΡΟΤΡΕΠΤΙΚΟC ΠΡΟC CΕ
ΒΗΡΕΙΝΑΝ
ΑΠΟΔΕΙΞΙC ΧΡΟΝωΝ
ΤΟΥ ΠΑCΧΑ
ΚΑΤΑ ΕΝ Τω ΠΙΝΑΚΙ
ωΔΑΙ ΕΙC ΠΑCΑC ΤΑC ΓΡΑ
ΦΑC
ΠΕΡΙ Θ̄Υ ΚΑΙ CΑΡΚΟC
ΑΝΑCΤΑCΕωC
ΠΕΡΙ ΤΑΓΑΘΟΥ ΚΑΙ
ΠΟΘΕΝ ΤΟ ΚΑΚΟΝ

ΕΤΟΥC Α̅ ΒΑCΙΛΕΙΑC ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟC ΕΓΕ
ΝΕΤΟ. Η. Δ̅Ι̅ ΤΟΥ ΠΑCΧΑ ΕΙΔΟΙC ΑΠΡΕΙΛΙΑΙC CΑΒΒΑΤω ΕΜ
ΒΟΛΙΜΟΥ ΜΗΝΟC ΓΕΝΟΜΕΝΟΥ ΕCΤΑΙ ΤΟΙC ΕΞΗC ΕΤΕCΙΝ ΚΑΘ
ωC ΥΠΟΤΕΤΑΚΤΑΙ ΕΝ Τω ΠΙΝΑΚΙ ΕΓΕΝΕΤΟ ΔΕ ΕΝ ΤΟΙC ΠΑΡω
ΧΗΚΟCΙΝ ΚΑΘωC CΕCΗΜΕΙωΤΑΙ ΑΠΟΝΗCΤΙΖΕCΘΑΙ ΔΕ
ΔΕΙ ΟΥ ΑΝ ΕΝΠΕCΗ ΚΥΡΙΑΚΗ

ΕΙΔΟΙC ΕΜ. ΑΠΡΕΙ	Ζ	S ΕCΔΡΑ ΚΑΤΑ ΔΑΝΙΗΛ ΚΑΙ ΕΡΗΜω	Є	Δ	Γ	Β	Α
Π̄ Δ̄ Νω ΑΠΡΕΙ	Δ ΓΕΝΕCΙC Χ̄C̄	Γ	Β	Α	Ζ	S	Є
Π̄ ΙΒ Π̄ Ι̅Α̅ ΚΑ SS ΑΠΡΕΙ	Α ΕΖΕΧΙΑC	Ζ	S ΙΗCΟΥC	Є	Δ	Γ	Β
ΕΜ. Π̄ Ε. ΕΙ ΑΠΡΕΙ	Ζ ΙωCΕΙΑC	S	Є	Δ	Γ	Β	Α
Π̄ Δ̄ ΚΑ ΑΠΡΕΙ	Δ	Γ	Β	Α	Ζ	S	Є
Π̄ ΙΕ. ΚΑ ΑΠΡΕΙ	Α	Ζ ΕΖΕΚΙΑC ΚΑΤΑ ΔΑ ΚΑΙ ΙωCΕΙΑC	S	Є	Δ	Γ	Β
SS ΝωΝΑΙC ΕΜ ΑΠΡΕΙ	Ζ	S	Є	Δ ΙΗCΟΥC ΚΑ. ΔΑ	Γ	Β	Α
Π̄ Η. ΚΑ ΑΠΡΕΙ	Δ	Γ	Β	Α	Ζ	S	Є
ΕΜ. ΕΙΔΟΙC ΑΠΡΕΙ	Γ	Β	Α	Ζ	S	Є	Δ
Π̄ Δ. Νω ΑΠΡΕΙ	Ζ	S	Є	Δ	Γ	Β	Α Є Δ
Π̄ ΙΒ Π̄ ΙΑ. ΚΑ SS ΑΠΡΕΙ	Δ	Γ	Β	Α	Ζ	S	Є
ΕΜ. Π̄. Ε ΕΙ ΑΠΡΕΙ	Γ	Β	Α	Ζ	S	Є	Δ ΕΝ ΡΗ
Π̄. Δ. ΚΑ ΑΠΡΕΙ	Ζ	S	Є	Δ	Γ	Β	Α
Π̄. ΙΕ. ΚΑ ΑΠΡΕΙ	Δ	Γ	Β	Α	Ζ	S	Є ΕC
SS. ΝωΝΑΙC ΕΜ. ΑΠΡΕΙ	Γ ΕΞΟΔΟC ΚΑΤΑ ΔΑΝΙΗΛ	Β	Α	Ζ	S	Є	Δ
Π̄ Η. ΚΑ ΑΠΡΕΙ	Ζ	S ΠΑΘΟC Χ̄C̄	Δ	Є	Γ	Β	Α

liger tot illi abſurda imputaverit. Ego verò concinnitatis plurimum in eo latere judico: quod neque Scaliger, neque Bucherius fortaſſe deprehendit. Id antequam explicem, ponendum ob oculos cenſeo exemplum inſcriptionis, primùm Græcis characteribus, uti eſt in autographo, deinde Latinè redditum, ut ab omnibus faciliùs comparari poſſit cum literis vulgaribus Kalendarii Gregoriani.

4 Duobus itaque laterculis conſtat Canon Paſchalis S. Hippolyti, dextro quidem, exhibente Lunas quartas decimas, deſignatas Cyclo Eptagrammo feriarum hebdomadis per 7. priores alphabeti literas; ſiniſtro autem, referente Paſchales Dominicas juxta periodum ſub iiſdem elementis, ſeptem feriarum indicibus ΑΒΓΔΕΣΖ, quæ nos impoſterum totidem latinis literis exprimemus ABCDEFG, ut Græcè non aſſuetis facilior ſit comparatio. Utrique laterculo explicando certa capita deputavi. Totius tamen Cycli ſyſtema priùs conabor exponere.

CAPUT SECUNDUM.

Syſtema Paſchalis Periodi, à S. Hippolyto productæ, mira facilitate extenditur, tum ad annos CXII., tum ad alias annorum ſummas.

SUMMA CAPITIS.

1. *Cyclus S. Hippolyti poſt annos Julianos* CXII. *inſtaurare non contendit motus medios Luniſolares eadem Feria, & eadem die anni civilis; ſed Feriam Lunationis inſtauratæ mutari poſtulat in aliam adhærentem, diem verò in octiduum proximum.* 2. *Literæ Cycli Cæſaris hanc octidui præceſſionem aptiſſimè indicant.* 3. *Cyclus Hippolyteus multis nominibus Latinis acceptus ex connexione facili cum Cyclo Juliano, cum Olympiadibus, & Octaeteridibus, ætate S. Hippolyti uſurpatis.* 4. *Periodus minor ejuſdem Cycli annorum* CXII. *cum mediis Lunæ motibus mirificè conſentit. Septem periodi minores annorum* CXII. *conſtituunt majorem periodum annorum* 784.: *quæ Lunæ phaſes biduo ſeriùs inſtaurat. Hæc vero Periòdus major quater evoluta, ſi minor illi adiiciatur, componet Periodum maximam annorum* 3248.: *quæ conſenſum Lunaris motus conſtanter ſervat.* 5. *Acceſſio*

ceſſio Cycli per Octaeteridas diſtributi ad civilem rationem temporum, à Græcis & Romanis uſurpatam, ex eorundem annis magnis, ac ſæcularibus illuſtratur. 6. S. Hippolytus dum Cyclum Cæſaris convertit ad Chriſtianos uſus, Chronologiæ tum præteritæ, tum futuræ ætatis proſpexit.

1 COlligitur ex utroque laterculo baſis, ſeu cathedræ S. Hippolyti, Cyclus Luniſolaris annorum CXII.: qua periodo (ait Bucherius) ferias eaſdem in orbem redire credidit S. Hippolytus. Id ergo non conceſſerim, credidiſſe ſcilicet S. Hippolytum, hoc ſpatio annorum Luniſolarium ferias eaſdem in orbem redire. Quin affirmo, colligi potiùs deberi, Hippolytum obſervaſſe poſt annos Luniſolares CXII. diem phaſeos Lunaris mutari in proximè præcedentem feriam hebdomadæ, & in proximè præcedens octiduum anni Juliani. Hoc eſt, ſi hoc anno 1703. Luminarium oppoſitio media, proximè ſequens Æquinoctium vernum, inciderit in diem primam Aprilis ſtylo novo, & in feriam primam hebdomadæ; aſſero poſt annos Julianos CXII. oppoſitionem vernam futuram octo diebus maturiùs, ſi referatur ad annum civilem, nempe anno 1815. die 24. Martii (quæ tamen in Gregoriano dicetur 25. ob intermiſſionem diei biſſextilis anno 1800.); & referendo ad ſeriem feriarum in hebdomada, futuram aſſero vernam ſeù Paſchalem oppoſitionem mediam die Sabbati poſt annos CXII., quæ hoc anno iniderat in feriam primam. Conſequens igitur eſt, ut aliis CXII. annis elapſis, hoc eſt anno 1927. Plenilunium incidat in fer. VI. 16. Martii: quæ communi ſtylo Gregoriano habebitur 28. Anno 2040., quo alia periodus annorum CXII. finem accipiet, erit Plenilunium medium die 8. Martii: quæ in Gregoriano haberetur 20. fer. V.: ac ita conſequenter: donec ſepties evolutâ ſummâ annorum CXII. (quæ dabit annos 784. præceſſio Noviluniorum, & Pleniluniorum eſſet dierum ſepties octo, nempe 56., & feriarum apocataſtaſis in novo Plenilunio inſtauraretur, ſi nulla eſſet habenda ratio fractionum, nempe horarum aliquot, quas infra expendemus.

2 Obiter hìc animadverto, literas octo diſpoſitas in Kalendario Juliano, & à nobis explicatas diſſertatione præcedenti, aptari optimè poſſe hujuſmodi numerationi. Ubi enim occurrit litera ejuſdem nominis in ogdoade præcedenti, ibi ſimilis adſpectus Lunæ cum Sole poſt annos CXII. Julianos expectandus eſt. Si ex. gr. fuerit hoc anno 1703. Plenilunium medium Kal. Aprilis, ubi adnotata viſitur litera Juliana C; aſſero literam C ogdoadis præcedentis, quam præfert dies

24. Mar-

24. Martii, futuram poſt annos CXII. diem Plenilunii: ſicuti dies nona Aprilis, quæ ornatur litera Ogdoadis proximè conſequentis diem Kal. Aprilium, rectè conſignat diem Plenilunii annis Julianis CXII. ante labentem annum 1703.

3 Latinis itaque omnibus, Juliano parapegmate uſis ætate S. Hippolyti, nulla expeditior ratio Chronologiæ, & computi Lunaris offerri poterat, quàm ea, quæ per literas octo, à Cæſare diſtributas diebus ſingulis anni civilis, Cyclum contexit annorum CXII., ex quatuordecim Ogdoadibus conſtitutum. Nam & hoc plurimum conferebat ad Cycli commendationem, quod in Octaeteridas, & Olympiadas diſtribui poſſet: menſuras ſcilicet temporis, ea tempeſtate percelebres, apud Græcos pariter, ac Latinos: quarum repetitione completur extenſio Cycli. Unde apud antiquos Chriſtianos octaeteridum uſus frequentiſſimus probatur à P. Bucherio pag. 307. comm. in Canonem Victorii ex literis Dionyſii Epiſcopi Alexandrini, ex teſtimonio Africani, ex Epiphanio, aliiſque Patribus, & Scriptoribus antiquis. Epiphanius verò naturam Octaeteridos Chriſtianæ oculis plane ſubjecit, ac eandem cum Hippolytea deſcripſit, obſervante Bucherio, ut iſte ex intercalandi methodo in emboliſmicis Lunationibus colligebat.

4 Demonſtranda jam eſt rationum æqualitas inter hunc Cyclum, & medios aſtrorum motus ex Tabulis Aſtronomicis: quam ita colligemus.

	Sign.	Grad.	Min.
Annis C Julianis motus Lunæ à Sole eſt ſignorum	10.	7.	4.
Annis XII. Julianis motus Lunæ à Sole eſt ſignorum	5.	2.	3.
Igitur annis CXII. Julianis ſolidis	15.	9.	7.
Ab hac ſumma ſubtrahe motum dierum octo	3.	7.	32.
Supereſt motus Lunæ à Sole poſt annos Julianos CXII. dierum Ogdoade imminutos	12.	1.	35.

Gradus, & minuta 35. progreſſionis Lunæ à Sole requirunt ſpatium horarum trium: nempe horis tribus antequam ea ſumma annorum ac dierum completa ſit, jàm Luna fuerit reſtituta juxta motus medios ad eundem adſpectum cum Sole. Septies igitur iteratâ ſummâ, nempe annis 784., ſepties iterantur dies octo præceſſionis, ſive dies 56. Præterea horæ tres, in ſingulas ſummas annorum CXII. computandæ, ſepties poſitæ, conſtituunt proximè diem ſolidam. Eodem igitur intervallo annorum 784. præceſſerit Luna radicem numerationis diebus 57. His adjecto biduo, erunt dies 59., nempe


pe duplex menſis Lunaris. Deſcendet ergo ſynodus Luminarium per biduum à prima radice, ſeu per literas duas ſpatio annorum Julianorum 784.: qua periodo quater evoluta, poſt annos ſex ac triginta ſupra ter mille ac centum, paria facient motus Luniſolares, & Ogdoades Kalendarii Juliani, reſtitutis iterum Lunæ motibus, à Sole indicandis per eandem literam, in Kalendario Cæſaris conſignatam, ſed in Ogdoade proximè conſequente radicis diem. Huic itaque ſummæ annorum 3136. ſi adjeceris aliam periodum annorum CXII., quæ dat præceſſionem octidui paullò ante demonſtratam, ut fiant anni 3248.; affirmo, ad eandem anni Juliani diem, per eandem literam ipſi aſſignatam à Cæſare, reſtituendum fore eundem adſpectum Luminarium juxta motus medios.

	Sign.	Gr.	M.	Sec.
Nam motus Lunæ à Sole debetur annis 3.mil. Julianis	7.	1.	56.	45.
Annis CC.	8.	14.	7.	47.
Annis XL.	8.	26.	49.	33.
Annis VIII.	11.	11.	21.	55.
	35.			
Igitur annis 3248.	11.	24.	16.	0.

5 Hinc verò licet coniicere quanta præſtantia ſit Cycli Cæſariani, quæ ſibi tam bellè conſtat, tum annis CXII., tum DCCLXXXIIII., tum MMMCCXLVIII., quibus certæ periodi Lunationum recurrunt, à Kalendario indicatæ; eademque ratio biſſextilium iteratur, exponenda per octo literas parapegmatis admodum ſimplicis. Conjectari etiam poſſumus, hujuſmodi numeros octaeteridum, ſimplicitate, atque elegantia plurimum commendatos, non abs re placuiſſe veteribus Græcis ac Romanis: quin & à Judæis tanto conſenſu receptos, quantum Africanus oſtendit apud Euſebium demonſtr. Evang. lib.8., relatus à P. Bucherio pag.308. Commentarii in Canonem Victorianum, & Cycli antiquorum, ab eruditis expoſiti, ſatis demonſtrant. Antiquiſſimum verò fuiſſe uſum octaeteridum apud Græcos oſtendunt religionum myſteria, quibus duplicatæ olympiadis intervallo octennia ſua celebrarunt. Hoc nempe ſpatio temporis complebatur Luna centeſima, ut Plinius animadvertit: quam forte exprimebant Poetæ illi vetuſtiſſimi, à Proclo recenſiti, inducentes quendam *Epicum Cyclum*, ex Cælo, ac Terra progenitum, filiis tribus centimanis foecundum, totidemque

Cyclo-

Cyclopibus. Evidentiùs tamen oſtenditur octennii Chronographia, feſtis Daphnephoriis celebrata apud Græcos: cujus ordinem recitatum ex Procli codice videſis in diſſertatione præcedenti; nam illuſtrat mirificè tum ea, quæ hìc enunciamus de octaeteride, tum ea, quæ ſupra dicta ſunt cap.4. num.10. ubi probatum fuit, omnes propemodum ſuperſtitiones ethnicorum ad Solem, ac Lunam referri: eorumque myſteria, tanto ſacerdotum arcano involuta, veri nihil aliud plerumque occultaſſe, quàm Luminarium motus, ab Ægyptiis, Aſſyriis, & Chaldæis longa obſervatione deprehenſos, & ſymbolis variis expreſſos. Viderint alii (ut obiter id attingam), an numiſma coronarium, à Tarſenſibus percuſſum, cujus imaginem ex Muſæo Eminentiſſimi, ac Reverendiſſimi Card. Otthoboni exhibendam curavi, ad octaeteridis indicium pertineat. Præfert enim coronam, octo humanis capitibus ornatam, in quibus videtur Hadrianus cum poſteris, in familiam Auguſtam adſcitis, ad Commodum Imperatorem colligi, & aureum illud ſæculum exhibere, quod Antoninorum ætas intulit Romæ. Illud certè comprobat, quod Suetonii teſtimonio, & monimentorum veterum fide aſſerueram in diſſertatione præcedenti de imaginibus deorum, ac principum, inſertis in antiquorum coronas, ad ludos circi, ac theatri adhibitas. Vide ſupra fol.41. & 43.



Græcorum cæremoniis aequiparanda eſſet pompa ſæcularis, ab Auguſto vel inſtituta, vel inſtaurata, ritu propemodum Græcanico, poſt annos centenoſdenos repetenda, juxta Horatii carmen: quod ita legendum cenſent:

Certus undenos decies per annos
Orbis & cantus referatque ludos,
Ter die claro, totieſque grata
Nocte frequentes:

Et juxta intervallum, à Septimio Severo cuſtoditum ex rationibus Quindecimvirorum, annis CCXX. poſt Auguſti Ludos,

ut Chronologi obſervant, ad annum Æræ Chriſt: 204., Urbis Conditæ 957. In his enim ſacris ſæcularibus, perinde ac in Daphnephoriis, pueri patrimi, ac matrimi, templum Apollinis adeuntes Græca Romanaque voce carmina, & pæanas concinebant: in utriſque lauri geſtationem uſurpabant, ut hiſtoriæ, ac nummi nos docent: & quod præcipuum eſt, utrobique videmus, univerſa propemodum referri ad Solis ac Lunæ motus diverſorum numinum ſpecie ſignificandos: ſiquidem antiquarii notant cum Roſino lib.5. cap.21., ſacrificia in ſæcularibus ſacris fuiſſe ſuſcepta Jovi, Junoni, Apollini, Latonæ, Dianæ, prætereaque Parcis, & quas vocant Ilithyias, tum Cereri, & Diti, & Proſerpinæ: his nempe numinibus, quæ jam oſtendimus indicare Solem, ac Lunam, ut in utroque aſtro invocando Horatii carmen ſæculare diſertè prodit:

Phoebe, ſylvarumque potens Diana,
Lucidum Cęli decus, ò colendi
Semper, & culti, date quæ precamur
Tempore ſacro &c.
Alme SOL, curru nitido diem qui
Promis, & celas, aliuſque & idem
Naſceris &c.
Lenis Ilithyia tuere matres:
Sive tu Lucina probas vocari,
Seu genitalis
Diva, producas ſobolem &c.
Supplices audi pueros Apollo:
Siderum regina bicornis audi
LUNA puellas.

Quoniam verò huc evaſit ſermo; non erit alienum ab argumento Cyclorum, quos pertractamus, indicare breviter cognationem Cycli Juliani cum periodis annorum ſæcularium, olim celebratis à Romanis Imperatoribus. Conſtat, Auguſti Ludos Sæculares incidiſſe in annum emendationis Julianæ 28., ante vulgarem Chriſti Epocham 18., Urbis verò conditæ juxta Varronem 736., & à Parilibus 737. Claudius celebraſſe oſtenditur anno Chriſti 47. V.C. 800. juxta Varronem. Domitianus Chriſti 88. Antoninus Pius, juxta Eminentiſs. Noriſium Epiſt. Conſ. pag.89. & 169. anno Æræ Chriſti Domini 147. V.C. 900. Septimius Severus Chriſti 204. Philippus Chriſti 247. Milliarium Sæculum concluſit, & novum aperuit anno ſequenti 248. cum Ludis Sæcularibus Nonis. Anno, quo Auguſtus celebravit, in Cyclo Cæſaris uſurpandæ erant literæ Hyeme quidem, ac Vere. B 1; Æſtate verò, & Autumno C 1; nam annus 28. ab emenda-

tione

tione Juliana reſtituit has literas ad indicanda Novilunia, ut patet ex Cycli expanſione, pag.15. 16. & 18. à nobis producta diſſert. præcedenti. At litera C 1. coloris Albati in Kalendario Juliano tribuitur diei 24. Septembris, ſeu VIII. Kal. Octobris: quæ Natalis erat Octaviani Auguſti, ut in eodem Kalendario legitur. Mirum propterea non eſt, voluiſſe Auguſtum figere Epocham Ludorum Sæcularium hoc anno, qui Novilunium cum Natali ſuo componebat: potiſſimè cum etiam Romæ Natalia ad Novilunii diem eodem anno referrentur. Neque aberant longè ab intervallo per Quindecemviros definito ex libris ſibyllinis; cùm annis 109. poſt conſulatum Lepidi & Oreſtis (qui Coſs. Ludos Sæculares quartos celebraverant) Auguſtus Quinctos inſtauraret. Claudius tamen celebrans anno Urbis 800. videtur computaſſe quater juſtum intervallum CX ab eo, qui primus Conſul Tarquinio ſuffectus cum Bruto fuit, Valerio Poplicola, eorundem Ludorum inſtitutore. Domitianus anno Chriſti 88., & à Cæſaris emendatione 133. (quo ſcilicet Enneadecaeteris ſeptima complebatur) ludos inſtaurans, videtur expectaſſe terminum periodi, ut proximè ſequens annus duceret Novilunium Kalendis Januarii cum Cycli Octagrammi numero I., ſive cum literis A 1 A 1 B 1 B 1: quæ eidem anno debentur: præſertim cùm is terminus longè non abeſſet à legitimo ſpatio annorum CX. iterato, ſi referretur ad Conſulatum Lepidi, & Oreſtis: à quibus conſulibus aberant ludi ſæculares Domitiani annis CCXXIII.: Antoninus annum centeſimum eligens à ſæcularibus Claudii repperit novilunium ex Cyclo Cæſaris die æquinoctii Juliani. Severus, ſive ab Auguſti Ludis numeraverit annos CCXX., ſive CCCXXX. à Conſulatu Lepidi & Oreſtis (quo pariter diximus ſæcularia ſacra fuiſſe à Romanis peracta) reſpexiſſe tantummodo viſus eſt ad leges Collegii XV. Virorum Sacris faciundis, quibus hoc intervallum ad inſtaurationem ludorum præfiniebatur. Philippus pariter Urbis conditæ anno milleno, tam ex intervallo Antonini *ſæcularia*, quàm ex numero annorum MILLIARIVM SAECVLVM, ut ipſius nummi referunt, celebravit. Quatuor ergo Principes Auguſtus, Claudius, Domitianus, & Antoninus, qui ordinationis Julianæ modum, utpote proximiores, & matheſeos non imperiti, imò & ſtudioſi cæleſtium obſervationum, callere præceteris poterant, exegiſſe videntur ad Cycli Juliani Leges ſacrorum ſæcularium inſtaurationem: dum ſinguli eorum ad Kalendas Januarii, ſiuè ad aliam celebrem anni diem, data opera electam, Novilunia revocare curarunt.

Vide pag.18. ſup.

Vide Cenſorin. de die Nat. cap.17.

Jam verò Cæſaris Cyclum, ſuperſtitioſo cultui Solis ac Lunæ

una cum Kalendario mancipatum ab impietate ac titulis nefariæ ſuperſtitionis expiare conſtituit Sanctus Hippolytus, & ad Chriſtiana Sacra traducere. Reperuit itaque modum ejuſdem Cycli cum ſeptenis noſtrarum feriarum literis ita temperandi, ut Paſchalem Canonem *Primus* comperiſſe dicatur ab Iſidoro lib. originum 6. cap. 17. Qua verò id arte peregerit, faciliùs perceptum iri confidam, ex quo ſyſtema Cæſaris, expoſitum ſuperiori diſſertatione, fuit etiam cum ſæculari ſpatio collatum præſenti capite. Ut enim redeam à Juliano Cyclo ad Hippolyteum, cujus gratia Cæſarianum interpretandum ſuſceperam; prioris illius elegantiam aſſecutus imitatione videtur S. Hippolytus, duplici laterculo expanſo: quorum in uno ſingulos annos explicuit, unius periodi ſummam complentes; in altero periodos invicem nexuit, & ad uſum hiſtoriæ ſacræ Veteris Teſtamenti, ejuſque ad Chronologiam ordinandam adhibuit. De utraque expanſione laterculorum diſcretis capitibus agendum eſt. Primùm exponemus laterculum, ad ſuperiora ſecula ab Hippolyto extenſum, in quo Chronologica ſumma exhibetur Paſchatum celebriorum, quæ memorantur in divinæ Scripturæ libris. Alterum, in quo Cyclus unicus ordinatur ad annos CXII. proximos ab Epocha imperii Severi Alexandri, qua S. Hippolytus ſcripſit, in caput ultimum hujus Diſſertationis differimus.

CAPUT TERTIUM.

Exponitur prior laterculus Canonis Hippolytei, complexus Chronologiam Sacram Veteris, & Novi Teſtamenti, à primo Paſchate Moſis ad ultimum Dominicæ Paſſionis.

SUMMA CAPITIS.

1. *S. Hippolytus in hoc priori laterculo duo præſtitit, quæ ſunt* Syſtema, *&* Uſus *ſui Cycli*. 2. *Syſtema reſpicit Periodos tres, minorem annorum* 112., *majorem annorum* 784., *& maximam annorum* 3248. *Uſus refertur ad comparationem Lunæ quartædecimæ Paſcalis per annos ſingulos cum hebdomadæ Feria, in quam incidit*. 3. *Et cum die certa civilis anni, in Kalendario Juliano aſſignata*. 4. *Uſus ad expanſionem Chronologicam*

eam hiſtoriæ Veteris Teſtamenti à Paſchatis legalis inſtitutione per Moyſen ad ejuſdem implementum per Chriſtum Dominum. 5. Cyclus Hippolyteus contrahi non debet ex hoc ſyſtemate. 6. Indicantur nonnulla, quæ perfici debuiſſent in eodem Cyclo. 6. Librorum, à S. Hippolyto ſcriptorum, Catalogus continetur in margine hujus laterculi prioris.

1 IN hoc priori laterculo videtur S. Hippolytus ita Cyclum expandere, ut unum ſupponat, hoc eſt ſyſtema ipſius Cycli, & alterum præſtet, nempe uſum ejuſdem. Primò ſupponit harmoniam lunationum mediarum tum *ad minorem* Periodum, annis conſtantem centenis ac duodenis; tum *ad majorem*, definitam annis DCCLXXIV., quæ ſcilicet ex minoribus ſeptem colligitur; tum ad maximam, quæ conſtat annis Julianis 3248. Hæc autem ratio, & harmonia, *ſyſtema Cycli* appellari poteſt. Secundum verò quod præſtat, ad uſum refertur. Nam periodos ita comparatas, & in ordinem digeſtas, Chronologica ſerie applicari docet cuicumque Paſchati præcedenti, ſacris in codicibus memorato: ut methodum inſinuet annalium ſacrorum ex Hebraico ad Latinum calculum digerendorum, & ad anni Juliani modum veluti proleptice ſumptum: quam comparandi methodum dicimus *uſum Cycli*.

2 Syſtema Cycli, ſive harmonia trium periodorum *maj.*, *min.*, & *maximæ* cum feriis hebdomadæ petenda foret à fuſiori commentario, quo illuſtratum narrant Hippolyti Canonem ab ipſo Auctore vetuſti Scriptores, memorati à Cl. Vir. Carolo du Freſne in editione poſtrema Chronici Paſchalis, quod olìm dixerant Raderus, & Panvinius Chronicon Alexandrinum, aut faſtos Siculos. Verùm ibidem indicat, pretioſum illud tanti Patris monumentum hodie deſiderari: licet enim ſuperſit Canon, huic marmori commendatus; attamen liber, quem de Canone ſcripſerat, nullibi potuit hactenus reperiri. Æqui bonique conſulent eruditi, ſi deperditam Cycli partem, & in hac expanſione ſuppoſitam, ea ſubrogatione ſupplebo, quæ viſa fuerit cæleſtium corporum motibus, & diſpoſitioni ejuſdem canonis propiùs accedere. Hanc igitur harmoniam conſidero Periodi Majoris, Minoris, & Maximæ cum feriis hebdomadæ.

3 Annis Julianis CXII. (quam ſummam dixi *Periodum minorem*) Luminarium Synodi in anno Juliano aſcendunt per octiduum, ut ex Aſtronomicis calculis demonſtratum eſt capite præcedenti pag. 95. Moventur itaque verſus anni caput per hebdomadem unam, & feriam unam. Septenis itaque Periodis minoribus retrahentur Synodi per hebdomadas ſeptem, ac per totidem Ferias, nempe hebdomadibus octo ſoli-

 dis.

di. Si Paſchalis Luna haberi poſſet illa, quæ contra menſium ordinem ad anni caput ita receſſit, per dies 56.; exactâ Periodo majori annorum 784., inſtauraretur Cyclus. Verùm ea Luna Paſchalis non eſt in tanto receſſu. Expectare oportet duplicem Lunationem mediam, hoc eſt dies 59., antequam menſis Paſchalis appetat. Dies 56. erant retroceſſionis, imò 57. ſi horæ illæ tres in ſingulas Periodos minores computentur, quæ poſt ſeptimam fermè aſcendunt ad ſolidam diem. Dies verò 59. deſcensûs ſunt expectandi. Detractis verò 57. diebus aſcensûs à 59. deſcenſionis, ſupererit biduum deſcensûs. Quare in Kalendario Juliano deſcendet ſynodus Paſchalis, die duplici poſt annos Julianos 784. Hoc ſpatio moventur feriæ in annos ſimplices ſingulæ, & Biſſextilibus duæ: quarum eſt ſumma 980. Huic ſummæ ſi adjeceris dies duos deſcenſionis, erunt dies 982. dividendi per ſeptem hebdomadæ ferias. Peracta diviſione ſuperſunt 2. Tot igitur feriis promovebitur phaſis Lunæ poſt annos 784. Julianos, qui *Periodum Majorem* conſtituunt. Hunc annorum numerum ſi quater aſſumpſeris (nempe annos *3136.*); promovebuntur Lunæ phaſes per ferias octo, ſive (hebdomadâ detractâ) per feriam unicam. At eidem ſummæ *3136.* apponi juſſimus unicam *Periodum Minorem*, ut haberetur Periodus maxima annorum 3248., quæ phaſes Lunæ reſtituit ad eandem anni Juliani diem: unica verò periodus minor retrahit phaſes per feriam unam. Igitur completâ periodo maximâ ann. 3248. compenſatur feria progreſsûs à feria regreſsûs in motibus Lunæ à Sole; & reſtituitur ſynodus ad eandem hebdomadæ feriam, quemadmodum eodem numero annorum reſtituitur (quod ante vidimus) ad eandem anni Juliani diem.

Ea igitur eſt habitudo, & harmonia triplicis Periodi *Minoris*, *Majoris*, *& Maximæ*, quam tribuimus Cyclo S. Hippolyti, cum anno Juliano, & cum feriis; nempe annis conſequentibus

Unica Periodus Minor ann. CXII. *retrahet in Kalendario per octiduum, promovebit in hebdomada per* I. *feriam Lunares motus à Sole:*

Unica Periodus Maior ann. DCCLXXXIV. *eoſdem motus promovebit in Kalendario per biduum, & in hebdomada per ferias duas.*

Unica Periodus Maxima ann. MMMCCXLVIII. *reſtituet Lunæ motus à Sole ad eandem anni Juliani diem, & ad eandem feriam hebdomadæ.*

Quod è converſo in præcedentibus annis præſtari intelligitur contrariâ lege, *ut regreſſus abeat in progreſſum.*

Si

Si nullà igitur habenda eſſet ratio præceſſionis Æquinoctiorum, quæ per ætatem S. Hippolyti aut nondum comperta fuerat, aut credebatur perexigua; Cyclus Paſchalis foret omninò perpetuus; cùm annis ſolidis Julianis 3248. motus Lunæ medii, Feria hebdomadæ, & anni Juliani dies inſtaurentur.

3 Accedit elegantiæ Cycli etiam facilitas indicationis, eo potiſſimum tempore, quo uſus vigebat Kalendarii Juliani deſcribendi in parapegmate, & in membranis una cum octo literis Cycli Cæſariani, additis etiam literis ſeptem Feriarum hebdomadæ, quas ſuperſtites adhuc ſervat Kalendarium, quarto Chriſti Sæculo exaratum, & à Bucherio, Lambecio, aliiſque Scriptoribus editum.

Eodem ex Kalendario ſi deſcribantur dies menſium duorum, Martii, & Aprilis, compendio duplicis ordinis literarum, nempe octo illarum quæ ad Cyclum Cæſaris pertinent, & aliarum ſeptem, quæ diſcriminant Ferias hebdomadæ; aſſero, in ſyſtemate Sancti Hippolyti expeditiſſimè colligi diem Paſchalem tàm Judæorum more, quàm noſtro. Exemplo id fiet manifeſtum. Propono in margine dies ſingulos menſis utriuſque expanſos, vnà cum literis Ogdoadis Julianæ, & hebdomadis Chriſtianæ, ac Judaicæ.

Mart. Dies menſis.	Litera Ogdoad.	Litera hebdom. ſeu Dominic.	*April.* Dies menſis.	Litera Ogdoad.	Litera Domin.
Kal. 1	D	d	Kal. 1	C	g
2	E	e	2	D	a
3	F	f	3	E	b
4	G	g	4	F	c
5	H	a	Non. 5	G	d
6	A	b	6	H	e
Non. 7	B	c	7	A	f
8	C	d	8	B	g
9	D	e	9	C	a
10	E	f	10	D	b
11	F	g	11	E	c
12	G	a	12	F	d
13	H	b	Eid. 13	G	e
14	A	c	14	H	f
Eid. 15	B	d	15	A	g
16	C	e	16	B	a
17	D	f	17	C	b
18	E	g	18	D	c
19	F	a	19	E	d
20	G	b	20	F	e
21	H	c	21	G	f
22	A	d	22	H	g
23	B	e	23	A	a
24	C	f	24	B	b
25	D	g	25	C	c
26	E	a	26	D	d
27	F	b	27	E	e
28	G	c	28	F	f
29	H	d	29	G	g
30	A	e	30	H	a
31	B	f			

Anno I. Severi Alexandri facta eſt, inquit Hippolytus, Luna XIV. Idibus Aprilibus Sabbato. Dominica verò Paſchalis dilata ad ſubſequentem hebdomadam, juxta conſuetudinem Latinam illorum temporum, incidit in diem 21. Aprilis. Vides diei 13. Aprilis, ſeu idibus, aſſignari literam Ogdoadis G & hebdomadis e. Dominicalis igitur litera eſt f.

Poſt annos CXII., uti ſupra oſtendimus, XIV. Luna erit octiduo citiùs, nempe die 5., ubi litera G Ogdoadis Julianæ præcedentis occurrit. Litera proximæ columnæ eſt d: Feria verò (quæ hoc ſpatio retrocedit per unicum gradum) habebitur VI. Igitur f fuerit litera Dominicalis anno 112. poſt primum Severi Alexandri, nempe anno Æræ Chriſti 334. Paſcha verò contigerit die 7. Aprilis. Ita exhibet etiam Tabula Paſchalis paulò ante edita in ſolutione Problematis Paſchæ, collecta ex SS. Patribus.

Poſt alios annos CXII., nempe anno Æræ vulg. 446. Luna XIV. in Kalendario retrahenda per octiduum ubi litera G occurrat proximè in Ogdoadibus. Spectat verò ad diem 28. Martii. Litera alterius columnæ illi adhærens c indicat Feriam V., quæ unico gradu minor eſt Feriâ Periodi proximè præcedentis. Erit itaque dies Dominica 31. Martii f dies Paſchalis. Eandem ita exhibent Tabulæ, à SS. Patribus Cyrillo, Leone &c. collectæ in ſolutione Problematis Paſchalis.

Expe-

Experimentum capere lubet etiam circa periodos majores annorum 784. : quarum ſingulæ promovent Lunam tum in Kalendario, tum in Feriis per biduum.

Ab anno primo Severi Alexandri, Chriſtianæ Epochæ 222., numera duplicem Periodum Majorem annorum 784. Incides in annum Chriſti 1790. Duplex periodus major promovet Lunam per dies quatuor in Kal. Juliano, & per totidem Ferias in hebdomada. Cum igitur anno primo Alexandri Cæſaris Idibus Aprilibus Sabbato colligeretur Luna XIV., eadem Luna habebitur Feria IV. die vero 17. Aprilis anni 1790. Propterea Dominica Paſchalis dicenda foret 21. Aprilis, ſi nulla Æquinoctiorum præceſſio tot Sæculis interceſſiſſet. Verùm recedente Æquinoctio ad diem XI. Martii in Kal. Juliano, Luna præcedens habenda erit Paſchalis. Die ſcilicet 18. Martii ſtylo veteri, quæ in Gregoriano dicetur 29. Martii erit Luna XIV. Feria diei XVII. Aprilis ejuſdem anni eſt IV., eaque notatur litera b. Igitur litera Dominicalis ejuſdem anni in Kalendario veteri habenda eſt juxta ſyſtema liter. S. Hippolyti relatum paginâ .... f : quæ cum occurrat die 24. Martii ſtylo veteri (ſeu 4. Aprilis ſtylo novo) proximè poſt quartamdecimam ſupra indicatam; demonſtrat, Paſcha eodem anno 1790. celebrandum eſſe die 4. Aprilis, quemadmodum referunt etiam communes Tabulæ Gregorianæ.

Hoc itaque Syſtema ſtatuendum judico Cycli Hippolytei, per triplicem illam Periodum *Minorem*, *Majorem*, *& Maximam*, quas adeò eleganter, & expeditè reſpondere oſtendi tum literis Ogdoadum more Juliano, tum hebdomadum more Chriſtiano. Quin etiam hujuſmodi habitudo Cycli Hippolytei, ejuſque *Periodorum* ad *Ferias*, cenſeri debet non tantùm ratio Syſtematis, ſed etiam pars uſûs : quod nitidiùs viſum iri puto capite ſubſequenti in declaratione ſecundi laterculi. Id tamen ſupereſt indicandum, qua ſcilicet ratione in ſingulos annos cujuſcumque Periodi *Minoris*, *Majoris*, *& Maximæ* ex hujus Canonis expanſione indicetur Feria, demonſtrans Paſcha legale, ſeu diem quartamdecimam Cyclarem Lunæ Paſchalis, & anni Juliani diem ipſi congruentem : id enim contineri videtur hoc in laterculo; quemadmodum in altero colliguntur more Chriſtiano Dominicę Paſchales anni cujuslibet per integram periodum minorem annorum CXII., indicatæ ex præcedenti ſerie Paſchatis legalis, ad certam anni Juliani diem, & hebdomadis Feriam in hoc præcedenti laterculo jam redacti.

Indiculus Librorum Hippolyti, in margine Canonis inciſus, titulum continet illius operis, quo doctiſſimus Martyr univerſa

ſa illa explicabat, ac demonſtrabat fuſiori commentario; nam ibi legitur inter alia Hippolyti Opera. ΑΠΟΔΕΙΞΙΣ ΧΡΟΝΩΝ ΤΟΥ ΠΑΣΧΑ ΚΑΤΑ ΕΝ ΤΩ ΠΙΝΑΚΙ, DEMONSTRATIO TEMPORUM PASCHAE QUEMADMODUM IN TABULA. Verùm cùm is Liber incuriâ temporum interciderit; conabimur ex ipſa literarum ſeptem diſpoſitione G F E D C B A per totidem columnas ſedecennales *demonſtrationem* deperditam expiſcari. Neque id incongruum videbitur Mathematicis: qui probè noverunt, quamplurimas demonſtrationes Theorematum, ac Problematum geometricorum reſtitui poſſe, etiam nullis ſuperſtitibus literis, dummodo figurarum lineamenta ſalva habeantur: quod in Canone S. Hippolyti ritè hìc expanſo contigiſſe gaudemus: non ſecus, ac in elementis ab Euclide collectis olim accidiſſe alii memorant. Verùm hanc Syſtematis Hippolytei partem, quæ uſum quoque reſpicit ejuſdem Cycli, opportunum ducimus paulliſper differre, ad numerum ſcilicet *6.* præſentis Capitis, poſtquam fuerint nonnulla præmiſſa de uſu altero Chronologico, quæ faciliorem reddent earundem rerum explicationem.

4 Expediendus itaque eſt uſus alter hujuſce prioris laterculi ad Chronologiam Paſchatum præcipuorum, quæ in divinis literis memorantur, juxta prolepticos annos Julianos in Hippolyti Cyclo exhibendam. Hanc verò methodum elegantis Chronici facilè colligo ex certis veſtigiis, tabulæ inciſis, tum in titulo, tum in columnis per voces illas quæ ſtatis locis leguntur inſculptæ, nempe EXODUS; IN DESERTO; JESUS (hoc eſt Joſue); EZECHIAS; JOSIAS; ESDRAS. Eædem repetuntur ſemel, adjectis verbis SECUNDUM DANIELEM: ut exprimatur EXODUS JUXTA DANIELEM; IN DESERTO JUXTA DANIELEM &c. Duo tamen loca, quorum in uno legitur GENESIS CHRISTI, in altero PASSIO CHRISTI non geminantur in hoc laterculo: neque illis additur *τὸ* ΚΑΤΑ ΔΑΝΙΗΛ JUXTA DANIELEM, quod occurrebat in ſuperioribus. Hujuſmodi vocum ſententiam minimè aſſequtus videtur Scaliger; & ab ejuſdem inquiſitione abſtinuere P.Bucherius, & Petavius, viri ingenio magno, & cuivis docto in diſceptando pares, ut de Vettio protulit Varro apud Cenſorinum. Cum tamen Bucherius permiſerit arbitrio Lectorum eaſdem voces interpretari; conſului titulum, experturus, num ex Davo fieri Ædipus poſſem. Sanè in titulo indicium legitur Chronici Paſchatum ſuperiorum, hac in tabula per Hippolytum ordinati. Ait enim titulus Latinè redditus: *Anno* I. *Regiminis Alexandri*

dri Imperatoris facta eſt XIV. *Paſchæ Idibus Aprilibus Sabbato, cùm menſis embolimæus fuiſſet. Continget ſequentibus annis ſicut infra ordinatum eſt in tabula.* FACTA VERO EST IN PRAETERITIS SICUT INDICATUR. *Solvere autem oportet jejunium ubi inciderit Dominica.* Indicatur itaque in Tabula, huic titulo ſubjecta, quemadmodum Paſchalis quartadecima celebrata fuerit annis præteritis ante Epocham Imperii Severi Alexandri. Porrò XIV. Paſchales, quæ ante Severum celebratæ hìc ſignificantur, diſertè apparent in titulis antea relatis, EXODUS &c. Sunt verò Paſchata ſuperiorum ætatum, de quibus divinæ loquuntur literæ. Primùm Paſcha inſtitutum in exitu Iſrael de Ægypto, ut legimus Exodi cap. XII. annis ante Chriſti Epocham circiter 1500., vel 1550. notatur vocibus EXODUS, & EXODUS KATA DANIEL. Tum illi ſuccedit Paſcha in deſerto celebratum poſt biennium, de quo loquitur Liber Numerorum Cap. IX.: hic verò indicatur per literas IN EREMO. Deinde ſequitur Paſcha poſt annos 39. à proximè recenſito, ſive poſt 41. ab Exodo, in ingreſſu Palæſtinæ celebratum ſub Joſue ſeu JESU NAVE, ut in lib. Joſue cap. 3. cujus indicium eſt nomen JESUS appoſitum poſt cellulam 41. à Paſchate Exodi. Reperiuntur etiam inciſa nomina EZECHIAS, JOSIAS, ESDRAS, hoc eſt Sacerdotis Eſdræ, & illorum Regum, qui Paſcha magna cum celebritate inſtaurarunt: quorum propterea in Sacris Bibliis memoria recenſetur: nempe; II. Paralipom. cap. 30., & 35. IV. Reg. cap. 23. I., Eſdr. cap. 6. Attexitur vero JUXTA DANIELEM alia Chronologia Paſchatum eorundem; cùm ex Danielis libro, ejuſdemque hebdomadibus diverſimmodè numeratis Epocham ſuperioris ætatis à templo condito ad inſtauratum ſub Cyro Chronologi colligant paullò diverſam. Quare utriuſque ſententiæ Chronicæ numeros Hippolytus conſignavit in hacce Tabula: in qua profitetur, ſe indicaſſe Paſchata ſuperiorum ætatum: IN PRAETERITIS AUTEM annis EVENIT SICUT INDICATUM EST, uti vertit Bucherius.

Hæc demum interpretatio legitima mihi videtur verborum Sancti Hippolyti; licet Scaliger, non admodum felici conjectura putaverit, eadem pertinere ad lectiones ſtatas, vagaſue, ex utroque teſtamento, quarum uſus per Hippolyti ætatem in Eccleſia vigeret. *Nos ea* (ſubdit Bucherius) *quoniam ad inſtitutum noſtrum non attinent, lectoris judicio relinquimus.* Præter illa enim Paſchata Exodi, in deſerto, Joſue, ſeu Jeſu Nave, Ezechiæ, Joſiæ, Eſdræ, ab Hippolyto conſignata, nullum repperi diſertè narratum in libris Veteris Teſtamenti: Eò autem

autem lubentiùs concedo in hanc ſententiam, qua ſtatuebam, dictionibus illis indicari annum Cycli Hippolytei, cui reſpondent Paſchata iiſdem cellulis attributa, & in divinis literis memorata; eò inquam lubentiùs in hanc ſententiam concedo; quod videam, intervallis Paſchatum definitis ex potiori Chronologorum veterum ac recentiorum ſententia ſatis exactè applicari cellulas hujus laterculi, ut ex comparatione mox afferenda perſpicuum fiet.

Monere tamen oportet comparaturos, ut meminerint, Chronologos omnes, licet è divinis literis intervalla temporum repetant, non nihil differentiæ in calculos intuliſſe: dum plurium ſive Judicum, ſive Regum annos aut diſcretos componunt, aut componendos ſeparant: quos percenſere ſingulos non eſt præſentis ocii, aut inſtituti. Sufficiet, credo, producere celeberrimos tum ex antiquis, tum ex recentioribus Chronologis, & conſignare intervalla temporum ab eorundem ſupputationibus definita; ut conſtet, Hippolyti ſyſtema Chronicum probari maximè, quod medio fermè loco inter aliorum ſententias conſiſtat. Ab ipſo autem Hippolyto exordiar, qui reliquos hìc afferendos ætate præcedit. Conſignat S. Hippolytus GENESIM CHRISTI Domini cellula ſecunda ſui Canonis annorum CXII. Duplici fermè Cyclo, ſive annis 223. ante Epocham Severi Alexandri putat in utero Virginis Deiparæ conceptum fuiſſe Dominum. Recentiores Chronologi ſaltem biennio maturiùs id contigiſſe demonſtrant: quibus licet aſſentiar; attamen obſervo, Dionyſium, & Veteres plerosque biennio diſtuliſſe, quod erat biennio ante Hippolyti terminos proferendum. Medio igitur loco inter utroſque verſatur S. Hippolyti ſupputatio. PASSIO CHRISTI in cellula poſtrema columnæ ſecundæ conſignata, pertinet ad annum æræ vulgaris 29. ſive, ut ego arbitror, 28. (par enim Conſulum omiſſum judico): quem eſſe tribuendum Paſſioni Dominicæ, duobus Geminis Conſulibus, invictis rationibus videtur fermè demonſtratum. Verùm hujuſce Paſchatis intervallum alii obſervarunt. In remotiora Paſchata ſi feramur per cellulas Hippolyteas; occurrent ſex illa Eſdræ, Joſiæ, Ezechiæ, Joſue, in Eremo, & Exodi nominibus bis conſignata: ſemel abſque ullo additamento; iterum verò cum literis JUXTA DANIELEM. Duplicem computum, ut præmonui, ferunt. Alius colligitur juxta hebdomadas Danielis: quarum 62. ab Eſdræ Paſchate ad Chriſtum Dominum S. Hippolytus numeravit, ut Auctor eſt Hieronymus in Lib. de Scriptoribus Eccleſiaſticis. Sunt verò hebdomades annorum LXII. anni 434. Computus alter juxta annos imperii Perſarum, & Macedonum, ab eodem S. Hieronymo indicatus, reperitur etiam in Opere Anonymi, Hippolyto æqualis, infra afferendo pag. 130.

62.
7.
—
434.

Compu-

Computus prior ex cellis non conſignatis *juxta Danielem*		Computus alter *juxta Danielem*; de quo vide quæ in margine adſcribimus. ❦	
	Annis ante primum Severi Alexandri.	*Annis ante primum Severi Alexandri.*	
Paſcha Exodi	1799.	1778. *ſeu*	1666.
Paſcha Ezechiæ [ejus anno Primo]	1006.	987.	875.
Paſcha Joſiæ [ejuſdem anno XVIII.]	893.	875.	763.
Paſcha Eſdræ [Darii anno VI.]	786.	656.	656.

Si detraxeris annos 221., qui intercedunt poſt primum Æræ vulgaris Dionyſianæ ad primum Imperii Alexandri; intervalla Paſchatum, & Æræ Chriſti vulgaris hæc prodibunt ex Cyclo.

	Ex ſupputatione priori	*Ex ſupputatione juxta Daniel.*	*ſive*
Paſcha Exodi ante Epoch. Chr. annis	1578.	1557.	1445.
Paſcha Ezechiæ	785.	766.	654.
Paſcha Joſiæ	672.	654.	542.
Paſcha Eſdræ	565.	435.	435.

Obſerventur etiam intervalla eorundem Paſchatum invicem comparatorum.

		Interval-lum ann.			*Interval-lum ann.*	*ſive*	
Exodi	1578.	793.	Exodi	1445.	791.		
Ezechiæ	785.	113.	Ezechiæ	654.	112.		
Joſiæ	672.	107.	Joſiæ	542.	107.	653.	218.
Eſdræ	565.	565.	Eſdræ	435.	435.	435.	
Æræ comm.	0.		Æræ comm.	0.			
	Summa	1578.		Summa	1445.		

Conferenda jam ſunt intervalla, & Epochæ Canonis Hippolytei cum intervallis, & Epochis aliorum Chronologorum, qui tum ex veteribus, tum ex recentioribus habentur præſtantiſſimi. Ex veteribus proferam Euſebium, & Syncellum. Ex recenſioribus Card. Bellarminum, Salianum, Petavium, Torniellum, Uſſerium, Calviſium, & Lydiatum: redactis eorundem comparationibus ad Æram Chriſti vulgarem, cum certo ipſorum Chronologiæ anno compoſitam.

Euſebius à natali Abrahami ad Natalem Chriſti Domini colligit annos 2015. Exodum verò ſtatuit anno Abrahami 505. & reliqua Paſchata his intervallis ſejungit.

Paſcha Exodi

❦ S. Hieronymus iu cap. IX. Danielis hæc ſcribit. *Hippolytus autem de eiſdem hebdomadibus* (Danielis) *opinatus eſt ita. Septem hebdomadas ante reditum populi ſupputat, & ſexaginta duas poſt reditum uſque ad Nativitatem Chriſti, quarum tempora omninò non congruunt. Siquidem Regni Perſarum ducenti & triginta ſupputantur anni. & Macedonum trecenti: & poſt illos uſque ad Natiuitatẽ Chriſti anni triginta: hoc eſt ab initio Cyri Regis Perſarum uſque ad adventũ Salvatoris anni quingenti ſexaginta.* Anonymus verò Scriptor ſub Sev. Alexandro, quem Hippolytum aliqui putant, poſt Eſdram ad Incarnationem Domini retulit annos 563., ut infra pag. 132. Ex cellis *juxta Danielem* tabulæ Hippolyteæ ab FSDRA ad GENESIM CHRISTI numerantur anni 434. computatis extremis, & ſunt ipſæ hebdomades annorũ LXII. à Hieronymo tributæ huic intervallo ex ſententia Hippolyti. Ex aliis vero cellis ſunt anni 565. adjecta ſcilicet Periodo minori ſupra cellas alterius putationis: quam ſententiam Hieronymus præfert, ex Perſarum ac Macedonum annis ritè collectis: quam etiam conſentire videmus cum ea, quam profert Anonymus Hippolyto æqualis, ad Æram Chriſti biennio remotiorem Æra communi. Duplex idcircò profertur computus intervalli Eſdræ Paſchatis à Geneſi Chriſti Domini, alteri quidem ex *Danielis* hebdomadibus ann. 435. ante æram communem, ſeu 434. incluſis terminis ante Natalem Domini ab Hippolyto aſſumptum (quo etiam nomine fortaſſe cellas inſcribit IVXTA DANIELEM): alter autem juxta probatiorem ſententiam, annis 565. præmittens Paſcha Eſdræ communi Epochæ Natalis Dominici qui ſunt 563. ante aſſumptam ab Hippolyto in hiſce cellis. Abſtinemus verò exemplo Hieronymi à judicio circa eaſdem ferendo: cùm Sanctus Doctor ibidem admoneat, *periculoſum eſſe de Magiſtrorum Eccleſiæ judicare ſententiis, & alterum præferre alteri.*

Paſcha his intervallis ſejungit

			Intervallum annorū.
Paſcha Exodi annis ante Chriſti Natalem		1510.	
	Paſcha Ezechiæ	539.	771
	Paſcha Joſiæ	625.	114
	Paſcha Eſdræ	514.	111
	Æra Chriſti Nat.	o.	514
		Summa	1510

Georgius Syncellus ad annos Mundi juxta Græcorum putationes ſuam Chronographiam attexens.

				Interval.
Exodum refert anno M.	3816.	ante Chriſti Natalem	1685.	
Paſcha Ezechiæ A. M.	4766.	A. Ch. Nat.	735.	950
Paſcha Joſiæ A. M.	4871.	A. Ch. N.	630.	105
Paſcha Eſdræ A. M.	4998.	A. Ch. N.	502.	128
Chriſti Nat. A. M.	5500.	Ch. N.	o.	502
			Summa	1685

Card. Bellarminus, juxta vulgata Biblia computans Æram, Mundi à Deo conditi annos ita digeſſit in Tabulis, editis poſt ejus librum de Scriptoribus Eccleſiaſticis.

Paſcha Exodi Anno Mundi	2483.	Ante Chriſti Nat.	1500.	
Paſcha Ezechiæ A. M.	3238.	A. Ch. N.	745.	755
Paſcha Joſiæ A. M.	3342.	A. Ch. N.	641.	104
Paſcha Eſdræ, ſeu Darii VI. A. M.	3463.	A. Ch. N.	520.	121
Chriſti Æra vulg.	3983.		o.	520
			Summa	1500

Salianus ſtatuit.

Exodum Anno Mundi	2544.	A. Ch. Nat.	1509.	
Paſcha Ezechiæ A. M.	3309.	A. Ch. Nat.	744.	765
Paſcha Joſiæ A. M.	3412.	A. Ch. Nat.	641.	103
Paſcha Eſdræ A. M.	3538.	A. Ch. Nat.	515.	126
			o.	515
			Summa	1509

Petavius cum Periodo Juliana, & Mundi origine annos ita connectit.

Paſcha Exodi annis Per.Jul.	3183.Mundi 2453. Ante Ch. Ep.	1530.	
Paſcha Ezechiæ a. P.Jul.	3987.Mundi 3257.Ante Ch. Ep.	726.	804
Paſcha Joſiæ a. P.Jul.	4090.Mundi 3360. Ante Ch. Ep.	623.	103
Paſcha Eſdræ a. P. Jul. [ſiue anno VI. Darii]	4198.Mundi 3468. Ante Ch. Ep.	515.	108
Æra ChriſtiDionyſ.a.P.Jul.	4713.Mundi 3583.	o.	515
		Summa	1530

Torniellus ad Æram Orbis conditi refert, ut ſequitur

Paſcha Exodi Anno Mundi 2544.	ante Æram Ch. Dionyſ.	1507.	
Paſcha Ezechiæ anno Mundi 3308.	ante Æram Ch. Dionyſ.	743.	764
Paſcha Joſiæ anno Mundi 3412.	ante Æram Ch. Dionyſ.	639.	104
Paſcha Eſdræ anno Mundi 3537.	ante Æram Ch. Dionyſ.	514.	125
Æram Chriſti Dionyſianam anno Mundi 4051.		o.	514
		Summa	1507

Uſſerius Epochas ita conſtituit

			Inter-vallū.
Primi Paſchatis in Exodo anno Mundi 2513.	ante Ch.Ær.vulg.	1491.	
Paſchatis Ezechiæ anno primo, anno M. 3728.	ante Ch.Ær.vulg.	726.	765
Paſchatis Joſiæ anno XVII., anno M. 3381.	ante Ch.Ær.vulg.	623.	103
Paſchatis Eſdræ, Darii anno VI. an. M. 3489.	ante Ch. Ær.vulg.	515.	108
Æræ Dionyſianæ anno Mundi		o.	515
		Summa	1491

Calviſius eaſdem Æras in Chronologia ita conſignat

Exodum, ſeu primum Paſcha anno Mundi 2453.	ante Chr. Ep.	1497.	
Paſcha Ezechiæ anno primo, anno Mundi 3222.	ante Chr. Ep.	728.	769
Paſcha Joſiæ anno ejus XVIII., anno Mun. 3325.	ante Chr. Ep.	625.	103
Paſcha Eſdræ anno Darii VI., anno Mun. 3434.	ante Chr. Ep.	516.	109
Æram vulgarem Dionyſ., anno Mundi 3950.		o.	516
		Summa	1497

Lydiatus denique in Canonibus Chronicis colligit

Exodum anno Mundi 2504.	ante Chriſti Epocham	1502.	
Paſcha Ezechiæ anno Mundi 3278.	ante Chriſti Epocham	728.	774
Paſcha Joſiæ anno Mundi 3381.	ante Chriſti Epocham	615.	103
Paſcha Eſdræ, ſive Darii annum VI.an.M.3540.		466.	159
Æram Chriſti vulg. an. Mun.4006.		o.	466
		Summa	1502

His

His itaque ſententiis, & computis Chronologorum illuſtrium præmiſſis, age comparemus Hippolyti cellulas cum intervallis annorum. Si quæ Paſchata in eandem cellam ab Hippolyto conjiciuntur, ea diſtare neceſſe fuerit per ſolidam periodum annorum CXII., vel per plures, ſed ſolidas. Conjungunt cellæ hujus Canonis Paſcha Ezechiæ cum Paſchate Joſiæ in cellulis JUXTA DANIELEM: apponunt in reliquis hac nota deſtitutis. Diſtabunt itaque Paſchata ex Hippolyti ſententia, & Canone, annis CXII. vel CXIII. Ex antiquis Euſebius biennio prolixius intervallum aſſumit. Reliqui contrahunt hoc ſpatium annis, qui minimum ſeptenis, qui maximè novenis. Medio igitur loco verſatur inter diſcrepantes Chronologos S. Hippolytus.

Eodem indicio cellularum, ex Paſchate Eſdræ, quod ætate poſterius fuit, ſi retroceſſeris per cellulas Canonis, donec occurrat Paſcha Joſiæ, quod proximum eſt ex ſuperioribus à S. Scriptura recenſitis; neceſſariò affirmabis, intervallum ex Canone Hippolyti videri annorum CVIII. juxta Danielem. Syncellus amplificat, annos illi tribuens 128. * Claudius contrahit annos numerans XCV. Medio igitur loco eſt Canon Hippolyteus inter antiquos illos Chronographos. Medius quoque incedit etiam inter recentes. Vides enim ſpatium ab hiſce cellulis definitum annorum 108. ſtatui à Card. Bellarmino annorum 121., à Torniello 125., à Saliano 126., à Lydiato 159.: qui excedunt rationes Hippolyti; & è converſo putari à Petavio, & ab Uſſerio annorum 108., à Calviſio 109.: qui ab jiſdem rationibus deficiunt.

* Antiquus Chronographus apud Labbeum in Biblioth. M.S. tom. primo pag. 314.

Comparo, & aliud intervallum inter Exodum, & Ezechiam: quod cellulæ Hippolyti conſtituunt annorum 793., vel 791. ſi ad illas reſpiciam, in quibus legitur JUXTA DANIELEM. Syncellus è veteribus, ac è recentioribus Petavius hoc ſpatium augent. Reliqui imminuunt. Ubique igitur incedit medius Canon Hippolyti inter diverſas Chronologorum ſententias, & putationes.

Neminem itaque puto non conceſſurum, jure à nobis cenſeri inter uſus potiores iſtius prioris laterculi eum, qui reſpondeat titulo, exponenti, præteritorum Paſchatum certa tempora hìc eſſe conſignata; cùm videat ſingulorum intervalla tam aptè reſpondere Syſtemati Chronologico utiuſque Teſtamenti, juxta rationes veterum, ac recentiorum Auctorum, ex Divinæ Scripturæ Libris collectas.

Objecit Martyr doctiſſimus Lydium hunc lapidem Ethnicorum argutationibus, oſtendens uſum legitimum civilis Chronologiæ ad recolenda myſteria Veritatis, juxta quæ Cæli gloriam

riam Dei enarrantes in Moſis, Ezechiæ, Joſiæ, Eſdræ ſæculis tabulas veluti expanderant Dominici Paſchatis, propheticis typis toties adumbrati. Exemplum quoque poſteris comparabat, quo reparata per Chriſtum Dominum tempora in Paſchali myſterio ſanctè cuſtodirent: ea ſcilicet lege ſacrorum, qua cum Apoſtolo Paulo, & cum plurimis Patribus infra recenſendis in alio opuſculo, *De Nummo, & Gnomone Clementino*, patere poſſet, Aptata eſſe Sæcula Verbo Dei.

Mirabar, hujuſmodi computum, ſatis apertum, non occurriſſe tot egregiis Auctoribus, qui Canonem Paſchalem Hippolyti Martyris, utpote clavum, & cardinem totius Chronologiæ, adornarunt notis, & commentariis. Scriptor eruditiſſimus Carolus du Freſne Dominus du Cange in ea præfatione maximè commendata, quam præmiſit editioni Canonis Paſchalis, paucos ante annos typis regiis excuſi, poſtquam ſcitè adnotavit rationem duplicem *Paſchalium* conſcribendorum, *ſimplicem*, & *fuſiorem*, in utraque Hippolytum claruiſſe antiquorum teſtimoniis confirmat. Quemadmodum verò in breviori, & prima ratione, per tabulas ut plurimum concinnata, laborum Hippolyti teſtimonium producit hoc ipſo ex marmore; ita & fuſioris commentationis, ab eodem Martyre lucubratæ, fragmenta ab antiquis deſcripta adnotavit. *Primùm verò Hippolytum dicit ea ſcribendi ratione uſum: qua digeſtis à Mundo condito ad ſua uſque tempora elapſis annis ſedecennalis Cycli à ſe reperti in inveniendo Paſchate methodum firmaret, deſcriptis ſubinde, ut vero eſt ſimile, Paſchalibus feſtis Legalibus, & forte Chriſtianis. Quod quidem opus ad Alexandri Imperatoris tempora perduxit, ut ex Euſebii allato loco docemur, in quo temporum deſcriptionem expoſuit à Mundi conditu ad eundem Alexandrum, cui demum Canonem ſedecennalis Cycli præfixit: id enim indicare videtur vox* ϖροθής *Aliud autem fuere Hippolyti ratio Paſchæ temporumque Canones, uti appellantur ab Hieronymo, aliud Canon* ἑκκαιδεκαετηρίδος. Utriuſque commentationis teſtem ſtatuere poſſumus hunc ipſum lapidem: cujus in priori laterculo Chronologicam tabellam conſpicimus Paſchatum Veteris Teſtamenti, quam fuſiori deinde commentario putaverim cum D. du Cange fuiſſe ab Hippolyto illuſtratam, ut elenchus operum ibi appoſitus videtur oſtendere. In altero autem laterculo, de quo agendum erit ſequenti capite, Tabellam digeſtam autumo Paſchatum ſubſequentium poſt annum primum Severi Alexandri: cui explicandæ librum diverſum ab eodem Martyre conſcriptum fuiſſe ex Hieronymo, & Euſebio Freſneus rectè colle-

Pag. 10. Præf.

collegit. Rem totam multò præclarius aſſequtus videtur D. du Cange, quàm nuperus Auctor, ab eo commendatus, tomo II. Variorum Sacrorum: qui cum Hippolyti ſermonem, & operum indicem, ac Paſchale hoc laterculum illuſtret à pag. 930. ad 1122. *nomina Exodi, in Eremo, Jeſu, Ezechiæ, Joſiæ, Eſdræ, Geneſeos Chriſti, & Paſſionis Chriſti* ad ſtatas lectiones refert cum Scaligero: nulla idonea ratione prolata ejus diſtantiæ & harmoniæ, quam ſervant nomina in cellulis aſſignatis. Rectè quidem & ipſe refragatur Scaligero in emendatione ejus vocis IHCOVC, quæ nitidè ſculpta legitur cellulâ tertiâ columnæ tertiæ, & cellulâ ſeptimâ columnæ quartæ, additâ clauſulâ *juxta Danielem*. Rectè inquam judicat, referri oportere ad Jeſum filium Nave, hoc eſt ad Joſue. Sed operam ludit, cùm de ejus lectione, nec non de lectionibus Eſdræ corruptis aliqua ibi recenſet pag. 950. Numerare enim poterat ſpatia 41. ab *Exodo juxta Danielem* ad *Jeſum* (hoc eſt Joſue Paſcha) *juxta Danielem*: prout etiam 42. ſpatia colliguntur, ſi in voce *Exodos* expreſſa in cellula 10. columnæ poſtremæ numerentur ſeptem illa, quæ ſuperſunt ad finem Tabulæ, & his adiiciantur 35. ſpatia, quæ repetentibus initium Cycli pervadenda ſunt, quouſque pertingatur ad vocem *Jeſus* in tertia cellula columnæ tertiæ: quemadmodum duo ſpatia ſemper occurrunt ab *Exodo* ad Paſcha *in eremo, tam juxta Danielem*, quàm ſine hoc additamento, propter biennium interpoſitum inter Paſcha primò inſtitutum in Exitu ab Ægypto, & Paſcha juſſu Dei celebratum *in deſerto*, de quo Liber Numerorum capite IX. Verùm de his ſatis. Id unum tamen prætcrire non poſſum, quod in hac Tabula occurrit circa lemma illud *Geneſis Chriſti*. Quæri enim poteſt, cur in Paſchali Chronologia memoret potiùs Hippolytus *Geneſim* Chriſti, quàm *Nativitatem*? Facilis verò habebitur dubii ſolutio, ſi attendamus, ſpatio menſis Paſchalis peractam fuiſſe *Dominicam Incarnationem*; extra Paſchale tempus contigiſſe *Nativitatem*. Neque enim audiendi ſunt, qui cum R. P. Harduino ſtatuebant, Septembri menſe in lucem editum Redemptorem; EX ANTIQVA enim TRADITIONE, à Patribus diſertè memorata, & ex clariſſimis indiciis, Dominici Natalis diem menſe Decembri cognitum fuiſſe, in Eccleſia præſertim Romana, docuit ſæpe commendatus Illuſtriſſimus Epiſcopus Hadrienſis in Mon. Vet. Antii. Cùm igitur Martyr Hippolytus Paſchales Epochas hoc in laterculo conſignaret, conſultò elegit Incarnationem Verbi recenſere, quæ ipſâ Lunâ Paſchali jam accenſâ contigit, juxta hujus Canonis Chronologiam; cùm referatur (ut ex cellula-

rum numero conſtat) ad annum 222. ante initium Severi Alexandri, deducto ſcilicet biennio ex duplici periodo ſolida annorum CXII., ut ex ipſo Tabulæ conſpectu pridem cognoverunt Auctores eruditi: qui etiam notant, ex hoc ſyſtemate Chriſti Domini Paſſionem referri ad vulgaris Æræ Dionyſianæ annum XXIX. duobus Geminis Coſs. ſuffragantibus pleriſque ex Patribus, præſertim vetuſtioribus.

5 Compendio igitur eleganti complectitur S. Hippolytus hac in Periodo Chronologiam utriuſque ætatis, ante, ac poſt Chriſti Domini adventum, ex certa diſpoſitione heccædecaeteridum ſeptem per totidem columnas: quas P. Bucherius cenſebat contrahi poſſe ad numerum cellularum duplo minorem, nihil perturbato Feriarum ordine; cùm bis in Cyclo annorum CXII. eadem ſeries, ſive apocataſtaſis Feriarum inſtauretur. Verùm decurtatio Bucheriana non ita bellè exhibuiſſet Chronologiam Sæculorum, neceſſariò expandendam in ſeptem Cyclos, conſtantes annis CXII., potiùs quàm in periodos XIV. annorum LVI., ut nempe compertum foret, priori numero annorum 112. reſtitui motus Luniſolares octiduo citiùs in Kalendario Juliano, & Ferias retrahi unico gradu in hebdomada: quæ duo in minori numero annorum LVI. copulari minimè poterant. Unde multò difficilior extitiſſet comparatio anni Juliani cum Lunaribus Hebræorum, quæ ad Paſchatis Chriſtiani computum, & ad veteris teſtamenti Chronologiam digerendam, tanto cum eruditionis compendio ab eodem Hippolyto ſapienter hìc adhibetur, & ordinatur. Præterea concideret ratio Cycli, cauſſa emboliſmorum, ut infra oſtendam, ſi decurtaretur.

Dolendum quidem eſt, Sancti Martyris commentarium fuſiorem periiſſe, quem D. Du Cange ſummoperè optandum ex ejuſdem ſpecimine demonſtravit. Illius enim ductu reliqua nitidè aſſequeremur, quæ de uſu Canonis dicenda forent. Obverſantur quidem animo nonnulla ſyſtemata ad praxim Canonis accommodata. Verùm ne longiùs protraham diſſertationem, unica ſectione iſtius capitis, huic veſtigationi deputata, finem quærendi faciam.

6 Scitè obſervabat P. Bucherius, annis Julianis ſolidis CXII. (quod ſpatium habendum eſſe diximus Periodum minorem) Synodos Luminarium reſtitui non poſſe ex legibus mediorum motuum. Hoc enim intervallo jam oſtendi cap. præcedenti, phaſes Lunares neque congruere cum ſtata die anni Juliani, neque cum eadem hebdomadæ Feria. Cùm verò Bucherius obſervaret, in expanſione annorum CXII., de qua capite proximo agendum erit, rationes Lunæ luxari per biduum; opi-

opinabatur Hippolytum, facilitatis deſiderio deceptum, conſtituiſſe, ut poſt annos centenos ac duodenos eadem omninò dies anni Juliani in orbem referret Paſcha Chriſtianum, neglectâ Lunaris motus diſcrepantiâ, fortaſſe quòd S. Hippolytus exiguam eandem arbitraretur. Idem P. Bucherius adnotavit cum Scaligero, complures numeros Canonis Hippolytei, qui expanduntur in ſequenti laterculo, mendosè ſculptos evidenter cognoſci ex comparatione cum alio laterculo quem pertractamus. Præter Bucherii cenſuram, non defuit ſuſpicio præcedentis emendationis ipſi marmori adhibitæ paullò poſt, quàm fuerat è ſolo eductum. Unus enim ex codicibus Altæmpſianis, quem translatum cum reliquis in Bibliothecam Otthobonianam præ manibus habeo, Eminentiſſimo Moecenate indulgente, codex inquam illa ætate, qua lapis effoſſus fuerat, compoſitus, ac ſubſignatus à Joanne Criſpo, & ab Horatio ejus filio, Vaticanæ Bibliothecæ Scriptoribus, hujuſmodi obſervationes continet, quas Italicè dabo, prout extant in autographo; ne quidquam immutaſſe redarguar, dum aliorum caſtigationes inofficioſas (fortaſſis etiam imperitas) accuſo.

Errori della Tavola Domenicale.

Si ritrovano ancora nella Tavola Domenicale alcuni errori, quali con ſtudio, e diligenza grande ſi ſono ſuperati, & annotati in margine con lettere roſſe, ſe bene è credibile, che non ſiano errori dell'Auttore, mà degli inciſori delle Tavole; e li detti errori accommodati per annotationi, come devono ſtare, ſono queſti, cioè

Nella terza colonna, ò vero appoſitione alla 16. linea dove dice IX. Kal. Ap. deve dire V. Kal. Aprilis

Nella quarta colonna ò vero appoſizione alla 7. linea dove dice V. Kal. Aprilis deve dire V. Idus Aprilis

Nell'iſteſſa colonna alla 12. linea dove dice XV. Kal. Apr. deve dire XV. Kal. Majas

Nella quinta colonna alla 9. linea dove dice XVII. Kal. Aprilis deve dire XVII. Kal. Majas

Nella ſeſta colonna alla 8. linea dove dice VI. Idus Aprilis deve dire VI. Kal. Aprilis

Nell'iſteſſa colonna alla 14. linea dove dice VIII. Kal. Aprilis deve dire XIII. Kal. Aprilis

Nell'iſteſſa colonna alla 15. linea dove dice III. Idus Apr. deve dire VI. Idus Aprilis

Errori

Errori della Tavola Legale.

Si trova nella Tavola Legale un'errore, quale chiaramente ſi cognoſce eſſer errore, e con ſtudio, e diligenza ſi è corretto, e ſi è calculato, e fatto corriſpondere con tutti li ſuoi ſette riſcontri, quale è queſto, cioè. Dove nella quarta linea dice

xv. Idus Aprilis, deve dire v. Idus Aprilis, perche à dire xv. Idus è falſiſſimo, poiche nelli meſi non ſi trovano più che otto Idi.

De erroribus, utrique Tabulæ attributis, litem differo in caput proximum. Negotium modò faceſſam indicatis caſtigationibus. Conſultò enim contuli Tabulam à Grutero, & Bucherio editam cum prototypo marmoreo, ut conſtaret, num emendationes illatæ fuiſſent in exempla tantummodo, an etiam in ipſum exemplar. Experimento autem didici vitiatos non eſſe, ſive correctos, characteres aliquos in exemplari, quos corrigendos cenſebant Joannes, & Horatius Criſpi: de aliis autem locis paululum dubitavi; cùm ad eorum præſcriptum modò legantur, præcipuè verò quæ in quarta columna indicantur lin.7. & 12.; in columna v. lin.9.; in columna vi. lin.14. & 15.; nam his in locis lapis modò legitur, qualem exhibui poſt caput ſecundum hujus diſſertationis Græcè, unde etiam latinam verſionem talem reddidi, qualis reſpondet characteribus Græcis nunc apparentibus. Verùm illa de lapide dum ſcribebant caſtigatores antea memorati, Vaticanæ Bibliothecæ adminiſtri, perſpicuè videntur affirmare, aliter à ſe fuiſſe lectas illas præſertim literas, quæ *Tabulam Dominicalem* compingunt.

Unicus error, qui *in Tabula Legali* obſervabatur, diligentia, & ſolertia diuturna, ut ipſi correctores affirmant, ſublatus eſt: & pertinet ad columnam, in qua dies adnotantur anni Juliani. In marmore tamen nullum videtur extitiſſe hoc loco certum vitium; cùm literæ I. ante E. veſtigium ita exiguum ſuperſit, ut potiùs videri poſſit vulnus temerè inflictum marmori à ferro foſſorum, in illud fortuitò impacto, quàm litera conſultò inciſa.

Vitium itaque ſi quod fuit, ad illas columnas pertinuit, quæ anni Romani dies nuncupant, in alio præſertim laterculo Paſchatum Dominicalium. Cellulæ autem, quæ literis ſeptem invicem ordinatis inſculptæ ſunt, cùm nullius manum medicam fuerint expertæ, ſinceriores mihi videntur Hippolytei canonis indices: cujus propterea integrum Syſtema ex mea ſententia nunc aperiam.

Dico

Dico itaque primo hiſce literis ſeptem A B C D E F G, per totidem columnas ſedecennales ita diſtributis, exhiberi ſummam annorum 112.: quam antea dixi Periodum minorem. Præponitur verò columna ex parte læva, in qua notantur anni emboliſmici, qui ſunt in ſingulis heccædecaeteridibus. 1. 4. 7. 9. 12. 15., ut indicant literæ E M B illis appoſitæ. Regula Prima.

Dico ſecundo, ſeptem hiſce literis, ſe invicem conſequentibus certa implexione in qualibet columna, deſignari Feriam XIV. Lunæ ad annos ſingulos cujuſcumque heccædecaeteridis proximè futuros, ſi ordine deſcendatur per columnam, donec occurrant duo emboliſmi: tunc enim oportet in præcedentem columnam tranſilire: idque bis occurret per ſingulas ſedecennales columnas. Exemplum ſit in prima heccædecaeteride. Regula Secunda.

Annus primus Severi Alex. primus Cycli, qui eſt Chriſtianæ Epochæ 222. ducitur ex Columna prima.

		Anni Enneadec.	Anni Æræ Chriſti vulg.		Feria Quartædecimæ Cyclaris.	
	EMB	1.	222.		G VII.	ex Columna I.
		2.	223.		D IV.	
		3. Biſſext.	224.		A I.	
	1 EMB	4.	225.		G VII.	
		5.	226.		D IV.	
		6.	227.		A I.	
Secundus Embol.	2 EMB	7. Biſſext. Fit	228.	tranſitus	A I.	ex Columna I. in præ-
		8.	229.		E V.	cedentem VII.
	1 EMB	9.	230.		D IV.	
		10.	231.		A I.	
		11. Biſſext.	232.		E V.	
Secundus Embol.	2 EMB	12. Fit tranſi-	233.	tus in	E V.	Columnam VI.
		13.	234.		B II.	
		14.	235.		F VI.	
	1 EMB	15. Biſſext.	236.		E V.	
		16.	237.		B II.	

Ut experimento declaretur, quàm rectè conſonet cum Lunæ motibus mediis hujuſmodi deſignatio feriarum ex Cyclo ita explicato, propono in Tabella 16. Plenilunia Paſchalia eorundem annorum in diei civilis numero, & hora, congruenta cum iis, quæ ex anno 1710. in ſubſequentes obſervabimus: unico verò numero diſſident iſta in ordine Feriarum à præteritis ſub Alexandro, quæ ita colliguntur juxta ritum Latinum illorum temporum.

Annus

Annus Æræ Chriſti		*Plenil. med.* D		*H.*	*M. p.m.*	*Feria Plenilunii*	*Feria* XIV. *ex Cyclo Hipp. correctis numeris per alternos emboliſmos.*
Emb.	222.	April.	13.	6.	30.	Feria VII. ———	VII. Feria XIV.
	223.	April.	2.	15.	18.	IV. V.———	IV.
	224.	Mart.	22.	0.	7.	II. ———	I.
Emb.	225.	Ap.	9.	21.	40.	VII. ———	VII.
	226.	M.	30.	6.	29.	V. ———	IV.
	227.	M.	19.	15.	17.	II. ———	I.
Emb.	228.	A.	6.	12.	49.	I. II. ———	I. Tranſit. in Co-
	229.	M.	26.	21.	37.	V. VI. ———	V. lumn. 7. præ-
Emb.	230.	A.	14.	19.	10.	IV. V.———	IV. cedentem.
	231.	A.	4.	3.	58.	II. ———	I.
	232.	M.	23.	12.	47.	VI. VII. ———	V.
Emb.	233.	A.	11.	10.	20.	V.———	V. Tranſit. in Co-
	234.	M.	31.	19.	9.	II. III. ———	II. lumnam 6.
	235.	M.	21.	3.	55.	VII.———	VI.
Emb.	236.	A.	8.	1.	30.	VI. ———	V.
	237.	M.	28.	10.	19.	III. ———	II.
	238.	M.	17.	19.	7.	VII.———	VI.

Ubi Luna XIV. excedit terminum Æquinoctii adhibetur ſubſequens Luna.

Finis primæ heccædecaeteridis.

Dico tertio, poſt primam heccædecaeteridem ritè proceſſuram ſecundam, ſi literæ indicaturæ feriam Lunæ Quartædecimæ ſumantur in columna proxima ante illam, quæ præcedit jam aſſumptam: hoc eſt ſi columnæ ſumantur alternis ordine retrogrado, nempe 1. 6. 4. 2. 7. 5. 3.

Erit igitur ex hac regula facilis diſpoſitio ſeptem heccædecaeteridum quæ conſtituent unam Periodum minorem; ſi propoſitis columnis ſeptem, quibus conſtat integrum ſyſtema Cycli, ordine quo inſtituimus ſedecennium primæ columnæ per regulam ſecundam earundem literas digeramus. Facilè expanditur Tabula ex columna prima cum litere 7. conſequantur ordine retrogrado G F E &c.

Numerus

Numerus columnarum heccædecaeteridis anni.

	1	2	3	4	5	6	7
1	G	F	E	D	C	B	A
2	D	C	B	A	G	F	E
3	A	G	F	E	D	C	B
4	G	F	E	D	C	B	A
5	D	C	B	A	G	F	E
6	A	G	F	E	D	C	B
* 7	G	F	E	D	C	B	A
8	D	C	B	A	G	F	E
9	C	B	A	G	F	E	D
10	G	F	E	D	C	B	A
11	D	C	B	A	G	F	E
* 12	C	B	A	G	F	E	D
13	G	F	E	D	C	B	A
14	D	C	B	A	G	F	E
15	C	B	A	G	F	E	D
16	G	F	E	D	C	B	A

* anno 7. mutatur litera propter duos embol.

* anno 12. mutatur litera propter duos embl.

Si cui ergo libeat primam Periodum minorem annorum CXII. expandere ex illis ſeptem, quibus conſtituitur Periodus Major annorum 784. aſſumat columnas ordine quo indicavi, reſiliendo in alternas modo etiam tranſiliat in præcedentes annis 7. & 12. propter emboliſmum duplicem congruis locis. Hæc verò ſeries columnarum prodibit 1. 6. 4. 2. 7. 5. 3.

Periodus prima ex VII. minoribus ab anno Chriſti 222. ad 334.

Periodi minoris anni.		1		6		4		2		7		5		3
	1	G	17	B	33	D	49	F	65	A	81	C	97	E
	2	D	18	F	34	A	50	C	66	E	82	G	98	B
	3	A	19	C	35	E	51	G	67	B	83	D	99	F
	4	G	20	B	36	D	52	F	68	A	84	C	100	E
	5	D	21	F	37	A	53	C	69	E	85	G	101	B
	6	A	22	C	38	E	54	G	70	B	86	D	102	F
	7	A	23	C	39	E	55	G	71	B	87	D	103	F
	8	E	24	G	40	B	56	D	72	F	88	A	104	C
	9	D	25	F	41	A	57	C	73	E	89	G	105	B
	10	A	26	C	42	E	58	G	74	B	90	D	106	F
	11	E	27	G	43	B	59	D	75	F	91	A	107	C
	12	E	28	G	44	B	60	D	76	F	92	A	108	C
	13	B	29	D	45	F	61	A	77	C	93	E	109	G
	14	F	30	A	46	C	62	E	78	G	94	B	110	D
	15	E	31	G	47	B	63	D	79	F	95	A	111	C
	16	B	32	D	48	F	64	A	80	C	96	E	112	G

Ab hoc exemplo efformabit integram Periodum majorem, ſi ſeptem minoribus, quæ illam componunt, columnas; ac cellas attribuat proximè quidem digeſtas, ſed ordine, quem adſcribo

		Periodi min. ſeptē	Prima habet columnas
Incipit Anno Chriſti	222.	Prima	1. 6. 4. 2. 7. 5. 3.
	334.	Secunda	2. 7. 5. 3. 1. 6. 4.
Periodus major	446.	Tertia	3. 1. 6. 4. 2. 7. 5.
Prima ad annos	558.	Quarta	5. 3. 1. 6. 4. 2. 7.
Ærę Chriſti ab	670.	Quinta	6. 4. 2. 7. 5. 3. 1.
Epocha Sancti	782.	Sexta	7. 5. 3. 1. 6. 4. 2.
Hippoliti.	894.	Septima	2. 7. 5. 3. 1. 6. 4.

Secunda Periodus Major ex ſeptem minoribus pariter componetur hoc ordine

		Periodi min. ſeptē	Columnæ aſſumendæ
Incipit Chriſti Anno	1006.	Prima	3. 1. 6. 4. 2. 7. 5.
	1178.	Secunda	4. 2. 7. 5. 3. 1. 6.
Periodus ſecunda	1230.	Tertia	5. 3. 1. 6. 4. 2. 7.
maj. in Epocha	1342.	Quarta	7. 5. 3. 1. 6. 4. 2.
Chriſti Domini	1454.	Quinta	1. 6. 4. 2. 7. 5. 3.
poſt S. Hippoly-	1566.	Sexta	2. 7. 5. 3. 1. 6. 4.
tum.	1678.	Septima	4. 2. 7. 5. 3. 1. 6.

Periodi, quas retuli, ſequuntur poſt Epocham Severi Alexandri, à S. Hippolyto aſſumptam, ut numeri initiales docent. Si quis regredi velit in ſæcula præcedentia ante Sev. Alexandrum; proximam Periodum Majorem ante ejuſdem Imperium ita diſponet, initio facto ab anno 784. ante illum Principem, nempe ab anno ante vulgarem Chriſti Epocham 563.

Ab anno ante Æram Chriſti Dionyſianam 563. ad ejuſdem Æræ annum 222. primum Severi Alexandri.

	Incipit Anno ante Æram Chriſti vulgarem.	563.	Prima	6. 4. 2. 7. 5. 3. 1.
		451.	Secunda	7. 5. 3. 1. 6. 4. 2.
Prima Periodus		339.	Tertia	1. 6. 4. 2. 7. 5. 3.
Major ante E-		227.	Quarta	3. 1. 6. 4. 2. 7. 5.
pocham Chri-		115.	Quinta	4. 2. 7. 5. 3. 1. 6.
ſti Domini.		3.	Sexta	5. 3. 1. 6. 4. 2. 7.
	Anno poſt Chr.	110.	Septima	7. 5. 3. 1. 6. 4. 2.

Proximè

Proximè ſuperior Periodus major, quæ hanc præcedit, his numeris conſtat ab anno ante Æram Chriſti 1347. ad annum 563. ante Chriſtum Dominum.

Ante Æram Dionyſianam.

	Anno 1347.	Periodi min. ſeptē	Prima	4.	2.	7.	5.	3.	1.	6.
Secunda Periodus	1235.		Secunda	5.	3.	1.	6.	4.	2.	7.
Major ante Epo-	1123.		Tertia	6.	4.	2.	7.	5.	3.	1.
cham Chriſti Do-	1011.		Quarta	1.	6.	4.	2.	7.	5.	3.
mini.	899.		Quinta	2.	7.	5.	3.	1.	6.	4.
	787.		Sexta	3.	1.	6.	4.	2.	7.	5.
	675.		Septima	5.	3.	1.	6.	4.	2.	7.

Denique ſi adjicere velimus & tertiam Periodum Majorem ante Epocham Alexandri, ut poſſit Cyclus omnes annos complecti à Moyſe ad Chriſtum Dominum, in Hippolyti Canone prænotatos, ita ordinabitur ab anno 2131. ad 1347. ante Æram Dionyſianam.

Ante Æram Dionyſianam.

	Anno 2131.	Periodi min. ſeptē	Prima	2.	7.	5.	3.	1.	6.	4.
Tertia Periodus	2019.		Secunda	3.	1.	6.	4.	2.	7.	5.
Major ante E-	1907.		Tertia	4.	2.	7.	5.	3.	1.	6.
pocham Chri-	1795.		Quarta	6.	4.	2.	7.	5.	3.	1.
ſti Domini.	1683.		Quinta	7.	5.	3.	1.	6.	4.	2.
	1571.		Sexta	1.	6.	4.	2.	7.	5.	3.
	1459.		Septima	3.	1.	6.	4.	2.	7.	5.

Ut verò uſus harum expanſionum illicò appareat, tradendus eſt modus, quo poſſit cujuſcumque Paſchatis præcedentis in illa annorum ſerie Feria cognoſci ex iſta diſpoſitione. Exodus juxta Danielem ex Hippolyti Chronologia cadebat in annum ante vulgarem Chriſti Epocham 1557. Ex anno principe utriuſque lineæ ſextæ, ac ſeptimæ in hac tertia Periodo Majori ante Epocham Chriſti, quam poſtremo loco deſcripſimus, vides annum 1557. pertinere ad ſpatium ſextæ Periodi minoris. Cùm verò numerus 1557. non deficiat 16. unitatibus ab anno principe totius Periodi neceſſe eſt in prima heccædecaeteride ejus cellulam reperiri. Pertinet igitur ad primam columnam quæ ibi notatur numero I. Videtur ab Hippolyto conſignatum cella 15.: cui aſſignata eſt litera C., ſed ob duplicem emboliſmum promovetur in literam E. hoc eſt in Feriam v., ut habes in Tabella regulari

omnium Periodorum. Aſſero itaque Paſcha Exodi ex Chronologica hac putatione, quam Hippolytus dicit juxta Danielem, incidiſſe in Feriam v. Juxta alium computum ab Hippolyto conſtitutum annorum 1578. vides Paſcha ſpectare ad heccædecaeteridem poſtremam lineæ quintæ ejuſdem Periodi majoris cella x. ejus columnæ, quæ notatur numero 2. Vides ibi occurrere literam G in cella decima, quę index eſt feriæ vii. Ex hoc igitur calculo, & Cyclo Paſcha exodi pertinet ad Feriam vii. ſive Sabbatum.

E contra ſi ad noſtra tempora deſcendamus per expanſiones poſt Æram Hippolyti, talis erit comparatio. Vides lineam ſeptimam Periodi ſecundæ majoris poſt S. Hippolytum incidiſſe in annum Chriſti Dionyſianum 1678. cui debetur columna quarta. Hæc verò in regulari Tabella quæ ſupra expanſa fuit pag. 119. aſſignat eidem anno literam D indicem Feriæ iv. Aſſero igitur, diem quartam decimam Paſchalis Lunæ eodem anno contigiſſe Feria iv. Conſule Ephemerides. Videbis Plenilunium verum contigiſſe die Aſtromica 6. Aprilis hor. 16. poſt meridiem, hoc eſt die Eccleſiaſtica 7. Aprilis hor. 4. poſt mediam noctem, unde cœperat Feria v. Quare tempus quartædecimæ erat Feria iv. proximè præcedens. Anno proximè ſubſequenti 1679. columna Cycli Hippolytei aſſignat quartædecimæ literam A, indicem diei Dominicæ, ſeu Feriæ I. Vides ex Ephem. Plenilun. verum contigiſſe die 27. Martii Gregoriani horis 5. ante meridiem Feriæ ii. quare dies xiv. abſolvebatur in meridie diei Dominicæ proximæ pręcedentis. Idipſum provenit ex mediis motibus: ex quibus Plenilunium medium cùm incidat in mediam noctem, quæ dirimit Dominicam à Feria prima; Luna quarta decima ſpectat ad diem Dominicam, uti ex litera Cycli proveniebat.

Quod itaque pertinet ad Ferias Paſchatis legalis, ſive quartædecimæ diei Lunæ ex Hippolyti Cyclo indicandas, omnium ferme Paſchatum teſtimonio probari poſſe arbitror ejuſdem concinnitatem. Petitur enim litera indicans Feriam à columnis nulla ſuſpicione vitii laborantibus, & à S. Martyre rectè diſpoſitis. Secùs evênit in columna indicante diem anni Juliani, quam aberrare video per biduum brevi ſpatio unius heccædecaeteridis: propterea quod non imputet dies alternis emboliſmicis inſerendos. Vix itaque crediderim, vivente Hippolyto eoſdem numeros fuiſſe inciſos, aut ab ipſo Martyre expanſos. Suſpicor potiùs, adjectos fuiſſe ab aliquo ejuſdem Hippolyti auditore, qui ſatis aſſequutus non fuerit ſyſtema Cycli. Nam ſi attendiſſet quot feriis promoveant ſyzygias & dies Lunares tum anni emboliſmici, tum biſſextiles;

ut

ut à me fuſiùs exponitur in Parergo poſt pag. 145. cognoviſſet Hippolyti literas rectè diſpoſitas à doctiſſimo Auctore ita eſſe petendas, ut ſingulis octaeteridibus in columnam præcedentem gradu uno retraherentur: uti nos præſtitimus in expãſione Tabellæ regularis, paullò ante propoſitæ pag. 119. Vidiſſet etiam facili negocio, potuiſſe diem Paſchatis conſignari per unicam vel plures Periodos, tum majores, tum minores, ſi adhibita hac animadverſione expandiſſet primum laterculum quartædecimæ cum die anni Juliani, ordine non diſſimili ab eo, quem adhibuit in prima heccædecaeteride, ſervatis tamen regulis emboliſmi, quas neglexit: ex quo deinde colligere potuiſſet alterum laterculum Paſchatis Dominicalis: quem pariter ab Hippolyti ſcriptis minùs probè perceptis vitiosè digeſtum fuiſſe videbimus capite ſubſequenti. Ut verò ſemel expanſa eſſet Periodus minor annorum CXII. tum in laterculo quartædecimæ, ſeù Paſchatis legalis, tum in laterculo Paſchatis Dominicalis more Chriſtiano, extendi etiam poterat non difficulter expanſio Periodi majoris, & maximæ, iiſdem regulis obſervatis. Nam ſubſidio Kalendarii Juliani, in quo poſt annos CXII. retrahi vidimus Novilunia ad octiduum proximum, & ad eandem literam Ogdoadis præcedentis, vel conſequentis, traduci poteſt exemplum unius Periodi majoris ad alias quotcumque libuerit; dummodo habeatur ratio termini Æquinoctiorum, ne à primo menſe Paſcha ſubmoveatur. Hæc omnia crediderim ab Hippolyto fuiſſe digeſta in commentario, cujus titulus in baſi ſuperſtes legitur DEMONSTRATIO TEMPORUM PASCHAE QUEMADMODUM IN TABULA. Verùm excidit liber, ſive temporum incuriâ deperditus, ſive incendio abſumptus, quod immanis illa perſequutio Diocletiani, & Maximiani excitavit annis circiter LXX. poſt Hippolyti martyrium, & XL. poſt coronam Cypriani, quando edictum à duobus Auguſtis promulgatum fuit de Sacrorum Librorum conflagratione, ut in medio foro ſuccederentur; de quo Card. Baronius ad annum Chriſti 302. num. XIII. & ſequentibus agit ex lib. 8. cap. 2. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Euſebii, tunc inter vivos agentis, nec non ex S. Auguſtino lib. 7. de Baptiſmo cap. 2., & ex Arnobio adverſ. Gent. lib. 4. in fine. Tum verò, ut à Lactantio teſte ſynchrono accepimus, in lib. de mortibus perſecutorum cap. XXII. internecinum illud bellum præclaris artibus indictum fuit. *Literæ autem inter malas artes habitæ; & qui eas noverant pro inimicis hoſtibuſque protriti, & execrati.* Sive igitur in hac ferali perſecutione concremati fuerint unà cum ſacris codicibus Hippolyti Canones Paſchales fuſiori com-

mentario explicati , ſive etiam priùs intercidiſſent , vexantibus Eccleſiam Decio , Valeriano , Aureliano , aliiſve Principibus , aut Præfectis ; ſuperſtes hæc Tabula marmorea, publici naufragii reliquia , ut in manus nec barbaras nec ſatis cultas inciderit , explicationem paullò diverſam ab Auctoris conſilio nacta eſſe videtur . Nam Cyclus, qui ſatis exactus ad plura ſaltem ſæcula ex unica literarum Tabella colligitur , & uſum habet maximè expeditum , ſi cum Julianis literis Hippolyteæ conferantur , vitioſis admodum numeris luxatus fuit , tum in heccædecateride prima hujus laterculi , tum in reliquis laterculi ſecundi , ut omnes Auctores animadvertunt , Bucherius , Petavius , Scaliger , & Gruterus . Ad legitimos autem numeros reducetur, ſi alternis emboliſmis , ut monui ſupra , retrocedatur in cellulas columnæ proximè præcedentis : quod facilè oſtendam in annexa Tabula .

Anni primæ heccædecaeteridis.

	Ferię nõ correctę	*Dies* XIV. ☾	*Literæ Dom. S. Hippol.*	*Feriæ correctæ ex embol.*	*Dies* XIV.	*Litera Cycli Cęſaris.*
1	VII.	13.Apr.	f	VII.	13. A.	G
2	IV.	2.Apr.	e	IV.	2. A.	D
3	I.	21. M.	d c	I.	21. M.	H
4	VII.	9. A.	b	VII.	9. A.	C
5	IV.	29. M.	a	IV.	29. M.	H
6	I.	18. M.	g	I.	18. M.	E
7	VII.	5. A.	f e	I.	6. A.	H
8	IV.	25. M.	d	V.	26. M.	E
9	III.	13. A.	c	IV.	14. A.	H
10	VII.	2. A.	b	I.	3. A.	E
11	IV.	21. M.	a g	V.	22. M.	A
12	III.	9. A.	f	V.	11. A.	E
13	VII.	23. M.	e	II.	31. M.	B
14	IV.	18. M.	d	VI.	20. M.	G
15	III.	5 A.	c b	V.	7. A.	H
16	VII.	25. M.	a	II.	27. M.	F

Ex hac prima heccædecaeteride, ad legitimos numeros redacta, norma petetur ad diſponendas reliquas ſex , cum quibus conſtituit Periodum Majorem, antea definitam. Dico autem, inde ordinari facillimè Paſchata,ſi unica regula obſervetur nempe: Dominica dies proxima poſt XIV. eſto Paſchalis . Ætate S. Hippolyti Paſchalis erat tantummodo Alexandrinis . Verùm Latini, qui tridui ſpatio ſejungendum eſſe decreverant Paſcha

Paſſio-

Paſſionis à Paſchate Reſurrectionis, differri conſtituerant in ſequentem Dominicam, etiamſi XIV. in Sabbatum incidiſſet: licet acceſſerint poſtea regulis Alexandrinis, & XIV. in Sabbatum incidente, poſtridie ejus Sabbati Paſcha celebraverint, prout etiam Gregorianis legibus ſancitum fuit. Regula igitur erit, ut reperta ſemel die quartædecimæ, ejuſque Feria, numeremus dies qui ſuperſunt, ut occurrat Dominica proxima poſt XIV.

Anno primo hujus Cycli Feria XIV. eſt Sabbatum 13. Aprilis. Stylo nunc recepto dies proxima haberetur Paſcha: quod ſtylo veteri Latinorum protrahebatur ad XXI., ut in Tabella ſervatum cernimus.

Anno 8. Feria decimæquartæ in numeris non correctis habetur IV. dies verò 25. Martii. At in correctis erit Feria V. dies verò 26. Martii, propter Emboliſmum alterum eo anno inſertum. Attamen Paſcha non diſcrepat, quia inde diſtat pluſquam triduo. Habetur verò die 29. Martii.

Anno 9. Feria XIV. in numeris non correctis eſt III. die 13. Aprilis; in correctis eſt IV. die 14. Aprilis. Paſcha utrobique indicatur ad diem 18., quæ diſtat pluſquam tridui intervallo à quartadecima.

Anno 10. Feria decimæquartæ eſt VII. dies vero Aprilis 2. Secus in correctis numeris, qui eandem exhibent Feria I., Aprilis die tertia.

Anno 12. bidui diſcrimen jam intercedit inter numeros, & Ferias quartædecimæ vitioſæ à correcta per emboliſmos. Illa pertinet ad 9. Aprilis Feria III., hæc ad II. Aprilis Feria V.

Si extendantur anni qui ſuperſunt ad 112. Periodi minoris; dico conſultum fore toti Periodo majori annorum 784. Cùm enim per unamquamque Periodum minorem ex regulis præcedentibus retrocedant Syzygiæ per octiduum ad caput anni, & per unicam feriam promoveantur in hebdomada; habebitur dies menſis, & Feria hebdomadæ, in quam cadit decimaquarta. Subſequens autem Dominica, quam prodit Feria jam nota, deſignabit Paſcha Chriſtianum. Octiduum præcedens dabitur vel à Cæſaris litera ſimili in Ogdoade præcedenti, vel à facili numeratione, quæ in digitos duci
* poteſt. * Id unum eſt obſervandum, ut quoties octidui ratio ultra terminos Paſchales promoverit Lunam, ſubſequens Lunatio aſſumatur, inſertâ Lunatione plena dierum triginta, & promotâ per duplicem gradum hebdomadæ Feriâ; cùm unitatibus totidem numerus dierum 30. Lunationis plenæ ſuperet numerum 28. ſeu 4. hebdomadas. Exemplo res fiet manife-

ſta, ſi ex annis jam deſignatis primæ heccædecaeteridis Periodi primæ procedamus ad ſubſequentium veſtigationem.

Anno primo Sev. Alexandri, Epochæ Chriſti 222. eſt initium Cycli, & primæ Periodi. Poſt annos CXII. nempe anno Chriſti 334. eſt init. ſecundæ Periodi. Anno Chriſti 446. incipit Periodus tertia.

Anno primo Periodi primæ litera G Cycli Hippolytei indicabat quartamdecimam Feria VII. die 13. Aprilis. Litera Cæſaris G dabit Lunam quartamdecimam eadem die, ſi literæ Cæſaris aſſumantur ut indices decimæquartæ, potius quàm Novilunii.

Anno primo Periodi tertiæ retroceſſerit ex regula octidui per duplicem Ogdoadem Lunæ Syzygia, ac XIV., & promota ſimul fuerit per duplicem Feriam. Erit itaque quartadecima Luna die 28. Martii, ubi occurrit litera Cæſaris G: & Feria VII. mutabitur in Feriam II. Quare Paſcha indicetur Dominicâ proximâ, hoc eſt die 3. Aprilis.

Faciliùs etiam inventum foret Paſcha ſi conferremus literas Cycli Cæſaris cum literis Dominicalibus S. Hippolyti; nam annis Julianis 112. expletis, eadem Dominicalis litera in Kalendario repetitur. Si quidem annis 112. quibus occurrunt Biſſextiles 28.,fit ſumma Feriarum permutandarum 140.: quæ diviſæ per 7., cùm nihil relinquant; liquidò oſtendunt, Feriarum apocataſtaſim inſtaurari. Breviùs quoque demonſtrari ita poterit. Annis 28. Julianis inſtauratur Cyclus literarum Dominicalium. Igitur annis 112. (quæ ſumma dat quater numerum 28.,) literæ Dominicales eædem recurrunt. Id oſtendit Tabella in margine expanſa.

Cyclus perpetuus literarum Dominicalium ad Æra S. Hippolyti anno Chriſti 222.

	f	1.	29.	57.	85	
	e	2.	30.	58.	86	
d	c	1.	29.	57.	87	B
	b	4.	32.	60.	88	
	a	5.	33.	61.	89	
	g	6.	34.	62.	90	
f	e	7.	35.	63.	91	B
	d	8.	36.	64.	92	
	c	9.	37.	65.	93	
	b	10.	38.	66.	94	
a	g	11.	39.	67.	95	B
	f	12.	40.	68.	96	
	e	13.	41.	69.	97	
	d	14.	42.	70.	98	
c	b	15.	43.	71.	99	B
	a	16.	44.	72.	100	
	g	17.	45.	73.	101	
	f	18.	46.	74.	102	
e	d	19.	47.	75.	103	B
	c	20.	48.	76.	104	
	b	21.	49.	77.	105	
	a	22.	50.	78.	106	
g	f	23.	51.	79.	107	B
	e	24.	52.	80.	108	
	d	25.	53.	81.	109	
	c	26.	54.	82.	110	
b	a	27.	55.	83.	111	B
	g	28.	56.	84.	112	

Hac igitur obſervatione præmiſſa,dico,nos poſſe citra ullam numerationem Paſcha indicare ſolo literarum aſpectu in laterculis menſium Martii, & Aprilis, ſi obſerventur Cæſaris literæ, & Dominicales literæ, cuique anno tributæ in annis 112. primæ Periodi minoris, jam expanſæ cum correctis numeris pag. 103.

Quot enim Periodis minoribus proceſſum fuerit, tot Ogdoadibus eſt aſcendendum in Cæſaris Cylo, ut ibi deſignetur locus XIV. Lunæ: quæ ſi exceſſerit terminos Paſchæ; numeratis XXX. diebus proximis, proveniet decimaquarta Paſchalis. Cùm verò obſervetur eadem litera Dominicalis poſt annos 112., quæ priùs uſurpabatur in præcedenti Periodo; ubi proximè eadem litera reperietur in Kalendario poſt XIV. diem jam repertam ex Cyclo Cæſaris, habebitur legitimum Paſcha Chriſtianum ex litera Dominicali.

In

In allato exemplo anni 446. ita eſt procedendum. Anno primo Periodi primæ litera Cæſaris G cadebat in 13. Aprilis. Anno primo Periodi tertiæ aſſumenda eſt litera Cæſaris G duplici Ogdoade præcurrens diem 13. Aprilis. Occurrit die 28. Martii. Erit itaque 28. Martii dies legitima Lunæ decimæquartæ. Litera Dominicalis f, in expanſione Periodi pag. 103. anno primo occurrens die 31. Martii, dabit eodem die Paſcha Chriſtianum.

Anno octavo Periodi primæ, Chriſti 229., quartadecima ex correctis numeris habebatur die 26. Martii, litera Cæſaris E. Ogdoades duæ præcedentes conſignant E die 10. Martii: quæ cùm ſit extra terminos Paſchæ, indicat quartamdecimam poſt dies xxx. aſſumendam die ſcilicet 9. Aprilis. Litera Dominicalis juxta expanſionem S. Hippolyti eſt d: quæ occurrit die 12. Aprilis. Igitur anno Æræ Chriſti 453. Paſcha indicendum fuit ad diem 12. Aprilis. In Epiſtola 64. S. Leonis Papæ ad Marcianum Auguſtum eadem dies Paſchalis decernitur.

Anno ſequenti, qui nonus eſt in prima Periodo minori (Chriſti 230.) decimaquarta Paſchalis incidit in diem Aprilis 14., literâ Cæſaris H notatam. Poſt duplicem Periodum minorem nonus annus tertiæ Periodi (Chriſti 454.) litera H Cæſaris duplici Ogdoade præcedens demonſtrat quartamdecimam die 29. Martii: ubi etiam occurrit Feria quartædecimæ ex numeris correctis IV., cùm ejus anni litera Dominicalis juxta expanſionem S. Hippolyti ſit c, quæ indicat Paſcha die 4. Aprilis, ubi S. Leo Papa in Epiſtola jam recenſita memoraverat.

Anno proximè ſuccedenti, Chriſti 231. in prima Periodo, 455. in tertia Periodo, utrobique decimo ipſius Periodi, numeri Hippolytei correcti, & Cæſariani conveniunt cum Epiſtolis S. Leonis Papæ, S. Proterii, & Paſchaſini. Nam litera Cycli Cæſaris E aſſignata anno X. Cycli, quæ anno 231. Paſchalem quartamdecimam ferebat die 3. Aprilis, eandem retuliſſet anno 455. die 18. Martii: quam Latini ante Concilium Nicænum habuiſſent Paſchalem, ut patet ex cellulis hujuſce Canonis. Litera Dominicalis b tributa diei 20. Martii tuliſſet Paſcha XIII. Kal. Aprilis: quemadmodum etiam viſitur in ſecundo laterculo anno ſexto tertiæ heccædecaeteridis. Verùm ætate S. Leonis, qua citimus Paſchæ terminus conſtitutus fuerat XI. Kal. Aprilis, ea Luna Paſchalis non erat. Inſerta igitur Lunatione dierum xxx. juxta præmiſſam regulam pag. 125. * incidebat 14. Paſchalis in diem Dominicam 17. Aprilis: prout etiam ferebant Tabulæ Alexandrinæ, teſte S. Proterio

Vide pag. 125. notâ. *

terio ejuſdem Urbis Epiſcopo ad S.Leonem Papam·quæ propterea Paſcha indicebant ad ſubſequentem Dominicam 24. Aprilis: quod Epiſtola S. Leonis xcv. ad Epiſcopos Galliæ, & Hiſpaniæ ſervandum fore conſtituit.

His igitur regulis obſervatis, reduci poterant numeri Canonis Hippolytei ad legitimam computationem, ubi adhiberetur excurſus in columnas præcedentes poſt alternos emboliſmos; & Lunationibus extra terminos adderentur dies xxx. ad proximam uſurpandam.

Nondum tamen abſolutum foret omnibus numeris Syſtema Tabularum Hippolyti, niſi ratio præſtantior accederet in terminis Æquinoctiorum. Hujus præceſſionis modum ſcribere nondum poterat ætas Hippolyti, neceſſariis obſervationibus deſtituta: quas admodum diſtantes ſumere oportet, ut anni Tropici certa menſura proveniat. Ætate noſtra ſatis eſt exploratum, Gregoriani anni modum aptiſſimè reſpondere omnium ſæculorum obſervationibus, uti manifeſtum fiet in opuſculo annexo *de Nummo, & Gnomone Clementino*. Hac igitur notione præmiſſa, facilè reddebatur perpetuus Canon Hippolyti per annos Julianos, unius regulæ obſervatione, quæ ſingulis ſæculis, vel alternis, vel ternis, citimum terminum xiv. Paſchalis præfigeret juxta præceſſionem Æquinoctii in anno Juliano: ut occurrente xiv. extra terminum, poſſet ſubſequens Lunatio adhiberi. Hac una ſervata lege, Hippolytei Canonis literæ ex noſtris numeris ordinatæ perpetuum reddent doctiſſimi Martyris Cyclum.

In ſolutione Problematis Paſchalis hanc fere methodum ſuæ Periodi texendæ Auctor obſervat: licet in illa multò caſtigatiorem præferat computum quartædecimæ, ex certa definitione·quam ſtatuit. Verùm de Cyclo Octagrammo, ejuſque methodo,ordinata ex imitatione S.Hippolyti, ac Cæſaris, agendum erit poſtremo numero hujus diſſertationis,& in Parergo.

Hìc tantùm obiter adnoto, quàm neceſſaria fuerit expanſio totius numeri annorum CXII., quæ Periodum minorem conſtituit; licet Bucherio videretur inutilis, cùm anno 57. repeterentur priores literæ eodem prorſus ordine, quo ex anno primo deducebantur ad conſequentes. Nam concideret excurſus in cellulas adhærentes (quæ obſervatio totius Periodi caſtigationem, & evidentiam Cyclo conciliat) ſi decurtarentur columnæ, vel earundem numerus minueretur.

7 Nihil ſupereſt exponendum hoc in latere baſis Hippolyti, præter limbum exteriorem: in quo varia ejuſdem Epiſcopi, & Martyris opera, ſeu libri complures enumerantur: uti Scaliger, & Bucherius ex D. Hieronymo recenſebant, nempe

In

In Pſalmos Poenitentiales . De Pythoniſſa . De Joannis Evangelio , & Apocalypſi . De Chariſmatibus . Apoſtolica traditio . Chronicon ad Græcos . In Platonem , vel etiam de omni . Exhortatio ad Severinam . DEMONSTRATIO TEMPORUM PASCHAE QUEMADMODUM IN TABULA . *Odæ in omnes ſcripturas . De Deo, & carnis reſurrectione . De bono , & unde malum .*

Dolebamus paullò ante , quòd liber ille interciderit , ubi digeſſerat Hippolytus *Demonſtrationem temporum Paſchæ quemadmodum in Tabula* . Opus enim illud , ſi ad nos integrum perveniſſet , haberi deberet poſt ſacras literas omnium pretioſiſſimum . Siquidem ante Hippolytum nemo digeſſerat in certam ſeriem , nec ad Cycli normam redegerat ſacros annales : quod ille præſtitit Chriſtianorum Scriptorum primus . Occurrebat dolori noſtro Vir doctiſſimus Dominus du Cange in poſtrema editione Paſchalis Chronici : ubi de Hippolyti Canone , & Commentario Paſchæ plurima cùm diſſeverit ſolidiori qua pollet eruditione in omni genere literarum , viſus eſt aliquam in ſpem nos adducere libri Hippolytei reperiundi vetuſto illo in codice , quem Caniſius antiquarum lectionum tomo 2. & Labbeus in primo Bibliothecæ manuſcriptorum publico bono in lucem protulerant . Adornavit verò etiam ipſe V. Clariſſimus tertiam ejuſdem opuſculi editionem numero IV. *in ſelectis ad illuſtrandum Chronicon* , quod parabat : cujus titulum in indiculo *ſelectis* præfixo ex antiquis membranis cùm redderet pag.403. , ita commendavit . IV. „ Liber generationis ab Adam uſque ad ordinem
„ quæ (*ſic*) continentur in hoc libro . *Opus quod Hippolyto Portuenſi adſcribi poſſe duximus in Præfatione : ex editione Henrici Caniſii , & Philippi Labbei ad fidem Codicis Collegii Pariſ. Soc. Jeſu recognitum* . Et certè in Præfatione plurimus eſt in coniecturis conquirendis , unde Hippolyto Martyri , quem Portuenſem Epiſcopum ex VII. ſuburbicariis fuiſſe autumat , tribui præ ceteris debeat .

Verùm , ſi ad Hippolytum Epiſcopum & Martyrem Canon iſte marmoreus referendus eſt , ut omnium doctorum , ipſiuſque adeò Cangii ſuffragio refertur; demonſtraturum me eſſe confido , ad eundem Hippolytum non pertinere codicem illum Caniſianum , & Labbeanum , cæteroqui ſpectabilem: ſed eſſe potiùs referendum , vel ad Heronem illum ex Philoſopho Chriſtianum & Martyrem : quem à neocoratu templi Sarapidis in Portu Romano ad Chriſti fidem evocatum ſuſpicatur ex Græca inſcriptione apud Sponium ſect.x. num.22. Severo Alexandro imperante, ipſique adeò Hippolyto æqualem,& de tem-

temporibus ſcripſiſſe docet ex veterum teſtimoniis, eumque adhuc neophytum expleſſe martyrium. Accedo itaque ad eam ſententiam, quam ſecundo loco idem laudatus Auctor in præfatione ſubtexuit, dicens vel Hippolyto Epiſcopo, *vel auctori Synchrono, qui vixerit ſub Alexandro Auguſto*, eſſe librum adjudicandum. Præſtat ejus verba tranſcribere ex numero XVIII. Præfationis.

XVIII. *Cæterum Hippolyti Chronico, de quo agimus, geminum prope eſt, niſi ipſummet extiterit, Chronicon illud, quod edidit Henricus Caniſius tom.* II. *Antiq. Lect. & Philippus Labbeus tom.* I. *Novæ Bibliothecæ ex M. S. Cod. Collegii Pariſ. Soc. Jeſu hocce titulo*. De diviſionibus, & generationibus gentium. *Quod quidem Chronicon ad Atexandri Severi annum* XIII. *eumque Imperii poſtremum, quo imperante ſe vixiſſe non ſemel Auctor innuit, perducitur. Is verò in præfatione deſcriptorum ſe ait* „ Gentium diviſionem, & parentum
„ dinumeratam generationem, inhabitationis quoque tempo-
„ ra, & bellorum commiſſiones, & Judicum tempora, qui, &
„ ex quibus Regibus nati ſunt, qualeſque captivitates populi,
„ & quibus Judicibus contigerint, quique Sacerdotes, quibus
„ temporibus fuerant, & quæ diviſio, & quæ perditio facta ſit,
„ quonam modo generatio ſeminis Iſrael de Patribus in Chri-
„ ſto completa ſit, & quot quantique per quanta tempora di-
„ numerentur anni à creatura ſæculi uſque in hunc diem. *Præfationi Index ſubjicitur, cujus* VI. *caput hiſce verbis conceptum legitur*: „ Declaratio Paſchæ, & quis quando ſerva-
„ vit ex temporibus Moyſi in hunc diem. *Quæ quidèm ad ea referuntur quæ habentur in ea ſectione, ubi de Paſchate ſubinde à Judæis exacto agitur. Tum additur*: „ A generatione
„ autem Chriſti poſt XXX. annos cùm paſſus eſt Dominus, Pa-
„ ſcha celebratur. Ipſe enim erat juſtum Paſcha. A Paſſione
„ autem Domini uſque in XIII. annum Imperii Alexandri Cæ-
„ ſaris anni CCVI. ſervatum eſt Paſcha, quod in commemo-
„ rationem Domini noſtri Jeſu Chriſti ſervatur à nobis. Fiunt
„ igitur omnes omni ab Adam uſque in hunc diem anni V.MDCCXXXVIII. *Quæ quidem hìc à nobis allata ſi quis cum iis, quæ de Hippolyti Chronico attigimus, adamuſſim conferre velit; illud ipſum eſſe ejuſdem Chronicon haud difficulter fortè concedet, cui laterculum is præmiſerit, vel ſubdiderit in Paſchalis feſti, de quo in illa, quam diximus, ſectione egit, inveniendi Canonem, ſeu regulam: ad quam præteritos, & ſequentes annos expendere lectorem voluerit*.

Rectè quidem argumentatur ex hiſce duobus numeris annorum à Paſſione Domini ad annum XIII. Severi Alexandri, nec

non

non ab eo, quem XXX., vel XXXI. ante Paſſionem ex veterum ſententia Incarnationi Dominicæ tribuebat. Quin etiam, ut addam reliquas Epochas in marmoreo Canone recenſitas, concedam pleraſque earum cum numeris codicis Labbeani, & Caniſiani congruere. Verùm cùm diſcrepent ab eiſdem reliquæ, eaque potiſſimum, quæ definit intervallum inter duo Paſchata, Exodi, & Ezechiæ; evidenter oſtenditur, marmoreum Hippolyti Chronicon diverſum eſſe à Scripto ipſi æquali in computis diſſentienti. Cùm verò conſtet Hippolyti numeros tam prope accedere ad peritiorum Chronologorum ſententias, uti ex comparatione oſtenſum fuit pag. 110; è contra verò vitioſa manifeſtè ſit computatio Anonymi in definiendo præſertim intervallo à Paſchate Joſue ad Paſcha Ezechiæ; operæ pretium duco, rationes Hippolyti hoc in monumento ſuperſtites exhibere: ut hæc antiquiſſima omnium Chronologia Paſchalis, maximæ Hippolyti peritiæ teſtis, in commendationem cedat ſapientiæ Patrum, qui proximi ab Apoſtolis, & ab Apoſtolicis Viris prima Eccleſiæ ſæcula, ut ſanguine pro Chriſto fuſo, ita etiam ſcriptis clariſſimis illuſtrarunt. Diverſitatem igitur Chronici ita demonſtro.

In editionibus Caniſiana, Labbeana, & Freſnea dividitur opuſculum Anonymi in varias ſectiones juxta Labbeum, ſive in Capita juxta Caniſium; uterque quorum, ex diverſis exemplaribus exſcribebat. Capite igitur 17. juxta Caniſium, ſive ſectione XII. juxta Labbeum, hæc intervalla Paſchatum adnotantur. Ipſius codicis verba ex Labbeo reddam, additis in margine Caniſii, & Freſnei lectionibus diverſis, ubi diſſideant.

Editio Caniſii.	*Editio Labbei* pag. 305.	*Editio Freſnei.*
*	„ *Vt autem & aliter oſtendamus non tantùm per tempora Regum,* „ *ſed etiam à quo Paſcha ſervatum eſt, dinumerantes ſimul an-* „ *nos dicemus.*	† pag. 419.
* II. millia CCXLII.	„ Ad Adam uſque ad diluvium anni † * MMCCXLII.	† IIMCCXLII.
* MCXLI.	„ A diluvio uſq; ad exitum. Abraham de terra ſua anni * MCXLV.	
	„ Hinc uſquequo exirent Iſraelitæ de Ægypto, educente eos „ † Moſe quando; & Paſcha fecerunt anni ſunt CCCCXXX.	† Moyſe
* XLII.	„ Ab Exodo Ægypti uſque in tranſitum Jordanis quando JESUS „ Paſcha celebravit, ſunt anni * XLI.	
* CCCCLIV,	„ Ezechias poſt annos * CCCCLXIV. celebravit Paſcha.	
* CXIV.	„ Poſt Ezechiam Joſias anno † * centeſimoquartodecimo Paſcha „ celebravit.	† CXIV.
* deeſt in Cod. Caniſii.	„ Poſt Joſiam * † Eſdras poſt annos CVIII. Paſcha celebravit	† Heſzras.

Editio

Editio Caniſii.

Editio Labbei.

„ Poſt Eſdram ſervatoris uſque generationem Chriſti poſt an-
„ num DLXIII. Paſcha fit.

Cap. XVIII. Caniſii. *Sequitur ſectio* XII. *Labbei*.

„ A generatione autem Chriſti poſt*XXX.† annum, cùm paſſus eſt
„ Dominus, Paſcha celebratur, ipſe enìm erat iuſtũ * † Paſcha.
„ A Paſſione autem Domini uſque in XIII. annum † Imperatoris
„ ALEXANDRI Cæſaris anni † CCVI. ſervatum eſt Paſcha,
„ quod in commemorationem * † Chriſti ſervatur à nobis.
„ Fiunt igitur * omnes anni ab Adam uſque in hunc diem anni †
„ quinquies mille DCCXXXVIII.

Editio Caniſii: *triceſimum; * Paſchæ; * omnium

Editio Freſnei. Poſt Heſzram *Servatoris uſque generationes* Chriſti *poſt annos* DLXIII. Paſcha fit. † annos † Paſcha † imperii. † Domini noſtri IESV CHRISTI * *quinquies mille ſeptingenti triginta otto.*

Intervalla, in codicibus Anonymi ita definita, non reſpondent ubique alteri annorum ſummæ, quæ colligitur ex ſingulis Regum, aut Judicum Epochis, quas eodem in opuſculo legimus. Ut verò omnis diſcrepantia unico obtutu pateat, exhibebo in ſequenti laterculo tàm Judicum, quàm Regum annos ſingillatim, ut in codice ſunt digeſti.

	Codex Caniſii	Codex Labbei & du Cange
Exodus anno	1.	1.
In deſerto ſub Moſe	40.	*Cange* 40. *41.
Joſue regit	31.	27.
Servitus Chuſarſaton	8.	8.
Othoniel judicat	33.	31.
Servitus ſub Eglon	23.	18.
Aod judicat	80.	80.
Jabin	20.	20.
Debbora	40.	40.
Servitus ſub Madian.	7.	7.
Gedeon judicat	40.	40.
Thola	20.	20.
Jair	21.	22.
Servitus ſub Ammonitis	18.	18.
Iephte *Galaadites* judicat	6.	6.
* *Aslon*	6.	0.
Elon	10.	10.
Hebron	8.	8.
Servitus ſub allophylis	40.	40.
Samſon judicat	20.	20.
Heli	20.	20.
Samuel	70.	30
Saul regnat	30.	30.
Ab Exodo ad init. David Summa	592.	537.
Detrahe 1. Exodi & 40. Moyſi	41.	42.
Initium David diſtat à Paſchate Joſue	551.	495.

* *Hic Judex habetur tantùm in Cod. Caniſii.*

	Codex Caniſii.	
David regnat ann.	40½	
Salomon	40.	† Labbe &
Roboam †	18.	Cang. 14.
Abias	17.	
Aſaph	41.	
Joſaphat	25.	
Joram	20.	
Ochozias	1.	† Cang. &
Godolia †	7.	Labb. 8.
Joas	40.	
Amaſias	9.	† Cang. &
Ozias	52.	Labb. 15.
Joathan †	16.	† Cang. &
Achaz †	16.	Labb. 15.
à Dauid Summa ad init. Ezechiæ.	342.	337.
adde ab Exodo ad David	592.	537.
Initium Ezechiæ poſt Exod.	934.	874.
Ezechias	25.	
Manaſſes	55.	
Amon	2.	
Initium Joſiæ	82.	
XVIII. annus Joſiæ	18.	
Annus XVIII. Joſiæ poſt initiũ Ezechiæ.	100.	

Sunt

Sunt igitur anni ab initio Regni Ezechiæ ad XVIII. Joſiæ tantùm centeni ex Epochis proximè allatis.

Idem intervallum juxta ſummam ſuperiorem habebatur annorum 114. Neutrum verò conſentit cum marmore Hippolyti: in quo Epocha ſimplex disjungit eadem Paſchata annis 112., & Epocha juxta Danielem eadem ſeparat annis 113.

Multò evidentior eſt numerorum diſcordia, quæ apparet in ſcriptis exemplaribus, ſi conferatur intervallum Paſchatis Joſue à Paſchate Ezechiæ. Anni 592. à Paſchate Joſue ad initium Dauid additi annis 342. ab initio Dauid ad initium Ezechiæ conſtituunt ſummam 934.

At in ſumma Capitis XVII. Caniſiani, & Sectionis XII. Labbeani codicis idem intervallum minuitur pluſquam ſæculis quatuor, nam conſtituitur intervallum ab Joſue Paſchate ad Paſcha Ezechiæ annorum 464.

His anachroniſmis, & antichroniſmis (ſi fas eſt dicere) non laborat marmor Hippolyti: in quo vidimus, intervalla ex duplici computo, tam *ſimplici*, quàm *juxta Danielem*, optimè conſentire cum rationibus celebriorum Chronologorum, dum intervallum ab Exodo ab Paſcha Ezechiæ ex cellularum diſpoſitione deprehenditur annorum 793. juxta ſimplicem calculum, vel 791. *juxta Danielem*: adeòque haberi diſtantiam Ezechiæ à Paſchate Joſue 749. ex calculo ſimplici, & 750. ex calculo juxta Danielem. Neque enim aliter inciderent in cellulas lemmata illa EXODUS, & JESUS, & EZECHIAS, niſi ſeptem ſolidæ Periodi minores annorum 112. & præterea anni 9. ſupponantur numerari à Paſchate Exodi ad Paſcha Ezechiæ: & Periodi minores ſeptem, imminutæ cellulis ſive annis 32. juxta ſimplicem calculum, vel 33. *juxta Danielem* dicantur intereſſe à Paſchate Joſue ad Paſcha Ezechiæ; cùm unaquæque Periodus minor, ubi ſolida ſit, eandem repetat cellulam: & unumquodque ſæculum cellulis XII. retrocedat in annorum conſignatione. Neceſſe igitur eſt annos interpoſitos ab Exodo ad Ezechiam haberi ex hiſce cellulis *juxta Danielem* vel 7., vel 119., vel 231., vel 243., vel 345., vel 457., vel 569., vel.681. quod nemo dixerit nulla idonea auctoritate permotus; vel demum 793. quod aſſerimus, cùm & reliqua conſentiant cum peritiorum Chronologorum rationibus, ex Bibliorum Sacrorum numeris ritè collectis. Quæ cùm diligenter expenſa fuerint; conſtabit, ut puto, faciliùs poſſe reſtitui ex marmoreo Chronico vitiatos numeros Anonymi Hippolyto æqualis; quàm ut Hippolyti Chronicon in marmoreis cellulis ſibi optimè conſtans, ad vitiatos codicum numeros intet ſe diſſidentes, & ab Anonymis

m auĉto-

auctoribus acceptos, tum ab Anonymis Latinè redditos inflectantur. Velim potiùs, ut ex fide hujus Canonis Hippolytei corrigantur menda ſcriptorum codicum. Facilè enim intelligitur, deeſſe numeros in ſcriptis Chronicis capite XVIII. Caniſiano inter Epochas Exodi & Ezechiæ. Fortaſſe intermedia aliqua jacebat Epocha ab Exodo ab initium David: tum illa ſubſequebatur ab initio David ad Ezechiam: quæ corruptis numeris non ſibi conſtat. Omitto alios antichroniſmos recenſere ex variatis lectionibus Caniſiani & Labbeani codicis: quas colligent Chronographi, qui conferant ſummas annorum à Mundi conditu putatorum ex Anonymo: unde apparebit diſtantia à Jeſu Nave ad Davidis initium juxta Caniſianum exemplar ann.555. juxta Labbeanum 495. quarum neutra reſpondet annis in Judicum, & Regum numero recenſitis. Commendat igitur maximè noſtri marmoris fidem, & præſtantiam operis Hippolytei, comparatio cum codicibus inſtituta: & deſiderium vehementius intendit operum tanti Patris, & Martyris: quæ integra concidiſſent, niſi perennitatem aliquam ejuſdem doctrinæ reliquiis præclarum hujuſce monumenti veſtigium comparaſſet.

CAPUT QUARTUM.

Explanatio alterius laterculi baſis Hippolyteæ: ejuſque Cycli cum Cæſariano temperati connexio proponitur: tum oſtenditur methodus eodem utendi ad perfectiorem ordinationem Paſchalium Tabularum.

SUMMA CAPITIS.

1. *Conſpectus alterius laterculi baſis, & Cycli, à S. Hippolyto concinnati, in marmore tamen mendosè ſculpti, aliquibus in locis, quæ indicantur.* 2. *Eorundem locorum emendatio ex plurium Auctorum ſententia.* 3. *Oſtenditur methodus perficiendi hujus Cycli ad uſum Paſchalem juxta receptam Eccleſiæ conſuetudinem.* 4. *Cycli Octagrammi Paſchalis paullò ante in lucem editi ſyſtema petitum fuit ex utroque Cylo, Juliano, & Hippolyteo.*

Offe-

1 OFfertur laterculus alter marmoris Hippolytei: in quo ſeptem viſuntur heccædecaeterides, ſive Periodi annorum XVI., ordinatæ per totidem columnas, præfixâ ſingulis literâ ex prioribus ſeptem, quas adhiberi vidimus etiam in alio latere ad ferias hebdomadæ conſignandas. Summa heccædecaeteridum ſeptem dat annos CXII., nempe Periodum unam ex iis, quas appellavi *Minores*. Hoc tamen intereſt inter ſuperiores illas dextri laterculi columnas, & ſeptenas has in poſteriore diſpoſitas, quòd in prioribus ſeptem deſcriptæ ſunt quartædecimæ Paſchales cum feria, in quam incidunt; in his verò poſterioribus ordinantur Dominicæ Paſchales cujuſcumque anni: & nominatur, ac numerantur dies menſis Juliani, in quam dies illæ Dominicæ, Chriſtiano Paſchati adjudicatæ ex hoc Cyclo, erant incurſuræ. Hæc diſertè promittuntur in titulo.. Præmittitur enim Epocha Cycli *anno prima Severi Alexandri*, hoc eſt Æræ Chriſti communis, ſeù Dionyſianæ anno 222. ΕΤΕΙ ΑΛΞΑΝΔΡΟΥ ΚΑΙCΑΡΟC ΤΟ Α̅ ΑΡΧΗ ANNO PRIMO ALEXANDRI CAESARIS INITIUM. Tum ſumma exponitur totius Canonis, ſeu Paſchal is Tabulæ ΑΙ ΚΥΡΙΑΚΑΙ ΤΟΥ ΠΑCΧΑ ΚΑΤΑ ΕΤΟC DOMINICAE PASCHALES SECUNDUM ANNOS. Deniq; additur: ΑΙ ΔΕ ΠΑΡΑΚΕΝΤΗCΕΙC ΔΗΛΟΥCΙ ΤΗΝ ΔΙC ΠΡΟ ΕΞ Hæc verba, in latina verſione à Bucherio omiſſa, rectè interpretatus videtur Scaliger pag.730. Emend. temporum: qui etiam opportunè monuit, non fuiſſe ab inciſore addita ſigna Biſſextilium annorum, ab iiſdem verbis indicata: quæ ita redduntur ADPUNCTIONES VERO OSTENDUNT BISSEXTILEM. Hinc enim apertè intelligiiur, voluiſſe Auctorem Cycli, ut biſſextilium annorum ſigna, quæ alio in laterculo fuerant appoſita, etiam in hoc ſecundo adderentur. Quæ omiſſa cùm fuerint; argumentum planè validum addunt ad eam ſuſpicionem confirmandam, qua opinabar, inciſionem hujuſce marmoris curatam non fuiſſe ab ipſomet Cycli Auctore S. Hippolyto; ſed ejuſdem cælandæ curam ſuſcepiſſe Chronologum minùs peritum earum rerum, quas in expanſione Canonis exponi voluerat doctus ille Epiſcopus & Martyr: qui elegantem Periodum adinvenerat, & patientem fidei multò præſtantioris in recta aſſignatione diei Paſchalis, quàm ſecundus hic laterculus ſervet. De illis itaque verbis talis eſt ſententia Scaligeri: *Αἱ δὲ παρακεντήσεις] παρακεντεῖν, ὑποκεντεῖν, παρὰ ϛίζειν ὑποϛίζειν. intelligit notulas ϛϛ, quas miror hic omiſſas, cùm admoneamur, etiam huic laterculo appoſitas fuiſſe. Nam utique apponendæ erant. τὴν δὶς πρὸ ἑξ]* hoc eſt δισέκτον, *Biſſextum; ϛ enim aut ϛ ſunt ſex, & ϛϛ*

ſunt δίς ἑ̓ξ *In alio laterculo quartadecimali nota biſſextilis anni locis congruentibus apponitur hoc eodem charactere* ς.

Præter iſta Scaliger ſcitè animadvertit, complura errata imperitiæ quadratarii, & curatoris eſſe omninò tribuenda: quædam etiam vitio exceptorum. Ait enim pag. 733. *In Laterculo Dominicali Græco fraus eſt à ſculptore, ſive quadratario. In ſecunda Heccædecaeteride anno nono vitioſè ſculptum* ῆ Γ.ΚΑ.ΜΑΡ. *Legendum* ῆ ΙΓ. ΚΑ. ΜΑΙ. *In ultimo anno tertiæ pro* Θ.ΚΑ. *lege* ῆ ϵ. ΚΑ. *Et fortaſſe ita ſculptum eſt, ſed malè à legentibus exceptum, nam* Θ *cum* ϵ *magnam affinitatem habet.* Utrumque id rectè conjecit Scaliger. Nobis enim diligenter inſpicientibus ipſum exemplar marmoreum, poſterior annus caſtigatè conſignatus apparuit. *Anno* VIII. *ſextæ vitium ab Auctore, non à quadratario* ῆ S. ΕΙ. ΑΠΡ. *Eſt hallucinatio. Terminus Paſchalis poſitus eſt* XXV. *Martii, ut in laterculo Terminali litera Dominicalis erat* B. *Ergo* XXVII. *Martii Paſcha ſtatuendum.* Pro S. ΕΙ. *legendum* S. ΚΑ. Cenſori non aſſentior in erroris Auctore, ſi accuſat Hippolytum. Vitioſè quidem legitur in marmore. Verùm inde conjicio, ab Hippolyto non fuiſſe marmor curatum, ſed potiùs ab imperito, vel incurioſo. *Inſequenti anno vitium à quadratario* ΜΑΡ *legendum* ΜΑΙ. *In penultimo* Γ ΕΙ. ΑΠΡ *lege* S. ΕΙ. Dubia lectura eſt in exemplari, proùt etiam præcedens annus non ſatis diſtinctè exhibet Η ΚΑ, ut culpaverant Scriptores Vaticani pag. 115. à me producti; ſed potiùs refert ΙΓ numerum XIII., licet notula tranſverſa vix tamen conſpicua, colligare videatur utramque literam in Η, notam numeri VIII.

In marmore legitur ΙΓ ΚΑ ΜΑΡ

Ut verò hic narrem quæ de vitiata lectione ſentienda ſunt in locis ab utroque Criſpo, Io: & Horatio, indicatis, poſtquam contuli ſingula cum exemplari, adhibitis die nitidiſſima compluribus viris Græcè ac Latinè doctis, quibuſcum obſervari non ſemel, ſingula enumerabo.

In tertia columna linea poſtrema Θ ΚΑΛ. corrigebatur ϵ ΚΑΛ. Vel abſumpta eſt pars literæ, quæ ſinuatur, & circulum claudit; vel nulla fuit, niſi ϵ, qualis nunc apparet.

In quarta Columna verſu ſeptimo v. Kal. corrige v. Idus. In marmore legitur V. ΕΙ. error manifeſtus.

In eadem verſu 12. culpatur XV. Kal. Aprilis: ubi legendum eſſe dicitur XV. Kal. Mai. In Marmore legitur ΜΑΙ.

In V. Columna verſu nono accuſatur nomen menſis Aprilis vertendum in Maii. Marmor hoc ipſum continet ΜΑΙ.

In VI. verſu octavo, ubi deferebatur VI. Idus Aprilis, corrigitur VI. Kalendas. Correctio neceſſaria; nam legitur VI. Idus.

Eâdem Columnâ verſus 14. & 15. dubiæ lectionis ſunt, detritis & non nihil vexatis characteribus.

His

His ab erroribus, qui columna quarta & ſexta diſſimulari miminè poſſunt; tum ab omiſſis biſſextilium ſignis, quæ in titulo promittebantur, quis non videat auctorem tituli, & Cycli non adſtitiſſe ſculptori hujus præſertim laterculi, qui adeò vitiosè cælatus apparet? Confer nunc præſtantiam Canonis Hippolytei, conſtantiam, fidem, in feriis, diebus, annis ſuperiorum Paſchatum conſignandis, ex Chronologia numeris omnibus abſoluta per duodeviginti propemodum ſæcula ante Alexandrum Cæſarem; Lunares præterea numeros cum annis Julianis in tanta ſæculorum ſerie miro conſenſu productos ex triplici Periodo *minori*, *majori*, & *maxima*, per nos explicata; hæc inquam inventa, quæ colliguntur ex diſpoſitione prioris laterculi jam expoſiti, confer cum expanſione admodum vitioſa hujus periodi minoris, primæ poſt Alexandrum. Fatearis neceſſe eſt, multò præſtantiùs curaturum fuiſſe Hippolytum Paſchales Dominicas CXII. annorum ætati ſuæ proximas, qui adeò ſapienter proſpexiſſet faſtis Paſchalibus utriuſque Teſtamenti, ad plura annorum millia caſtigatè ordinatis; ſi ut Eptagrammam illam Tabellam literarum Dominicalium arte mira diſpoſuerat, ita expandiſſet Periodum ex illa pendentem. Præſtitum id quidem opinor à doctiſſimo Martyre in libris deperditis *Demonſtrationum Paſchæ*. Verùm hac in tabella ab ipſo ita digeſtas ab eo fuiſſe, nunquam conceſſerim, donec idoneo teſte dediſcam ea pervidiſſe de ejuſdem peritia, quæ Cycli ſyſtema expoſitum manifeſtat.

Accedit ad confirmandam Hippolyti apologiam expedita facilitas colligendi Paſchales dies ex Lunæ motibus mediis: qui Auctori Tabulæ ſuperioris ignoti eſſe non poterant, cùm eorundem legibus aptè reſpondentem Feriarum diſpoſitionem texuerit, quam vidimus, in columnis, ex incurſu emboliſmorum variandis, ut ante monui. Quod enim ibi præſtitimus pag. 124. ad primam heccæteridem, præſtiterit ille neceſſe eſt ad reliquas ſex diſponendas. Ut verò per ſeptem ſedecennia ſemel comparatæ ſunt XIV. Paſchales cum diebus anni Juliani, & cum Feriis, ſolus aſpectus literæ Dominicalis, in Hippolyti Cyclo primùm uſurpatæ, contexet caſtigatiſſimè ipſam Periodum minorem, hoc ſecundo in laterculo tam oſcitanter curatam.

Deſiderare potiùs oportuit non quidem ab Hippolyto, ſed ab ejuſdem ſæculo modum inveſtigandæ præceſſionis Æquinoctiorum: quæ non dum ſatis definita fuerat ab Aſtronomis etiā Ægyptiis, antiquarum obſervationum penuria laborantibus. Ceterum, ut cognita ſemel fuiſſet quantitas anni vertentis

quam Gregoriano ſæculo feliciter definitam videbimus in Opuſculo *de Nummo*, *& Gnomone Clementino*; Periodus Hippolyti hac etiam laude conſtantiæ carere non potuit.

Methodum dabo breviſſimam. Superiori capite pag. 120. demonſtravimus ex diſpoſitione literarum Canonis Hippolytei, in annis Julianis certam diem aſſignari Lunæ quartædecimæ Paſchali, ejuſque Feriæ ad plures Periodos Minores, Majores, & Maximas. Utebamur verò literis Cycli Octagrammi Cæſaris in cujuſque Periodi minoris inſtauratione, quæ maximam facilitatem conciliabant etiam iis qui tricas numerorum minimè callent.

Statuebatur autem regula proferendi Lunationem additis xxx. diebus, ubi ultra terminos Æquinoctiorum Ogdoades conſequentes Lunam retraherent. Nihil itaque præſtandum ſupereſt, niſi ut cuique Periodo Minori, & Majori certos Paſchales terminos affigamus Æquinoctiorum, in anno Juliano ſenſim aſcendentium ad anni caput. Ita enim reſpondebit modo Gregoriano, qui eoſdem terminos curat per eliſionem diei Biſſextilis in tribus centeſimis annis conſtitutæ, permiſsâ in quarto die intercalari. In unaquaque Periodo *majori*, ex ſeptem minoribus compoſita, ſi promoveris Æquinoctii ſedem die unica per ſingulas *Minores*, præter quam in, poſtrema; idem fermè præſtiteris in anno Juliano, quod illi infert correctio Gregorii. Nam ab anno Epochæ Hippolyti ad annum 1790. Æræ vulgaris, quo compleri vidimus duplicem Periodum Majorem annis 1468., receſſerit Æquinoctium verſus Kalendas diebus ferme 12. Tot enim ferent Sæcula 15. Gregoriana, ſi cum Julianis fuerint compoſita. At Periodus duplex *Major* Hippolytea xii. dies, retrahet juxta hac poſitionem. Igitur paria facient methodus Gregoriana, & illa, quam ad Hippoyti Periodum adhibendam eſſe cenſeo in anno Juliano. Hujus propono Tabulas in averſa parte ejus folii, in quo verſionem latinam exhibui Canonis Hippolytei. Collegi Tabellas, illicò indicaturas Feriam, & diem Julianam xiv. Lunæ Paſchalis, nec non Dominicam ſubſequentem ad annos ſingulos ſtylo Juliano, tam ante, quàm poſt Æram Chriſti. Æquinoctiorum verò termini, ad ſingulas Periodos Majores appoſiti, indicant, quando Lunatio plena ſit inſerenda juxta regulas conſtitutas.

poſt pag. 93.

Ut autem uſus appareat maximè expeditus ad Sacram Chronologiam Paſchalem ex hujuſmodi Tabulis, Periodis, & Canone Hippolyteo mira facilitate, ac pari caſtigatione ordinandam, vel ad ſæcula longe diſſita; exemplum dabo Periodi maximæ Hippolyteæ poſt annos 3248. expletos inſtau-

rantis

rantis (anno 3249. ineunte) Lunæ motus, & Feriam ad eandem anni Juliani diem. Opportunè enim contingit, ut à primo Paſchate Moſis eam ſummam annorum numerantibus nobis occurrat annus ætatis noſtræ auſpicatiſſimus, nempe annus JUBILEI proxime elapſus, idemque Sæcularis MDCC. CLEMENTIS XI. PRIMUS, qui Periodum hanc Maximam à Paſchate Moſis inſtaurat in ea ſententia, quæ Exodum ſtatuit annis ante vulgarem Chriſti Epocham 1549.

Præmiſſeram ſupra pag. 106., & ſequentibus, inter varias veterum ac recentium Chronologorum ſententias maximè probatas in putandis annis ab Exodo ad Æram Chriſti vulgarem eas haberi potiores, quæ intervallum ejuſmodi, nec brevius faciunt annis 1500., nec longius 1550. vel 1560., ut apparet ex laterculis ſingularum, poſt eandem paginam recenſitis. Aſſumo itaque Epocham annorum 1549., octo annis breviorem illâ, quæ aſſignata eſt ab Hippolyto. Huic ſummæ cùm addideris annos circiter tantundem nempe 1551. Æræ Chriſti, quo lapis Hippolyteus ex agro Verano exttahebatur; fiet ſumma annorum ter mille ac centum. Superſunt ad complendam Periodum Maximam anni 148. Hanc ſummam adde anno effoſſionis hujuſce marmoris 1551. Prodibit annus Æræ Chriſti vulgaris *1699.* quo complebitur ſolida Periodus maxima, à Paſchate Exodi numerata ad eundem annum *1699.* in ea ſententia, quæ Exitum Populi ſtatuit annis ante Chriſti Æram 1549. Annus itaque 1700., qui poſtremus Sæcularis fuit, inſtaurabit Periodum Maximam Cycli Hippolytei. Quare Plenilunia, & reliquæ Lunaris ætatis dies ad eandem anni Juliani diem eandemque ad Feriam reſtituentur.

Porrò anno 1700. Æræ Chriſti dies 3. Aprilis Gregoriani (quæ fuit 23. Martii Juliani) contigit Plenilunium medium hora XI. poſt meridiem Sabbato. Ante annos Julianos 3248. nempe eodem anno, quem hæc ſententia aſſignat Iſraelitarum egreſſui ab Ægypto Plenilunium medium ad eandem anni Juliani prolepticè ſumpti diem referetur, nempe ad 23. Martii horis tamen XII. citiùs, nempe Sabbato, ſed circa horam meridiei. Dies verò præcedens 22. Martii nempe Feria VI. fuit Luna XIV. Æquinoctium ante ſæcula 32. contingebat 24. diebus ſeriùs in anno Juliano. Cùm itaque anno 1700. obſervatum fuerit die nona Martii Juliani Æquinoctium verum, & die undecima Æquinoctium medium; ante annos 3248. Æquinoctium verum fuerit die 3. Aprilis Juliani. Plenilunium igitur incidens in diem 23. Martii non erat Paſchale. Nec Paſchalis erat quartadecima Luna, quæ incidebat in diem præcedentem 22. Martii Feria VI. Inde ergo ſi nume-

numeres xxx. dies, habebis quartamdecimam diem Lunæ Paſchalis Aprilis die 21. : quæ fuit dies Dominica. Hæc igitur ſententia aſſignat Exodo diem Dominicam, Paſchatis Chriſtiani figuram, illam ſcilicet noctem, quæ ſpoliavit Ægyptios, ditavit Hebręos, ut in præconio Paſchali cum Eccleſiâ Catholica quotannis canimus.

In Cyclo Hippolyti experiundum eſt, an dies illa in Feriam I., ſeu Dominicam incidat. Ita verò exploratur. Periodus prima major ex Hippolyteis cœpit anno Æræ Chriſti 222. Secunda anno 1006. Tertia incipiet anno 1790., ut patet ex additione annorum 784., qui Periodum Majorem conſtituunt. Annus 1700. eſt nonageſimus ante initium Periodi tertiæ. Eſt igitur vigeſimus tertius ejus Periodi minoris, quæ ſeptima dicitur in ſecundâ majori, (pag. 120.) Reperitur itaque annus in columna, ſive heccædecaeteride ſecunda ejuſdem Periodi minoris ſeptimæ, cella ſeptima: ubi occurrit in expanſione Canonis Hippolytei litera F, index ejus XIV. quæ incidit in diem 22. Martii ejuſdem anni Juliani fer. VI. Eadem dies, & Feria prodibat ex inſtauratione Periodi maximæ, cum mediis Lunæ motibus tantummodo comparatæ. Si ab ea Feria numeres triginta proximas, ut aſſequaris quartamdecimam Paſchalem; erit dies Dominica 21. Aprilis anni Juliani proleptici ante Chriſti Epocham vulgarem 1549. dies Paſchatis Exodi, juxta hanc ſententiam ex Cyclo Hippolyti.

Eodem planè modo compararemus cum anno 1692. inſtaurationem Periodi maximæ, ab Exodo numeratæ; ſi ejuſdem Æram ſtatueremus cum Hippolyto à nobis longiùs diſſitam per octennium, nempe annis ante Chriſtum Dominum 1557. eaque pariter Paſcha referret ad diem Dominicam 30. Martii niſi obſtaret ratio Æquinoctii, quæ tunc Paſcha intulit ad XIV. Lunam proximam die 29. Aprilis ſtylo Gregoriano ſeu 16. Aprilis ſtylo Juliano, in quam incidebat XIV. tàm ex Cyclo, quàm ex mediis motibus computata. Apparet itaque mira facilitas & mira conſtantia aſſignandæ diei Paſchalis legitimæ hoc in ſyſtemate cuicumque anno, etiam à nobis elongato per integram Periodum maximam annorum 3248. Quare injuria carpitur Hippolyti Cyclus à cenſore Scaligero: qui tanti Patris inventum, quod non aſſequebatur, deſpectui habuit, ipſumque Auctorem fermè nihili fecit, tum quia *argutiorem quàm expeditiorem Periodum commentus ſit*, tum quia heccaeteridem ex octaeteride conſtituens, eam rationem inſtituerit, quæ (ipſo quidem Scaligero judice) *omninò puerilis eſt, ut & mediocriter docto patet*. At Scaligeri libri VII. ſolidi, de tem-

temporum emendatione conſcripti, tantundem facilitaris, & diligentiæ, accuratæque methodi nobis non tribuunt ad Paſchalem rem ordinandam, quantum hæc unica Hippolyti Martyris Tabella: quam ille cùm jure merito nominaſſet *pulcherrimum ſanctæ vetuſtatis pignus*; poterat etiam elegantiſſimam, & maximè ſolidam, ac fidelem methodum appellare ad Paſchatis deſignationem, præcipuè ſi ejuſdem foecunditatem, ut ita dicam, obſervaſſet, in producendis aliorum Cyclis, qui ad imitationem Hippolytei concinnantur. Quot verò, & quàm accurati ex ingenioſa Martyris Tabula ordinari poſſint, una, vel altera ſectione poſtremi hujuſce capitis prodam.

3 Dum itaque baſis Hiopolyteæ ſiniſtrum laterculum, tamquam ultimam diſſertationis utriuſque metam perſtringimus interiore rota, ad hanc propiùs agentes, ut ſpero, non illidemur; ſi juſto veluti ſpatio ita libeat circumflectere, ut oſtendamus, quàm eleganter accedat etiam Periodus minor biennio imminuta tam ad rationes Romanas annorum Sæcularium, quæ tum vigebant, quàm ad Solares, ac Lunares motus, & ad Feriarum ordinem inſtaurandum. Aſſero itaque, poſtremam heccædecaeteridem eſſe minuendam biennio, totamque Periodum minorem aptandam menſuræ Periodi Sæcularis, Auguſti ævo reſurpatæ, annorum CX., ut Solis, ac Lunæ motus paria faciant quamproximè per alternas Periodos, & ſimul Feriarum hebdomadis ordo inſtauretur. Detracto biennio ex Julianis CXII., qui Periodum minorem Hippolyti componebant, ſuperſunt CX., nempe ſpatium illud *undenos decies per annos* evolutum, quod, Horatio teſte, Sæculare intervallum inſtaurat. Hoc autem annorum ſpatio Æquinoctia diem circiter ſolidam prævertunt, minùs parte diei ſexta. Dupla menſura erit annorum CCXX.: quo intervallo Æquinoctia recedunt fermè per biduum ad anni caput. Jam verò collectis motibus Lunæ à Sole annorum CCXX., præter integros circulos abundant gradus 27., minuta 32., & ſecunda 34. nempe motus bidui, & horarum ſex cum quadrante, quo ſpatio temporis Luna pariter prævertit terminum annorum Julianorum CCXX. in reſtitutione ſuorum motuum à Sole. Evidens igitur eſt, Æquinoctia, & Novilunia tantundem ferè prævertere civili modo annis Julianis CCXX.: nempe biduo præcedere in Kalendario Juliano: & in Kalendario Gregoriano (à quo duo illi dies eximuntur) evidens eſt, ad eandem omninò diem poſt annos CCXX. tàm Æquinoctia, quàm Novilunia revolui. Addo, etiam Ferias inſtaurari. Nam anni Juliani 220., cùm Biſſextiles

ferant

ferant 55., huic intervallo aſſignatos, promovent dies per Ferias 275. Deme biduum præceſſionis: ſupereſt ſumma 273., dividenda per Ferias 7. Peractâ diviſione per quotientem 39., nihil omninò ſupereſt. Conſtat igitur, duplici anno Sæculari Auguſteo, ex Æquinoctii præceſſione correcto, inſtaurari tàm motus Luniſolares, quàm ordinem Feriarum, & ad eandem anni diem reduci methodo Gregoriana. Quare poſt anni modum optimè à Gregorio conſtitutum cum utraque methodo adhiberi poteſt Cyclus Hippolyti, ſive per annos Julianos eâ qua retuleram lege, conſtituto ſcilicet termino Paſchali mobili ad ſingulas Periodos Majores, ſive per Gregorianos, truncatis per biennium Periodis minoribus, ut ſingulæ ad menſuram anni ſæcularis veteris exigantur. Ita enim fit, ut poſt annos CCXX. Gregorianos ad Feriam eandem, & ad eandem civilem diem Æquinoctium & Novilunium Paſchale reducatur. Per computum experiemur. Anno 1700. die 3. Aprilis Gregoriani fuit Plenilunium medium Sabbato hora XI. poſt meridiem. Poſt annos 220., nempe anno 1920. Gregoriano, iterum incidet Plenilunium medium Sabbato die 3. Aprilis Gregoriani horis 5. cum quadrante poſt meridiem. Anno labente 1703. Plenilunium medium Paſchale contigit die prima Aprilis Gregoriani, quæ fuit Dominica, horis 2. min. 36. poſt meridiem. Poſt annos 220., nempe anno 1923. iterum opponetur Luna Soli juxta medios motus die Dominica prima Aprilis Gregoriani, ſed horis 3. m. 34. ante meridiem. Æquinoctium vernum hoc anno contigit juxta motus veros feria IV. die 21. Martii horis 2. m. 57. ante meridiem. Anno 1943. obſervabitur feria IV. die 21. Martii Gregoriani horis $5\frac{1}{2}$ circiter poſt meridiem, nam apogæi Solaris mutatio per ſemihoram retrahit Solis motum, imminuta proſtaphæreſi, ſeu centri æquatione adiectiva per minutum unicum, & 12. ſecunda Solaris orbitæ. Juxta civilem itaque praxim anni Gregoriani, reſtituuntur annis 220. cum feriis etiam anni dies & Periodi Lunæ à Sole, & Solis ab Æquinoctio.

4 Verùm ſpeciminis gratiâ hæc dicta habeantur, quæ hactenus meditabar de Cyclo Hippolyti ad motus Luniſolares attemperando juxta ſæcularem annum Auguſti, ea tempeſtate celebrem apud omnes Prouincias Romani Imperii, hac (ut arbitror) de cauſſa, quod alternis vicibus Luminarium periodos inſtauraret in eodem eclipticæ gradu, unde cœperant. Hac enim coniectura ducebar ad interpretandum S. Hippolyti Canonem juxta civilem uſum Chriſtianæ Chronologiæ; cùm viderem, à Patribus lubenter aſſumi ad ordinandam rem Paſchalem quidquid à peritis mathematicis rectè conſtitu-

tum

tum reperiſſent in politica temporis partitione, & harmonia conſignanda. Nam octaeterides Latinorum, & Græcorum enneadecaeterides idcircò Patrum curâ vindicabantur à prophanis uſibus, & ſacris deputabantur, quia mira facilitate, ac ſimplicitate ad medios Luminarium motus fideliter comparandos cum præſcripta ſacrorum lege populum univerſum manuducebant.

Reparatio enim temporum ſimiles planè vices feliciter experta eſt per hanc Hippolyti, & aliorum Patrum ſedulam curam, quas olim coronæ, & ornamenta pertulerant, dum legitimo Dei cultui primum dicata, illi denuo reſtituerentur, nequidquam contranitentibus uſurpatoribus ethnicis, qui eadem impiè detorſerant ad Solis, Lunæ, ſiderum, & inanium deorum aras, & ceremonias. Vindicavit autem ſolertiùs cura Sanctorum in Paſchalibus myſteriis obſequia temporum, & leges aſtrorum, ut Cæli terræque Dominum confeſſa natura ita ſe mancipatam oſtenderet Verbi conditoris imperio, ut æternum devinctam proderet Verbi Reparatoris indicio. Cæleſtibus itaque motibus ab orbe condito impreſſa Chriſti myſteria majeſtatis reos peregerunt quotquot cum æmulo, ac rebelli ſpiritu conſcendere nitebantur in Cælum, & cum Ægyptiis Deo parata ſacrificia ſubvertere. De Paſchalibus enim Tabulis judicium contra eoſdem exercuit, ex quo gemella Paſchati Lex naſcebatur. Paſchali expiatione divinum cultum reſtituit pius Rex Ezechias, quum ejuſdem juſſu Levitæ inquinamenta templi aſportarent *in torrentem Cedron* (limitem illum unde à legali Paſchate ad Paſſionem Dominus erat profecturus) *prima die menſis primi*, *& ſextadecima menſis ejuſdem* (Reſurrectionis Dominicæ myſterio illuſtrata) *complerent opus quod coeperant*. Paſchali luſtratione purgavit Hieroſolymam Rex Joſias, *præcipiens Helciæ Pontifici, & Sacerdotibus ſecundi ordinis, & janitoribus, ut projicerent de templo Domini omnia vaſa, quæ facta fuerant Baal, & in luco, & univerſæ militiæ Cæli, & combuſſit ea foris Jeruſalem inconvalle Cedron, & tulit pulverem eorum in Bethel. Et delevit haruſpices, quos poſuerant reges Juda ad ſacrificandum in excelſis per Civitates Juda, & in circuitu Jeruſalem, & eos qui adolebant incenſum Baal, & Soli, & Lunæ, & duodecim ſignis, & omni militiæ Cæli. Et efferri fecit lucum de domo Domini foras Jeruſalem in convalle Cedron, & combuſſit eum ibi, & redegit in pulverem, & projecit ſuper ſepulchra vulgi. 2. Paral. cap.*35. Tum verò *non fuit Phaſe ſimile huic in Iſrael à diebus Samuelis Prophetæ*. 4. Reg. cap.23. *Nec enim factum eſt Phaſe tale à diebus Judicum, qui judicaverunt*

runt

runt Iſrael, & omnium dierum regum Iſrael, & regum Juda, ſicut in octavodecimo anno regis Joſiæ factum eſt Phaſe iſtud domino in Jeruſalem. Paſchali denique inſtauratione univerſam legem, & legis teſtimonia de Chriſto doctus Eſdras reſtituit, ab olitis gentium ſuperſtitionibus ſub ipſo Imperio Perſarum, qui Solem ut Deum adorabant.

Subdebantur ſcilicet tropæo Crucis Chriſti ſpolia gentium,cùm Dominus regnaturus oſtenderetur de ligno; & omne genu cæleſtium, terreſtrium, & infernorum curvari oportebat non modo inobſequium Salvatoris præſentis, ſed etiam in ejus nomine, & in umbra futuri Paſchatis: quo immolati Domini gloria obumbratura erat Cælos. Quemadmodum verò eructante mari ſpolia Ægyptiorum in primo Paſchate, legitimus luminarium uſus aſſerebatur ad conſignanda tempora, quibus eorundem Conditor, ac Reparator Chriſtus ſapienter adoraretur; ita & ſub Judicibus, Regibus, Prophetis inſtaurata identidem teſtimonia ſiderum, Verbo Dei obtemperantium, referebantur in umbra Paſchatis veſpertini ad Genitum ante Luciferum: eique ſubjiciebant ſimulacra pariter, & Kalendaria, ac feſta nationum. Ut verò ſemel apparuit in Paſchate illo σαυρωσίμῳ Cæli ſilentio, & terræ concuſſione adorandus totius naturæ Dominus,acReparator in luce prima Paſchatis ἀναϛασιμȣ̃; tum etiam poſteris placuit æterna illa jura tueri Sæculorum Regis immortalis, & uniuerſarnm Gentium faſtis præfigere triumphale Crucis myſterium, in quo gloriam ſuam aſſeruerat Unigenitus Patris. Summo itaque ſtudio utriuſque Teſtamenti Sacerdotes ſervire coegerunt omnem creaturam ſapientiæ Chriſti, collatis ad cultum Paſchalis feſti Judæorum, & Gentium Cyclis: Ut Angelus Teſtamanti non modò in manibus aſtra concluderet, quæ olim verbo condiderat, verùm & ſubſtrata calcaret eorundem myſteriorum veſtigiis, quæ impreſſerat. Ritè igitur S. Hippolytus in utroque hoc laterculo Auctori ſalutis noſtræ dicavit rationes temporum, ab Ægyptiis, Græcis, Romanis ſuperſtitionibus expiatas. Ritè Latini, Græcique Patres, & Alexandrini eo potiſſimum tempore Paſchale ſacrum excoluerunt, præfixis Catholicæ Eccleſiæ conſenſu ſanctiſſimis legibus, quo ad Mundi, & Solis cultum omnia idolorum portenta congeſſerant in circo, & ludis, Ethnicorum ſuperſtitiones, & impius deſertor fidei Julianus Auguſtus ſuo cum Sarapide, & Iſide, in coronarias monetas, ac in Feſta Romani Orbis rurſum induxerat. Ritè videmur & nos exemplum doctiſſimi Martyris ſequi, dum ex Kalendario Cæſaris, & Romanorum Periodis cum Hippolyti ſyſtemate, ac Cyclo diver-

diverſimmodè complicatis plures methodos excogitare contendimus, quibus Chriſtianum Paſcha legitima putatione indicetur.

Cæterum ex duplici invento Ogdoadum Julianarum per totidem literas in Cæſaris Kalendario depictas, & Canonis S. Hippolyti, per ſeptem elementa Feriarum circulum inſtauraturi, longè exactiſſimam Periodum Paſchalem componi poſſe derivatis utriuſque præſidiis, demonſtratum fuit non ita pridem in ſolutione Problematis, paucos ante menſes prælo commiſſa: ubi Cyclus octagrammus annorum 1184. non modò ad eandem horam, ſed ferè ad eadem minuta temporis ejuſdem Feriæ Novilunia reſtituit: & antiquorum præclara inventa noſtris uſibus coaptata, ſive Ægyptiorum ſpolia ſint, ſive Iſraelis donaria, *aureos* certè *numeros*, aureas literas, auream materiem, utpote à Viris tam præclaris profectam, eamque ductilem ad cæleſtium exemplar, elaborari curat in nobile candelabrum, in ſanctuario conſtituendum, ſicut in monte monſtratum eſt: ut Sacerdotis Magni myſteria ritè celebrentur: *qui penetravit Cælos, & Patri æqualis conſedit in dextera ſedis magnitudinis in Cælis, ſanctorum miniſter, & tabernaculi veri, quod fixit Dominus, & non homo.* Ad Hebr. VIII.

Parergon de Cyclo Octagrammo, ejuſque comparatione cum Cyclo S. Hippolyti, & cum Cyclo Cæſaris.

QVamvis ea, quæ ab utroque Cyclo S. Hippolyti, & Julii Cæſaris, hìc explicato, traducta ſunt ad caſtigatiores Tabulas Chriſtiani Paſchatis ordinandas, conſpici facilè poſſint tum ex ipſa Canonum, ſeu Tabularum comparatione, tum ex ſyſtematum ſingulorum textura, quæ in utraque hac diſſertatione, & in ſolutione Problematis Paſchalis exponebatur; attamen, ut evidentiùs appareat, quid ab antiquis petitum ſit, & quid antiquorum inventis ſuperſtruatur; hanc ipſam comparationem adjicere tamquam Parergon deliberavi. Huic verò loco deberi maximè illa videbatur; cum finis utriuſque Cycli (Cæſariani, & Hippolytei) exponendi ſit ordinatio caſtigatior Paſchalium Tabularum. Hoc autem conſilio ſuſceptus labor, & ad incitas fermè deductus, colligere debet veluti in corollarium quidquid excerptum fuit è veterum ſyſtematibus, & in diſſerendo contextum.

Breviter itaque poſitiones eorundem præcipuas, & imitationis noſtræ methodum exhibebo.

Vide pag.14.

Cyclus Cæſaris Octagrammus, ex literis verſicoloribus ordinatus, alternis annis diſponit literas ordine naturali A 1, A 2, A 3, A 4, B 1, B 2, &c., proùt explicatum fuit pag.14.: iiſque literis eundem adſpectum Lunæ cum Sole, & Syzygias luminarium oſtendit ad certam diem per ſingulos annos Julianos ex mediis motibus: & redigi poteſt ad enneadecaeterides Metonis, ab Eccleſia quoque uſurpatas. Cyclus S. Hippolyti, utpote Paſchati deſtinatus, indicat Lunaris ætatis diem quartamdecimam, ejuſque Feriam ad ſingulos annos Julianos ex literis ſeptem feriarum indicibus, diſpoſitis per totidem columnas ſedecennales: quarum literæ in eandem lineam tranſverſam incidentes naturalem ordinem ſervant, ſerie converſa, veluti more orientalium ſcriberentur G, F, E, D, C, B, A.

Vide pag.119.

Ratio diſpoſitionis Cæſarianæ colligitur ex annua Epacta Lunari, ſive ex differentia XII. Lunationum mediarum ab anno Tropico. Cuicumque anno vertenti, quem conſtituimus dierum 365. hor.5. minut.49. ſecund.2. ferè, ſi comparentur Lunationes XII. ſolidæ, conſtantes diebus 354. hor.8. minut.48. ſec.38., exhibent differentiam dierum 10. hor.21. m.0. ſ.24. At ſi comparatio inſtituatur inter annum Julianum communem & menſes XII. Lunares medios, differentia eſt dier.10. hor.15. m.11. ſec.22. Hæc differentia vocatur Epacta: quæ biennio exacto invenitur dierum 21. hor.6. minut.22. ſec.44. Tot igitur diebus & horis Luna poſt biennium Julianum ſolidum inſtaurat ſyzygias, alioſque adſpectus cum Sole.

Jam verò diebus 21. horis 6. minut.22. ſec.44.
Si addidero dies 8. horas 6. minut.21. ſec.19.

Erit ſumma dier.29. hor.12. min.44. ſec. 3.

nempe lunatio ſolida, ſeu menſis ſynodicus juxta motus medios. Inſtaurabitur itaque Luna poſt biennium ab Epocha aſſumpta diebus octo, & horis ſex. Rectè ergo indicabitur per literam Cæſaris A 2, quæ octava eſt ab A 1, biennio ante uſurpata.

Alia tamen eſt ratio quadriennii: quo cùm occurrat dies biſſextilis in anno Juliano, aſſumenda non eſſet poſt A 2 litera A 3, ſed G 2: quia ſcilicet dies ſeptem, poſt A 3 ad G 2 numerati, cum die biſſextili ſuo loco inſerta, ſummam darent dierum octo, Lunæ progreſſui debitam ſpatio biennii. Verùm horæ illæ biſſenæ, & minuta 44. quæ præter dies ſolidas

lidas adhuc ſupererant, aliam diem addi poſtulant. Non itaque G 2, ſed A 3 uſurpabitur ineunte anno quinto.

Rurſum poſt duplex quadriennium (quæ menſura eſt octaeteridis) aſſumenda eſſet litera G 4. Hæc tamen, cùm diſtet ab A 1 Ogdoadibus quatuor, ſive literis XXXII. (numeratis extremis); pertinet ad menſem ſecundum. Quærenda igitur eſt Luna menſis primi diebus XXIX. cum dimidio ante illam diem, quæ conſignatur litera G 4. Dies XXIX. ante G 4 eſt ea, quæ præfert literam C 1: dies XXX. ante G 4 eſt B 1: quæ propterea indicabit ſyzygiam anni noni in Epocha aſſumpta.

Denique poſt alteram octaeteridem eodem jure aſſumenda eſſet litera C 1; cùm pari intervallo adhæreat literæ B 1, quo B 1 adhærebat literæ A 1. Verùm horæ 12. neglectæ in fine primæ octaeteridis duplicantur in hac ſecunda: quare uti priùs aſſumebatur litera B 1 præcedens G 4 ſpatiis XXX., ſive ſpatio uno ſubſequens ipſam A 1; ita nunc aſſumenda eſt litera, quæ ſpatiis tantummodo XXIX. præcedat G 4, ſive ſpatio duplici ſequatur B 1. Ea verò eſt litera D 1: quam propterea rectè aſſignamus anno principi ſecundæ heccædecaeteridis. Inventâ primâ literâ heccædecaeteridis, pari numero ſpatiorum reliquæ fluent, ſi comparentur cum prima: ubi etiam vides, anno quarto ſedecennii ſecundi occurrere literam F 4, quæ pertinet ad diem triceſimam poſt diem A 1 principem Epochæ aſſumptæ. Annus ille quartus in ſedecennio ſecundo eſt annus primus enneadecaeteridis ſecundæ. Dum itaque triceſimo die conſignat Novilunium, conſignabit etiam primo. Perinde igitur fuerit aſſumere literam F 4, quæ pertinet ad diem triceſimam, ac literam A 1, quæ ſpectat ad diem primam. Idcircò evidens eſt connexio ſyſtematis Cycli Iuliani tam cum heccædecaeteridibus Latinis, quàm cum enneadecaeteribus Græcis, & Alexandrinis. Commodior autem videbatur uſus heccædecaeteridum, quàm enneadecaeteridum iis, qui ſervarent annum Julianum, quia ſingulæ heccædecaeterides quatuor biſſextiles referunt iiſdem in ſedibus: quod non præſtant enneadecaeterides. Quare non admodum miror, Latinos prætuliſſe Cyclum ſedecennalem Cyclo decemnovennali: licet aptari uterque poſſet literis Cycli Juliani.

Porrò S. Hippolytus, qui jam perſpexerat, ut quidem autumo, hanc harmoniam literarum Cæſaris cum diebus anni civilis ad Lunares motus aptè indicandos, conſtituit ejuſdem uſum traducere ad Cyclum Feriarum per ſingula ſpatia ſedecennalia. Ita enim fiebat, ut nihil deeſſet ad Chriſtianum Paſcha

quotannis deſignandum . Has itaque rationes iniſſe videtur .

In aliquam ex feriis ſeptem incidere cùm debeat ſyzygia; ſeptem columnæ ſedecennales expandendæ ſunt, præfixis literis indicibus ſeptem Feriarum juxta ordinem converſum, ea, quam dicemus, ex cauſa :

VII. VI. V. IV. III. II. I.

Deinde cùm intelligeret, poſt annos XVI. in anno Juliano deſcendere Lunationes triduo ſolido, & hora una cum triente (ſunt enim ut colligitur ex §. *Jam verò* Epactæ annorum XVI. dies 26. horæ 11. miuut. 21. ſec. 33. & menſis Synodicus medius, ſive lunatio ſolida dies obtinet 29. horas 12. minut. 44. ſec. 3.), hoc, inquam, cùm intelligeret, neceſſariò etiam intulit, per unamquamque heccædecaeteridem promoveri ſyzygias per ferias XXIII., ſive detractâ triplici hebdomadâ ſolidâ, procedere Lunam ſpatio ſedecennali in hebdomada per ferias duas, quæ in anno Juliano promovebatur per triduum. Quemadmodum igitur in Cyclo Juliano columnæ ſedecennales juxta ordinem naturalem diſpoſitæ aſſumebantur per quartam quamque, numeratis extremis; ita columnæ feriarum, ordine retrogrado collocatæ, aſſumendæ erunt alternis, donec ſeries tota expleatur. Expletur verò annis centenis, ac duodenis *Periodi minoris* : poſt quos fragmenta horarum collecta poſtulant diem immutari; unde columna ſubſequens inchoat ſecundam Periodum minorem, prout expoſui pag. 102. Cùm verò in heccædecaeteride recurrat ſpatia dierum æqualia in annis Julianis, quorum biſſextilibus & emboliſmis ita commenſuratur, ut nihil excedat, varietur nihil; pervidit planè S. Hippolytus, recurrere eadem intervalla feriarum in columna ſecunda ſedecennali, quæ obſervabantur in prima. Ut igitur ſemel expanſa fuiſſet columna princeps cum literis congruentibus; etiam conſequentes columnæ ſuapte natura diſponebantur, eodem ordine ſervato feriarum ſeptem in tranſverſalibus lineis, juxta ſeriem feriarum retrogradam, in columnarum vertice collocatam. In columnæ autem cujuſque deſcenſu alternis emboliſmis feriæ ſimiles occurrebant ad eaſdem ſedes : adeoque iiſdem in locis contingebat mutatio literæ, ac tranſitus in præcedentem columnam, ſupra explicatus. Quæ omnia in Cyclo enneadecaeteridum ſervari minimè poterant, incidentibus biſſextilibus in ſedes diverſas : tnm etiam, quia ſumma inæquali dierum conſtat enneadecaeteris quæ quatuor continet biſſextiles, ab ea, quæ quintum includit : adeoque numerum feria-

Sup. peg. 146.

rum

rum æqualem iiſdem intervallis annorum minimè reddit. Neceſſe igitur fuit, S. Hippolytum procedere per Octaeterides, & ſedecennia, ut ferias congruentes oſtenderet. At Julio Cæſari liberum fuit ſive per heccædecaeteridum, ſive per enneadecaeteridum ſpatia ſuas literas ordinare. Ut vero Cæſar ſingulos anni dies conſignavit aliqua litera ex octo aſſumptis ad Cyclum; ita S.Hippolytus diſtribuit ſingulis unum ex characteribus ſeptem ad indicium feriarum aſſumptis, & quartædecimæ Paſchali anni principis in Epocha aſſumpta Severi Alexandri Æræ Chriſti 222. Idibus Aprilibus anni Juliani characterem Septenarii attribuit, cùm ea dies incidiſſet in Sabbatum. Juxta hanc Epocham reliquis diebus Martii & Aprilis congruentes literæ aptatæ à nobis fuerunt in Tabella marginali pag.103.

Ætas verò ſubſequens cùm attendiſſet, feriam uniuſcujuſque diei haberi impoſterum expeditiſſimè in anno Juliano per Cyclum annorum CXII., neceſſe non habuit uti Cyclo literarum Hippolyti Martyris; ſed ejus loco Cyclum inſtituens literarum Dominicalium, ut Paſcha deſignaret more Chriſtiano, conſulere tantùm debuit Cyclum lunarem Cæſaris, vel alium quemlibet ex uſurpatis apud Græcos, aut Alexandrinos, ex quo Syzygiæ dies civilis in Kalendario colligeretur: ut deinde per Cyclum alterum perpetuum literarum Dominicalium, annis XXVIII., & annis CXII. inſtaurandum, Dominicam diem inveniret, quæ proximè occurreret poſt quartamdecimam Lunæ. Quare in veteri Kalendario, à Chriſtianis tranſcripto circa ſæculum quartum, apud Lambecium, videmus, etiam Dominicales literas ſingulis diebus apponi.

Vide ſup. pag.8. in margine.

Unum, aut alterum ſupererat ad Paſchales Tabulas ab omni vitio purgandas. Primum pertinebat ad ſedem Æquinoctii; alterum ad tertiam hebdomadam Lunæ cum die Paſchatis tali conſtantia connectendam, ut nunquam incurreret in quartamdecimam, nec tranſcurreret unquam ultra XXII. diem Lunaris ætatis. Æquinoctio, quotannis recedenti ad initia menſium proſpicere minimè potuit ætas Cæſaris, aut ſæculum S. Hippolyti; cùm Aſtronomi illorum temporum deſtituerentur obſervationibus neceſſariis ad anni vertentis menſuram liquidò cognoſcendam. Id feliciter peregit Gregorius XIII., triplici die amputata ex quatuor ſæculis Julianis. Poterant autem & veteres hanc rationem proximè aſſequi in duobus Periodis minoribus annorum CXII.: quarum ſingulæ die una & biennio decurtarentur. Vidimus enim pag.141. annis CCXX. Gregorianis ita reſtitui Ferias & Syzygias ad

eandem anni civilis diem, ut Æquinoctii quoque ſedes per aliquot ſaltem ſæcula die ſolida non diſtrahatur. Præſtari etiam potuit per ſedem mobilem Æquinoctii in modo anni Juliani per ſingulas periodos conſtituta, uti monueram pagina 142. Alterum, quod pertinuit ad Lunaris ætatis dies XIIII. & XXII. removendas ab incurſu Paſchæ, peragi minimè poterat citra æquationem literarum certis locis in Cyclo adhibendam, ubi ſemel definiretur: quod antiqui minimè præſtiterunt.

Utrumque igitur illud exquirebat à Mathematicis Gregorius. Utrumque autem præſtari poſſe affirmo ex veterum inventis, imitatione traductis ad eum Cyclum, quem dixi Octagrammum, hoc anno propoſitum ad ſolutionem Problematis Paſchalis.

Primùm itaque à S. Hippolyto id placuit aſſumere, ut ratio potior eſſet quartædecimæ, quàm Novilunii. Neque enim lex fuit antiquitùs tradita obſervandi punctum Novilunii medii, ſed diem primam, diem decimam, & diem quartamdecimam ætatis Lunæ. Sed neque Canones Eccleſiæ, aut ſcita Pontificum quidquam conſtituunt de puncto Novilunii medii. Verùm in Martyrologio legitur *prima dies* Lunæ, ſecunda &c.: & in Paſchate cavenda eſt dies Lunæ quartadecima, & XXII. eaque lex per conſuetudinem exponitur *juxta motus medios*. Quare cùm quartadecima dies Lunæ juxta motus medios ſint horæ illæ XXIV., quarum prima præcedit punctum Plenilunii medii horis 42.& minutis 22.; poſtrema verò ex XXIV.præcedit horis 18. & min.22.; & more majorum dies civiles computentur à media nocte, atque adeò perſæpe contingat, ut quartadecima illa media aliquot horis attingat partem poſtremam unius diei civilis, reliquas verò extendat ad aliam proximè conſequentem; ea demum ratio cavendæ quartædecimæ in Paſchate mihi videbatur tutiſſima, quæ utramque diem ciuilem,horas decimæquartæ includentem,ſive priores, ſivè poſtremas, à Paſchate excluderet: quod fieri tum demum contigiſſet, cum nomen decimæquartæ obtineret dies illa civilis, à media nocte numerata in Meridiano Romano, quæ poſtremas horas includeret ex illis XXIV. antea nemoratis.

Vide Solution. Probl. Paſch. pag. XXXIV.

Ad hanc igitur diem civilem quotannis indicandam, quæ poſtremas horas illius quartædecimæ cavendæ ſuis 24. à media nocte putatis includeret, adhibendas eſſe cenſui literas Cæſaris ad ſingula ſæcula Gregoriana, diſpoſitas in Cyclum decemnovennalem, quinquies repetendum: cujus iteratio ſexta non expleretur eodem labente ſæculo. Verùm quia etiam ratio aliqua habenda erat diei primæ ætatis Lunæ, à qua

neceſſe

neceſſe erat præcedi electam diem quartædecimæ diebus tredecim, placuit etiam literas ordinare, XIII. cellulis præcedentes illas, quæ adhibebanrur ad quartamdecimam conſignandam. Expandendus itaque fuit menſis duplex, Martius, & Aprilis, ejuſque diebus ſingulis litera una tribuenda fuit cum nota coloris: quam notam dico *adpunctionem*; exemplo ſcilicet Cycli Cæſaris, indicantis per colores quatuor, & literas octo dies ſingulas lunæ primæ in unoquoque trimeſtri. Ne autem confunderentur Lunares literæ cum Dominicalibus, jam affixis ac diſtributis in Kalendario Gregoriano; Lunares octo literas conſtitui L M N O P Q R S, ſuis adpunctionibus, hoc eſt coloribus variandas. Certi erant termini lunæ primæ, à die 8. Martii ad 5. Aprilis, nec non termini quartædecimæ Paſchalis à die 21. Martii ad 18. Aprilis. Satis igitur fuit haſce dies ab 8. Martii ad 18. Aprilis ornare literis ſingulis, & adpunctionibus: ut earundem indicio dies quælibet utilis Novilunio civili, aut decimæ quartæ Paſchali nominaretur. Quod ſi mihi fuiſſet integrum, ut Cæſari fuit, eam diem conſtituere anni & Cycli principem, in qua Novilunium occurreret cum mediis motibus componens veros, eamque diem dicere potuiſſem 8. Martii; diei 8. Martii affixiſſem literam L cum adpunctione 1.: poſt quam ſequentes dies obtinuiſſent reliquas literas M 1, N 1, O 1, P 1, Q 1, R 1, S 1, L 2, M 2 &c. Verùm utendum fuit anno jam conſtituto, atque adeò literam L 1 apponere debui diei Martii vel Aprilis, in quam aliquod ſæculum Periodi Paſchalis Lunæ diem primam referret, medios motus & veros conſerentem. Selegi igitur illam, quæ contigit initio hujus ſæculi, cùm obſervaſſem anno 1701. diem decima Martii verſari Lunam circa Apogæum ſuæ orbitæ, dum Soli conjungeretur: prout etiam in Plenilunio Paſchali gradus perigæo proximos tenente Luna, medii motus & veri fermè concurrebant. Nam Plenilunium verum incidit in horam 21. cum quadrante poſt meridiem diei 23. Martii (ſtylo Gregoriano) ad meridianum Romanum, ſive hora XI. poſt mediam noctem diei 24., feria V.: & Plenilunium medium hora circiter una antevertit. Pertinuit igitur finis decimæquartæ diei Lunæ tam juxta veros, quàm juxta medios motus ad feriam IV., cùm ante mediam noctem horis octo ſolidis præcederet finis XIV. ante initium feriæ V. Hac itaque quartamdecimam pertinentem ad diem 23. Martii tam juxta veros, quàm juxta medios motus, cardinem reliquarum fore conſtitui: ejuſque Lunæ diem primam, quæ incidebat in X. Martii (XIII. diebus ante quartamdecimam) notavi *litera prima* & *adpunctione*

ne

	Martii.		*April.*		
☽	8	R 1	1	R 4	
	9	S 1	2	S 4	
	10	L 1	3	L 4	
	11	M 1	4	M 4	
	12	N 1	5	N 4	
	13	O 1	6	O 4	☽
	14	P 1	7	P 4	
	15	Q 2	8	Q 5	
	16	R 2	9	R 5	
	17	S 2	10	S 5	
	18	L 2	11	L 5	
	19	M 2	12	M 5	
	20	N 2	13	N 5	
☉	21	O 2	14	O 5	
	22	P 2	15	P 5	
	23	Q 3	16	Q 6	
	24	R 3	17	R 6	
	25	S 3	18	S 6	☉
	26	L 3			
	27	M 3			
	28	N 3			
	29	O 3			
	30	P 3			
	31	Q 4			

ne prima nempe L 1. Dies conſequentes Martii & Aprilis obtinuerunt literas, quas ordo alphabeti, & adpunctiones, quas numerorum ſeries poſcebat, ut in margine exprimendum curavi. Addere tamen oportuit ante diem x. Martii duas illas dies præcedentes 8. & 9., quibus Novilunia ſi contigerint, habentur Paſchalia. Propterea literas ante L 1 adhibere oportuit, quæ in ogdoadibus proximis ſolent L præcedere, nempe R & S. Inſuper cellam diei 7. vacuam reliqui, occupandam litera Q, ſi forte placuiſſet Novilunii terminum una die proferre, propterea quod Æquinoctium aliquando incurrat in diem 20. Tum verò ſeries ogdoadis primæ eſſet Q 1, R 1, S 1, L 1, M 1, N 1, O 1, P 1; ſeries ſecundæ Q 2, R 2, S 2, L 2, M 2 &c. Ceterum quia terminus Æquinoctii aptiſſimè definitus videtur per Gregorii conſtitutionem die 21. Martii, ut in ſolutione Problematis Paſchalis oſtenſum fuit, quòd ea dies ſemper referat aut verum aut Medium Æquinoctium Vernum in anno Gregoriano; idcircò terminum Novilunii Paſchalis retinendum eſſe duxi ad diem 8. juxta ſanctiones Patrum, & literas atque adpunctiones ita expandendas, ut ab R 1 die 8. Martii, ubi citima eſt neomenia Paſchalis, ordine collocarentur ad S 6. die 18. Aprilis, ubi tardiſſima eſt quartadecima ex iis quæ habentur Paſchales.

His ita conſtitutis, duplex Cyclus expandi poterat literarum, quorum unus quartaſdecimas dies Paſchales quotannis indicaret per literas 29. ab O 2 die 21. Martii procedentes ad S 6. Aprilis 18.: alter verò Cyclus referret literas neomeniæ Paſchatis à citimo termino diei 8. Martii, literâ R 1 conſignato, ad tardiſſimum Novilunium diei 5. Aprilis, notatum litera N 4. Uterque autem Cyclus procederet juxta ordinem Cycli Cæſariani, proferendo homonymas literas per biennia. Cum verò anno primo hujus ſæculi 1701. litera L 1 eſſet index neomeniæ Paſchalis; poſt biennium uſurparetur L 2, poſt quadriennium L 3, poſt ſexennium L 4: & reliquis annis enneadecaeteridis juxta intervalla Cycli Juliani ſumendæ eſſent literæ. Verùm quia potior eſt ratio decimæquartæ, quàm Novilunii; placuit à die 21. Martii auſpicari alteram ſeriem, quæ diem quartamdecimam Lunæ Paſchalis obſignat.

Sunt igitur dies 29. tributi neomeniæ Paſchali: & dies totidem aſſignati decimæquartæ Paſchali. Novilunia indicantur literis ſeptem notatis *adpunctione* unitatis R 1, S 1, L 1, M 1, N 1, O 1, P 1, (omiſsâ Q 1 ex cauſſa jam explicata); octo præferentibus adpunctionem binarii 2 à Q 2 ad P 2;

totidem

totidem cum nota ternarii à Q 3 ad P 3 ; & ſex cum ſigno quaternarii à Q 4 ad N 4. Quartædecimæ autem Paſchalis indices erunt literæ duæ cum nota binarii O 2, P 2; octo cum adpunctione ternarii à Q 3 ad P 3 ; totidem cum cifra quaternarii à Q 4 ad P 4; octo pariter cum indicio quinarum à Q 5 ad P 5; tres denique cum ſenario adhærente à Q 6 ad S 6.

Hæc autem obſeruatio monet, unde petenda ſit prima literarum adpunctio, & quò protrahenda ſit poſtrema in diſpoſitione earundem per annos alternos Cycli decemnovennalis, ita ex his ordinandi quemadmodum ordinatus fuit ex Julianis. Neque enim recedi velim à Cyclo enneadecaeteridum, tot nominibus commendato, ſed potiſſimùm ſuffragio Patrum doctiſſimorum Nicænis temporibus æqualium, & conſuetudine, ac praxi diuturna Eccleſiæ Catholicæ, per ſæcula XII. tam apud Orientales quàm, apud Occidentales non intermiſsâ. In Cyclo autem Juliano biennia contigua primæ enneadecaeteridis haſce literas obtinebant A 1, A 2, A 3, A 4: quibus abſolutis aſſumebatur proxima litera B 1, B 2, &c. annis imparibus: verùm in ſerie annorum parium literis C 3 C 4 non ſuccedebant proximæ D 1, D 2, D 3, D 4, ſed alternæ E 1, E 2, E 3, E 4. Eadem methodo etiam in hoc ſyſtemate, annis quidem imparibus primæ enneadecaeteridis poſt L 1, L 2, L 3, L 4, aſſumentur M 1, M 2, M 3, M 4: ſed in ſerie annorum parium poſt O 2, O 3, O 4, aſſumentur non proximæ P 2, P 3, &c. ſed alternæ Q 2, Q 3, Q 4: cujus ordinis cauſſam ſupra aperuimus pag. 146. §. *Ratio & ſeqq.* Sin placeat quartaſdecimas indicare; à litera Q 3 quæ pertinet ad annum 1701., exacto biennio proceditur ad Q 4, tum ad Q 5, Q 6: ultra quem terminum literæ Q ad punctiones in quartiſdecimis non excurrunt. Biennio poſt Q 6, aſſumetur R 3, quia R 2 non pertinet ad quartaſdecimas, ſed ad Novilunia; tum R 3, R 4, R 5, R 6. Ut autem binæ literæ adhærentes cum ſuis adpunctionibus exhauſtæ ſunt, ſuccedent illis non proximæ S 3. S 4., ſed alternæ L 2 L 3, L 4: quæ in alteram enneadecaeteridem excurrunt in qua pertinent ad annos pares. Variatur parumper ſeries cauſſa æquationum certis in locis, ut modò oſtendam.

Si ergo ſtatutum foret, ne quid exactiùs obſervaremus circa incurſum quartædecimæ; hæc una diſpoſitio ſufficeret (quam in margine adſcribam) aptanda huic ſæculo. Verum aſſumere placuit methodum multò caſtigatiorem, ad excludendam à Paſchate Chriſtiano quamlibet partem diei quartædecimæ Lunaris ætatis, quæ duas vel tres horas excedat. Quin etiam

	Novil.		☽ XIV.
1701.	L 1		Q 3
2	O 3		L 5
3	L 2		Q 4
4	Q 1	* N 2	O 2
5	L 3		Q 5
6	Q 2		N 3
7	L 4		Q 6
8	Q 3		N 4
9	M 1		R 3
10	Q 4		N 5
11	M 2		R 4
12	R 1		P 2
13	M 3		R 5
14	R 2		P 3
15	M 4		R 6
16	R 3		O 4
17	O 1		L 3
18	R 4		O 5
19	O 2		L 4

* vel *L6 S6*

etiam literarum loco ſubſtitui poſſe comperimus Epactas à Gregorio diſtributas diebus ſingulis anni civilis, & in Kalendario conſignatas.

Subſtitutio epactarum nullo negocio fit. Ut enim literæ per ſingulas Ogdoadas procedunt juxta ſeriem numerorum intra biennium; ita Epactæ Gregorianæ Julianis literis adhærentes, unitatibus octo decreſcent intra biennium. Eſſet itaque ſeries Epactarum ad biennia annorum parium & imparium labentis ſæculi ita diſponenda, ut margo demonſtrat, ſi nulla æquatio literis & Epactis adhibenda foret, ut nunquam inferant horas tres diei quartædecimæ in eam civilem, quæ ex Cyclo habebitur decimaquinta. Verùm ut in Cyclo decemnovennali augmentum annuum Epactæ conſtituitur XI. unitatum, præterquàm in anno poſtremo, cui adduntur XII. quâdam æquationis regula: quæ iterum æquanda eſt ad certos annos ſæculares per illum excurſum in proximam lineam Epactarum, quem Lilius excogitavit; ita & in Cyclo octagrammo hiſce numeris Epactarum imminutis octonario ad ſingula biennia adhibendæ ſunt æquationes, ut ſemper excludant horas quartædecimæ juxta motus medios à die Paſchali.

Anni impares.		*Anni pares.*	
1701.	XXI.	1702.	II.
3.	XIII.	4.	XXIV.
5.	V.	6.	XVI.
7.	XXVII.	8.	VIII.
9.	XX.	10.	*
11.	XII.	12.	XXII.
13.	IIII.	14.	XIV.
15.	XXV.	16.	VI.
17.	XVIII.	18.	XXVIII.
19.	X.		

Hoc autem intereſt inter communem methodum Cycli Epactarum, & Epactas has Octagrammas; quod Epactæ communes, licet æquatæ ſint æquatione enneadecaeterica, & ſæculari; attamen à mediis motibus toto triduo nonnunquam aberrant. At methodus æquandi, quam in Octagrammo Cyclo præſtamus, nunquam removet decimamquartam Cyclarem extra horas mediæ, & nunquam ſinit horas decimæquartæ mediæ ita excurrere in diem Paſchalem, ut ad aliquem meridianum Europæ omninò libera non ſit Dominica Paſchalis ab horis XIV. mediæ citra excurſum ultra hebdomadam tertiam Lunæ. Rurſus hoc habet proprium methodus Octagramma, quod æquationes hìc adhibendæ non pendent ex arbitrio Auctoris, ſed ex legibus mediorum motuum: adeoque incertæ nequaquam erunt, ut incertæ dici poſſunt Epactæ aliorum ſyſtematum, ſi cum mediis Lunæ motibus conferantur.

Methodus igitur æquandi Epactas ad unumquodque ſæculum ex Cyclo Octagrammo talis proponitur. Expandenda ſunt Plenilunia Paſchalia, per motus medios ad meridianum Urbis collecta, ſex in columnas decemnovennales juxta ſchema propoſitum in ſolutione Problematis Paſchalis. Deinde annis ſingulis primæ enneadecaeteridis obſervare oportet, in quam diem civilem incidat hora poſtrema diei quartædecimæ

mæ Lunaris ætatis juxta motus medios, hoc eſt illa, quæ horis octodecim cum dimidia præcedit punctum Plenilunii medii. Colligentur Epactæ undeviginti, quæ reſponſuræ ſunt annis totidem enneadecaeteridis primæ. Diſpoſitio cellularum centum ad vnamquamque Epactam refert annos quinque, aut ſex, tranſverſo ductu, in eadem linea, proximè conſequentes poſt annos XIX. In Cellulis Pleniluniorum, præter dies, & horas adſcriptæ ſunt etiam Feriæ.

Si nullum Plenilunium ex illis quinque, aut ſex, pertinentibus ad eandem Epactam, incidit in diem Dominicam, quæ ſimul ſit dies dies Epactæ, vel proximè ſequens; tunc Epacta quæ aſſumpta fuit, nulla indiget æquatione. Sin verò incidat Plenilunii hora in eandem diem quartædecimæ Cyclaris, aut in proximè conſequentem, quæ ſimul ſit dies Dominica ſeu Feria I.; tunc Epacta augenda eſt, vel minuenda unitate. Minuenda eſt unitate ſi dies Plenilunii ſit conſequens, & hora oppoſitionis mediæ ſuperet ſeptimam à meridie. Augenda antem eſt unitate, ſi dies Plenilunii medii eadem ſit quæ ab Epacta tribuitur decimæquartæ, & hora oppoſitionis non attingat ſeptimam à meridie in Meridiano Romano. Exemplo res illuſtrabitur.

In prima enneadecaeteride hujus Sæculi, anno ejus quinto, litera Cycli Octagrammi reſpondens Novilunio eſſet L 3, affixa diei 26. Martii: quare Epacta V. aſſumenda foret. Dies verò quartadecima ætatis Lunæ eſſet conſignanda litera Q 5, attributa diei 8. Aprilis. Plenilunium medium Paſchale anni 1705. continget die 8. Aprilis horis 8. minut. 57. poſt meridiem Romæ. Idcircò poſtrema pars Lunæ XIV. juxta motus medios obtinet horas fermè tres ejuſdem diei civilis, à media nocte proximas. Rectè igitur conſignat Cyclus diem quartamdecimam. Ut explorem, an æquanda ſit litera, vel Epacta, percurro Plenilunia Paſchalia, quæ pertinent ad eandem lineam tranſverſam annis 24. 43. 62. 81. ejus ſæculi. Video Plenilunium anni 1781. incidere in diem Epactæ 8. Aprilis, quæ ſimul eſt dies Dominica. Hora autem Plenilunii tertia eſt poſt meridiem. Pertinet igitur quartadecima ad diem præcedentem, nempe ad Sabbatum 7. Aprilis; cùm ante mediæ noctis terminum ſuas horas 24. ſolidas jam præmiſerit. Quare ſi Epacta non retraheretur, differendum eſſet Paſcha in Dominicam proximam 15. Aprilis, ultra Lunam XXII., quæ clauditur ante mediam noctem diei 14. Ne itaque hoc vitium inferatur Paſchati, æquanda eſt Epacta per additionem unitatis: ut ex die 8. Aprilis retrahatur in ſeptimam, juxta regulam aſſignatam, quæ præcipit, Epa-

ctam

ctam augeri unitate, quoties horæ poſt meridiem non excedant ſextam, & eadem dies futura ſit Plenilunii medii, & quartædecimæ Cyclaris. Porrò cùm Epactæ reſpondere litera debeat, aſſumenda eſt præcedens litera, adhærens Epactæ ita adauctæ: nempe loco literæ L 5, uſurpanda eſt in Novilunio S 5; & loco Q 5, aſſignabitur quartædecimæ P 4: ut in expanſione Tabulæ obſervatum fuit. E contra anno XII. occurrit litera O 2, juxta Cyclum; nam Plenilunium Paſchale anni 1712. juxta medios motus incidit in diem 22. Martii ipſo in meridie: quare finis quartædecimæ pertinet ad diem 21., cui debetur litera O 2, index XIV., & litera R 1, ſive Epacta XXIII. index Novilunii ad diem 8. Martii. Verùm in ſerie tranſverſa hoc eodem Sæculo ad annum 1650. occurrit Plenilunium Paſchale Martii 22. die Dominica horis 9. poſt meridiem: propterea eodem anno quartadecima dies Lunæ ad eandem diem 22. referri debet. Si ergo dies 21. aſſumeretur quartadecima, die ſequenti Paſcha indicendum commune foret cum Judæis, & quartadecimanis legitimè indicturis ſuum Paſcha legale ad eandem diem. Ne igitur id eveniat, æquare oportet Epactam detractione unius numeri, ſive deſcenſu ad literam conſequentem: ut quartadecima pertineat ad diem 22. indicandam per literam P 2; & Novilunium referatur ad diem 9., quæ oſtendetur ab Epacta XXII., in Tabulis rectè conſignata. Hæc autem variatio ſive æquatio non officit Paſchati anni 1722., quod loco non dimovet, neque protrahit ultra hebdomadam tertiam Lunæ: imo & aliquem terræ meridianum teſtem habet rectæ numerationis; cùm ad illius planum dies 22. Martii anni 1712. horam poſtremam quartædecimæ diei ætatis Lunæ contineat, uti fuſius explicui in ſolutione Problematis Paſchalis.

Collegimus ergo in Cyclo Octagrammo ab antiquorum inventis obſervationem quartædecimæ potiùs, quàm Plenilunii cum S. Hippolyto; methodum Cycli per octo literas cum Julio Cæſare; diſpoſitionem enneadecaeteridis cum Metone, & cum Chriſtianis Patribus Orientis, & Occidentis.

Adjecimus æquationem Æquinoctii Verni cum Gregorio XIII.; uſum Epactæ loco literarum cum eodem Pontifice; & ipſius Epactæ æquationem, ferè conclamatam: eamque ordinandam eſſe diximus, non ex arbitrio, ut in aliis Cyclis, ſed certa demonſtratione, & loco exploratam ex mediis motibus.

Denique adjecimus terminos Periodi Magnæ annorum 1184. univerſa reſtituentis: per quam id commodi perceptum iri oſtendebam, ut hac ſerie annorum 1184. ſemel expanſâ, quotquot Periodi conſecuturæ ſint explicari quantocyùs poſſint.

Regulas

Regulas autem Cycli Octagrammi tribus, aut quatuor numeris colligam.

1. *Cuicumque Sæculo Epactæ undeviginti aſſignentur, diebus certis anni civilis, quibus debetur decimaquarta juxta motus medios, nempe hora* 19. *ante punctum Plenilunii Paſchalis. Ita verò pendeant Epactæ conſequentes ab iis, quæ primo & ſecundo anno tributæ ſunt, ut differentia ad ſingula biennia ſit octidui, nempe annis alternis aſſumendæ ſunt literæ homonymæ ſequentis Ogdoadis, ſive adpunctionis, niſi æquationis regulæ mox afferendæ poſtulent eaſdem variari.*
2. *Expleta prima octaeteride in utraque columna annorum parium, & imparium, Epacta augeatur unitate, hoc eſt anno* IX. *in columna imparium, & anno* X. *in columna parium. Verùm advertendum eſt, Epactam Gregorianam* XXIV. *eſſe loco* XXV. *cùm adhæreat Epactæ* XXVI., *&* XXV. *ſcribatur cifris Indorum.*
3. *Æquatio adhibenda eſt numeris ita collectis ex inſpectione annorum quinque, vel ſex, pertinentium ad eandem lineam tranſverſam, juxta ſequentem regulam.*
4. *Si iiſdem annis Plenilunium inciderit in diem quartædecimæ aſſumptæ, quæ ſit Dominica, & horæ non attigerint ſeptimam à meridie; augenda erit Epacta unitate, & litera præcedens aſſumetur. Sin Plenilunium contigerit die Dominica poſtridie ejus diei, quæ tribuebatur quartædecimæ Cyclari; & horæ exceſſerint ſeptimam à meridie; minuenda erit Epacta unitate, & litera proximè conſequens aſſumetur.*

Per quatuor haſce regulas caſtigatiſſima Epacta collecta eſt ad Sæcula XII. Periodi Paſchalis magnæ annorum 1184.: quibus abſolutis univerſa inſtaurari demonſtravimus in ſolutione Problematis Paſchalis: ubi oſtendebamus, continuari poſſe Cyclos quoties libuerit nulla cum Paſchatis labe, aut incurſione in diem XIV. ſive in XXII. Lunæ: quod erat juxta Gregorii regulas exquirendum.

Tradi etiam poſſet methodus Epactæ, aut literæ tribuendæ ſingulis annis per heccædecaeteridas, exemplo S. Hippolyti. Verùm ab his abſtinemus; cùm receptæ jam ſint enneadecaeterides, totis XIIII. Sæculis ab Eccleſia uſurpatæ: & iiſdem aptatas fuiſſe demonſtraverim tam literas Cycli Octagrammi, quàm Epactas Gregoriani, ſuperiori æquatione ita exactas ad ejuſdem Pontificis inſtitutum; ut omnis incurſus die Paſchalis in quartamdecimam, & excurſus ultra tertiam hebdomadam Lunæ à Temporariis Tabulis avertatur: & nulla

Canonum cum offenſione Redemptionis noſtræ myſteria in Paſchate recolenda quotannis ritè indicantur.

Ne tamen aliquid in Parergo deſideretur, quod pertineat ad facilem comparationem Cyclorum, quos expoſuimus, tam inter ſe, quàm cum univerſorum Paſchatum Chronologia ab Exodo ad noſtrum ſæculum; colligere conſtitueram præcipuas Tabellas ad hujuſmodi computum pertinentes, & in utraque diſſertatione propoſitas, ac explicatas: eaſque in folium unicum ita compingere, ut bifariam dividerentur: & quæ in priori pagina eſſent, indicarent Paſchata ab Exodo ad S. Hippolytum; quæ autem in poſteriori connecterentur, enunciarent Paſchata ab anno primo Imperatoris Severi Alexandri, ſive ab Æra Hippolyti Martyris ad noſtram ætatem. Verùm cùm intelligerem, è ſyſtemate Hippolyteo exſcribi poſſe Tabellas longè caſtigatiores, ubi certa ſuis locis aptaretur æquatio (quod ſupra innueram pag. 114., cùm aſſererem, complures methodos æquationum obverſari animo, dum Hippolyti Cyclum una cum Juliano compoſitum explicare inſtituerem); idcircò crediderim, erudito Lectori id potiùs probatum iri, ſi in medium proferam æquatam rationem Periodorum Hippolyti, compendio Tabularum ita collectam, ut ictu oculi reddi poſſit uniuſcujuſque Paſchatis certa ratio à Moſe ad noſtram ætatem, & aſſignari valeat per annos ſingulos in Julianis prolepticè extenſis ad ſæcula quindecim ante Cæſarem, dies menſis, & Feria hebdomadæ, congruens quartædecimæ Paſchali: tum in promptu ſit proferre ex eodem ſyſtemate correctam indicationem Paſchatis ad ſæcula conſecutura. Id autem Hippolyto duce expedire poſſe confidimus, vel Auctore illo compendioſiùs, quem laudat conterraneus meus Catullus, quòd auſus fuerit,

Omne æuum tribus explicare chartis.

Hanc verò ut poſtremam operis iſtius curam, ita & præcipuam haberi à Lectoribus velim, licet in Parergo propoſitam. Quamobrem, ſive explicationem dicendam eſſe duxerint marmoris Hippolytei, ſive corollarium inde collectum; ad eandem referant cupio acriora ſtudia, & judicia. Hoc autem nomine paullò fuſiùs exponam methodum univerſam ſyntheſeos, ſive compoſitionis tum Tabularum, tum æquationum, & uſum earundem.

Laterculus heptagrammus Canonis Hippolytei, per ſeptem columnas ſedecennales expanſus, literis ſeptem, certa connexione contextis, indicat Ferias (uti ante diximus) quotannis incidentes in Paſcha Hebræorum, ſive in diem quartamdeci-

mam

mam menſis Niſan. Unicuique columnæ præfigitur litera una, ordine converſo à ſeptima ad primam, ſi Græco aut Romano more legas à ſiniſtra in dexteram: quæ ordine naturali ſuccedunt, ſi Hebræorum & Orientalium ritu proceſſeris in legendo à dextera in lævam. Columnarum verò ſingulæ ita imitantur diſpoſitionem primæ, ut quo intervallo in iſta ſe conſequuntur Feriæ annuæ Paſchales per annos XVI., eodem planè recurrant in ſubſequentibus per totidem proximè numerandos. Videbatur itaque ſatis conſultum fore toti Periodo ſeptem heccædecaeteridum, ſi prioris ſedecennii literæ cum cæleſtibus numeris aptè conſentirent. Mediorum enim motuum æquabilis ratio cùm ſit; reſtituit eaſdem oppoſitiones ac ſynodos paribus temporum intervallis. Paria verò ſunt quæ dies totidem naturales continent juxta Solis converſiones, æqualibus pariter motibus civili putatione diſtinctas in Kalendario per ſingula ſedecennia, eodem numero annorum communium, & biſſextilium ſemper ditata. Verùm horæ, quæ abundant ſupra dies ſolidas in motibus Lunæ à Sole, Feriam primæ heccædecaeteridis variant in conſequenti. Quod ſi menſes Lunares duodecim juxta medios motus definirentur diebus ſolidis 354. nulla horarum fractione auctis aut imminutis, vel ſi aliqua fragmenta temporis quæ ſupereſſent, in fine ſedecennii pertingerent ad diem ſolidam; conſignatio Feriarum expedita maximè, & conſtans haberi poſſet. Fac enim XII. menſes ſynodicos, ſive Lunationes juxta motus medios compleri diebus 354. ſolidis. Quotannis progrederetur Paſcha in ſerie Feriarum hebdomadæ per Ferias quatuor; nam dies 350. dant hebdomadas ſolidas quinquagenas: quibus abſolutis, ſuperſunt quatuor dies ſolidæ, ſeu Feriæ ad complementum duodecimæ Lunationis. Ut ergo anno primo incidiſſet quartadecima dies menſis primi ſeu Paſchalis dies Hebræorum in Sabbatum, notandum in Canone litera G (uti anno primo Severi Alexandri S. Hippolytus conſignavit die 13. Aprilis); quartadecima menſis Niſan anni ſecundi, ab illa diſtans per 50. hebdomadas ſolidas & Ferias quatuor, incideret in Feriam IV. notandam litera D: anno ſequenti poſt alias 4. Ferias ſupra hebdomadas 50. procederet ad Feriam primam, notandam litera A: quod factum vides à B. Hippolyto in ea columna, quæ prima eſt Græcè, ac Latinè ſcribentibus à ſiniſtra in dexteram. Sin autem ratio horarum habeatur, quæ ſuperaddunt diebus ſolidis 354. anni Lunaris per annos communes quidem horas 8., & minuta 49. circiter; per emboliſmicos verò (qui tredecim Lunationibus mediis conſtant ſeu diebus 383. horis 21., & min.32. ſecund.41.)

G
D
A

ſupra dies 354. addunt Ferias 29., & horas $21\frac{1}{2}$ nempe hebdomadas quatuor, & Ferias fermè duas; perſpicuum eſt, anno tertio ineunte, aſſumendam eſſe loco Feriæ primæ A Feriam ſecundam B (cùm ſeptemdecim horæ jam collectæ pluſquam dimidium diei adjiciant): & quarto anno embolimæo, quo ſex Feriis Paſcha procederet ſi 383. diebus ſolidis conſtituerentur menſes Lunares XIII., litera G, ſexta ſcilicet poſt A (literam anni tertii in hypotheſi dierum ſolidorum 354. anni communis), ſequeretur in Canone, quarto loco ſeu cella columnæ conſignanda, uti S. Hippolytus conſignavit. Sed in hypotheſi adjectiva horarum, quæ anno tertio tribuebat literam B, anno quarto aſſignare debet ſextam literam poſt B nempe A; cùm dies 383., & horæ $21\frac{1}{2}$ accedant proximè ad Ferias ſex ſupra hebdomadas integras 54.

Æquatio per horas ex Tab. A. pag. 171.	Hypotheſis ex diebus ſolidis in Cyclo S. Hipp. pag. 92.			
g	G	anno	1.	
d	D		2.	
* b	A		3.	
a	G		4.	Emb.
e	D	&c.	5.	
&c.				

Rectè igitur diſponit Hippolytus in expanſione ſui Canonis non æquata per horas, ſeu per fragmenta dierum, literas G, D, A, G, D, &c., ut oſtendat originem primam Cycli Ferialis: quam ſubtiliori horarum indagine æquare deinde oportet per Tabellas, uti præſtitimus in ea, quam indicamus pag. 171. litera A diſtinctam: ubi anno tertio aſſumitur loco literæ a litera b index Feriæ ſecundæ: & anno 4. Embolimæo, loco literæ g adhibetur litera a index Feriæ primæ. Unde autem petenda ſit ſeries literarum b, a, e, per æquationem aſſignandarum, ſi quiſpiam interroget; aſſero, colligendam ex ipſa diſpoſitione columnarum Canonis Hippolytei: cujus concinna diſtributio eaſdem literas ſuggerit ordine, quem oſtendimus in eadem Tabella A pag. 171.; ſi nempe tranſitus fiat in columnam præcedentem ſiniſtrorſum quoties aſteriſcus apponitur. Ubi verò aſteriſci duo adponuntur, columna duplex eſt tranſmittenda, pariter ſiniſtrorſum, in qua leguntur literæ conſequentes, donec alius aſteriſcus occurrat, aut expleta ſit columna. Ubi autem appoſita eſt lineola tranſverſa, Feria conveniens anno ita conſignato petitur ex columna altera dextrorſum poſita: ex qua tamen non deſcribuntur Feriæ ſubſequentes; ſed illicò reditur in columnam jam uſurpatam, donec aſteriſcus doceat eam eſſe dimittendam. Expendenti motus medios apertum fiet, quanta concordia ſit Feriarum ita deſcriptarum per æquationem ex columnis Hippolyteis, cum Feriis, quæ debentur quartædecimæ ex mediis motibus Lunæ à Sole. Moneo tamen, aliquando datâ opera aſſumi quartamdecimam aliquot horis tardiorem, ut ſubſequens præceſſio horarum $8\frac{3}{4}$ annuarum paria ſubinde faciat. Id verò præſtamus per tranſcurſum in columnam alteram, ubi duplices ſunt aſteriſci. E contra

non-

nonnunquam oportet Feriam imminuere duplici gradu: quòd ſcilicet annus præcedens, qui in heccædecaeteride Hippolytea fuiſſet Embolimæus (cella ſcilicet 1. 4. 7. 9. 12. 15.) communis proceſſerit ob terminos Æquinoctii. Hac de cauſa cùm menſis anterior adhibeatur ei, qui poſt Emboliſmum inſertum occurreret, minuitur etiam Feria duplici gradu vel unico, prout horarum ratio deſiderat: quod obſervabis ubi linea tranſverſa eſt appoſita annis 41. 57. 60. &c. Reditur verò ſtatim in columnam antea uſurpatam poſt ademptionem Feriæ, quia Emboliſmus inſeritur anno proximè conſequenti: à quo duplicis Feriæ additamentum apponitur ſupra quaternas, uti ſupra memorabamus, cùm Lunatio plena dierum xxx. duas Ferias adjiciat ſupra hebdomadas ſolidas quaternas.

Non longè abeſt ab hoc ſyſtemate Canonis Hippolytei, ita per nos æquati, uterque Cyclus Hebræorum collectus per Ferias, horas, & ſcrupula (qualium 1080. unam horam conſtituunt) ad Periodum Calippicam attemperatus circa annum Chriſti 368.: ubi quotannis incrementa Feriarum colliguntur, non modò ex diebus ſolidis, verùm etiam ex horis, minutis, ſcrupulis, ac momentis. Noſtri autem Patres Alexandrini circa eandem ætatem, qua Theophilus in vivis agebat, horarum quoque rationes collegerunt, ut ex Epiſtolis Cyrilli perſpicitur. Omnibus verò facem prætulit Hippolytus: à quo Cycli decemnovennalis occaſionem ex heccædecaeterico ſumpſiſſe Cæſarienſem Euſebium auctor eſt Sanctus Hieronymus. De Script. Eccl. cap. 61.

Methodum igitur aperuimus conſtruendæ Tabulæ A ex Hippolyti literis per tranſcenſum in proximas columnas, ubi æquationis ratio ex horis petenda poſtulabat. Ejuſdem Tabellæ uſus dubius eſſe non poteſt. Nam dato aliquo anno ante, vel poſt Æram Chriſti, cujus quartædecimæ Paſchalis inquiritur Feria; ſi annus congruit cum aliquo ex iis, quos principes numeramus alicujus Periodi minoris ante, vel poſt Hippolytum, recenſitis in fronte columnarum per Tabulas D, E, F, G à Moſis ætate ad noſtram; iiſdem in Tabulis notata eſt Feria Paſchalis eidem anno tribuenda, quam dicimus radicalem totius Periodi minoris. Si vero alius ſit annus ex CXI. qui ſuperſunt uſque ad finem Periodi, reperitur cella congruens ſedi ejuſdem anni in Periodo minori in Tabula A: quæ exhibet Feriam congruentem anno in ea Periodo, quæ radicem obtinebat Sabbati. Huic Feriæ ſi addideris numerum radicalem, prodibit illicò Feria congruens decimæquartæ Paſchali anno indicato.

Exemplum. Quæro Feriam quartædecimæ Paſchalis anni Æræ Chriſti 1678. In fronte columnarum Tabulæ G, quæ hanc ætatem continet, video eundem annum prænotari columna VI. Periodi ſecundæ majoris. Aſſero itaque, annum Æræ vulgaris 1678. eſſe primum Periodi ſextæ minoris in ſecunda Majori poſt S. Hippolytum. Video ibidem adſcribi, quartamdecimam Paſchalem incidiſſe in Feriam IIII. Quare hanc Feriam teneo tamquam radicalem totius Periodi VI., & addendam quotannis Feriæ, quæ ſingulis aſſignabuntur per CXI. proximos ex Tabella A pag. 171. Quæro Feriam quartædecimæ anni 1700. Is annus ad eandem Periodum VI. minorem in ſecunda Majori refertur: cujus cellam obtinebit 23.: cùm Periodus coeperit anno 1678. Annus 23. in Tabula A obtinet literam c ſeu Feriam III. Huic adde radicalem Periodi 4. Sunt Feriæ VII. ſive Sabbatum. Incidit ergo quartadecima Paſchalis anni 1700. Æræ Chriſti in diem Sabbati. Annus poſt illum tertius nempe 1703. obtinens ſedem 26. uſurpat literam c Feriæ 3.: cui addita radicalis 4. oſtendit numerum 7. ſive Sabbatum, cui pariter aſſignanda eſt quartadecima Paſchalis anni 1703.

Advertere tamen oportet, rationem hanc Feriarum aptari Cyclo, qui radicem Plenilunii Paſchalis anno principe exhibuit 13. Aprilis horis 6. poſt meridiem, diebus 22. poſt ſedem Æquinoctii Verni: quæ ſi congruerent omnia initio cujuſcumque Periodi minoris, nihil eſſet reliquum ad Æquationem; hanc enim redderet ſimplex additio Feriæ radicalis alteri Feriæ, quæ à Cyclo tribuitur annis ſingulis. Verùm ſingulæ Periodi minores cùm octiduum præceſſionis inferant ætati Lunæ in Kalendario Juliano, in quo Æquinoctia non aſcendunt niſi per diem fermè ſolidam; neceſſariò etiam variant locum Emboliſmorum: qui conſtantiùs retinetur à Periodo Calippica annorum 76. Ut igitur uſus Tabularum completus habeatur, attendendum erit, an propoſitus annus ſit Emboliſmicus, quando in ſedem Emboliſmis tributam incurrat in Tabula A: ut biduum Lunationi debitum ſubtrahatur, vel addatur juxta rationem jam explicatam. Exemplum ſit anno 1696. qui nobis fuit Embolimæus. Relatus autem in Tabellam A, ubi locum 19. occupat ab illo qui princeps fuit 1678., obtinet literam c indicem Feriæ tertiæ. Annus 19. in Periodo Tabellæ A, ab Æra Hippolyti exordium ducente, non fuit Embolimæus ſed communis. Noſter itaque annus 1696. duplicem Feriam addet literæ c, eamque commutabit in e indicem Feriæ V.: cui cùm adjeceris radicalem c, nempe tres Ferias, ſumma erit Feriarum VIII.: è

quibus

quibus abjecto ſeptenario, ſupererit unitas, ſeu Feria I., in quam anno *1696.* incidit quartadecima Paſchalis. Quando autem annus ſit emboliſmicus, vel communis, apparet in Tabulis D, E, F, G ubi Novilunium quotannis conſignatum oſtendit, quando per dies 18. aut 19. poſtponitur ſynodus præcedenti, quod indicium eſt Emboliſmi.

Faciliorem uſum præſtabit hujus Canonis alia Tabella ✠, quæ continet Epochas annorum à nobis quæſitorum circa initia cujuslibet Periodi minoris Hippolyteæ: quibus cùm incidant principes Lunæ in dies tantumdem ferè diſſitas ab Æquinoctio, quantum diſtabat Luna anni primi Severi Alexandri à die 22. Martii tum temporis Æquinoctiali, neceſſe eſt Emboliſmos repetere ſedes eaſdem, quæ in Tabula A indicantur per appoſitas literas E. Hac enim methodo nulla eſt alia æquatio adhibenda, quàm ſimplex additio ejus Feriæ radicalis, quæ ſingulis Epochis apponitur per eandem Tabellam ✠. Exemplum ſit eodem anno *1696.*: qui in Epochis Tabulæ ✠ refertur ad numerum proximè minorem, eum ſcilicet, qui præfert annum Æræ Chriſti 1653.; cùm eodem anno Plenilunium Paſchale contigerit die 12. Aprilis hora 5. poſt meridiem Feria ſeptima, atque adeò proximè accedat ad diem civilem Epochæ Hippolyteæ. Annus *1696.* erit 44. Periodi, cujus primus habeatur 1653. Anno 44. Periodi aſſignatur litera b index Feriæ ſecundæ. Radicalis verò numerus addendus VII. nihil ſuperaddit ſolidæ hebdomadæ. Inciderit igitur quartadecima Paſchalis anni *1696.* in Feriam ſecundam. Annus proximus *1697.* tribuet quartædecimæ Feriam *6.*: Sequens *1698.* Feriam *3.*: tum *1699.* Fer.*2.*: & 1700. Feriam VII., uti ante colligebatur per aliam methodum æquationis: cui tamen hanc præfero, utpote faciliorem, & exactiorem. Pag.171.

Verùm exigua utilitas foret Chronologiæ, ſi Paſchalis diei Feriam tantummodo reddere quotannis conſtitueremus; niſi etiam dies aſſignaretur anni civilis, quam Feria Paſchalis obtinet. Aſſignabimus autem diem Julianam expeditè ex Cæſaris Cyclo per Tabulas D, E, F, G, aptatas Periodis Hippolyti Majoribus, & minoribus. Tabula D continet ſeptem Periodos minores, ſive annos 784. proximè numeratos ante primum Severi Alexandri, Ærâ Hippolyti illuſtratum, qui conſtituunt Periodum primam Majorem ante S. Hippolytum. Tabula E aliam Periodum Majorem præcedentem exhibet, nempe ſecundam ante Hippolytum in ſeptem prioribus columnis. Reliquis autem tribus refert Periodos minores tres poſtremas ejus, quæ foret ante Hippolytum è Majoribus tertia.

Ultra

Ultra hunc terminum proferendæ non erant Paſchales Tabulæ cùm Paſchatis inſtitutio eandem Æram non ſuperet, juxta utramque Hippolyti Chronologiam; à qua non recedunt Chronologi omnium ætatum clariſſimi, ſupra recenſiti pag. 109., & 110. In fronte columnarum inſcriptus eſt annus Periodi princeps, per ſingulas minores ad Æram Chriſti vulgarem, ſive Dionyſianam relatus: cui ſubduntur termini Novilunii Paſchalis citimi, ac tardioris, in anno Juliano mobiles, cauſsâ Æquinoctii ad initia menſium recedentis. In ejus columnæ cella, quæ communis eſt lineæ tranſverſæ, pertingenti ad annum certum Periodi, quærendum inter expanſos 112. ſiniſtrorſum, apparet dies anni Juliani, unde trahendum eſt Novilunium Paſchale: quam diem literæ Cycli Cæſaris, ad Cyclum decemnovennalem redactæ, in prima diſſertatione, conſignant. Cùm verò annis Julianis 312. aſcendant ſynodi, & adſpectus Lunæ diem circiter ſolidam ex ea præceſſione, quam colligi diximus ex mediis motibus; neceſſe eſt in columna ſecunda cujuſcumque Periodi Majoris promovere literas, quas prima ferebat: & in ſexta ſimiliter eas variare, quæ adhibebantur in quarta. Cæterum conſtructio Tabularum dubia minimè fuit. Nam dato anno principe uniuſcujuſque Periodi minoris ante vel poſt Æram Hippolyti, per canones Aſtronomicos mediorum motuum Lunæ à Sole, diſpoſitos in Tabella L, collectum fuit Plenilunium, ac Novilunium medium Paſchale ejuſdem anni: quod ex terminis Paſchalibus antea conſtitutis dignoſcebatur. Ex hora Plenilunii comperiebamus Feriam, quartædecimæ congruentem: unde etiam numerus radicalis eruebatur ad uſum Tabellæ A inſerviens, quando Feria eſſet juxta priorem methodum colligenda. Attamen præſtat, ut monui, eandem petere ex Epochis Tabellæ ✠ ad Periodum minorem, ejuſque annum principem referendis: ut ii, qui ordine conſequuntur, Paſchalem Feriam deſignent, nullâ præter hanc æquatione ſuperadditâ. Tum verò fit etiam alia comparatio Tabularum D, E, F, G cum A. Nam ut innotuit per Tabulam A Feria quartædecimæ Paſchalis; & per Tabulas D, E, F, G dies Juliana incidens in Novilunium, hujus Feria ignota eſſe non poteſt. Tabellis enim B, & C, in Juliana methodo omninò perpetuis, uniuſcujuſque anni Periodi minoris litera Dominicalis exponitur, & Feria congruens datæ diei anni Juliani. Quando itaque Feria quartædecimæ, per ſecundam methodum caſtigatiorem reperta ex Tabula A æquatâ, congruit cum Feria Plenilunii (id verò evenit quum hora oppoſitionis mediæ ſuperat ſextam à meridie, & in eandem Feriam incidit cum fine

Vide pag. 18.

quar-

quartædecimæ) vel quando proximæ ante illam diei tribuitur, quod neceſſe eſt evenire, ubi Plenilunium non pertingat ad horas 18. à media nocte, ſive 6. à meridie; conſtat utriuſque Cycli, Hippolytei, & Gregoriani, conſenſu Paſcha legitimum definiri. Ætate Sanctorum Patrum admittebatur ea quartadecima, quæ horam Plenilunii præcederet poſtremo ſui termino horis pluſquam octodecim: cujus propterea ratio tenenda eſt in ea comparatione, quam prodit Tabella H, numeros conferens utriuſque Cycli Juliani, & Hippolytei cum iis, qui prodibant ex Cyclo, per S. Cyrillum Patriarcham Alexandrinum adornato, & ex homiliis heortaſticis ejuſdem Patris ritè collecto. Paſchata Cyrilli cum iis, quæ colliguntur ex hiſce Tabulis, omninò congruunt per ſolidam Periodum decemnovennalem, quam exhibemus Tab.H. In Tabula vero I, Tabulæ H adhærente, producimus annos Gregorianos undeviginti, qui eadem die civili, & hora referunt Plenilunium Paſchale, qua die, & hora novemdecim anni ætatis Cyrilli antea collati Plenilunium Paſchale ferebant: ut perſpici poſſit, quo jure conſtet, ad hos eſſe numeros accedendum, qui ætate Cyrilli nihil difficultatis intulerint in Paſchatis indicatione inter Orientales, & Occidentales. Neque enim omiſiſſent eandem perſcribere, ſi quæ fuiſſet, aut S. Innocentius Papa, qui triennio ante præviderat, & expenderat hebdomadis unius differentiam, dirimendam ad annum 414.; aut S.Leo Magnus, qui occaſione Paſchatis celebrandi ad annum 444. datis ultro citroque literis ad Marcianum Auguſtum, & ad Paſchaſinum, anſam præbuit memorandi ejus diſcriminis, quod ex diverſa Eccleſiarum computatione juxta Cyclos Orientalium, & Occidentalium in Eccleſia oriebatur: in quibus nulla de annis undeviginti, in Tabula H collatis, differentia recenſetur. Demum in Tabula K oſtendimus comparationem ejuſdem Cycli Juliani, & Hippolytei per enneadecaeteridem, quam modò vivimus: unde cognoſci poteſt quàm rectè conſentiant numeri ex utraque Periodo collecti cum iis, quos certa ratio mediorum motuum non ſinit eſſe inexploratos. Pag.174.

His igitur comparationibus ætatum, à Severo Alexandro ad nos per ſæcula XV. extenſarum, cùm numeri commendentur, petiti ex utroque Cyclo Cæſaris, & Hippolyti Martyris; hos etiam jure merito aſſumimus ad ea Paſchata colligenda, quæ ab ætate Chriſti Domini tanto fuerunt ſpatio dirempta, quanto à noſtra diſtat Hippolytus. Obſervare etiam licebit in Tabula D, quanta ſit conſenſio motuum cæleſtium, & Cyclorum circa initium annorum Julianorum, & circa Epocham Dominicæ

nicæ Paſſionis, ex noſtra ſententia referendam ad annum Æræ vulgaris 28.: cùm ſatis perſpectum ſit ex demonſtratis ab Eminentiſſimo Noriſio, annum Chriſti Natalem præcedere communem Æram Dionyſianam non modò per ſolidum biennium (ut habet Canon Hippolyteus Geneſim Chriſti conſignans annis 223. ante primum Severi Alexandri, quem conſtat vulgaris Æræ eſſe 222.) verùm etiam integro quadriennio, ſive etiam quinquennio, ut nos cenſemus, & alibi forſitan exponemus uberiùs. Interim annus Epochæ Julianæ, in Tabula D conſignatus, Novilunium Paſchale refert ad diem 30. Martii, cui Cæſaris Kalendarium tribuit literam A 1, eandem ſcilicet, quæ Kalendis Januarii Novilunium deſignat hybernæ tempeſtatis, ut antea oſtenderam diſſertatione prima in expoſitione Cycli Juliani, conſentientibus Tabulis Aſtronomicis, pridem obſervatis à Paulo de Middelburgo in ſua Paulina, & ab Eminentiſſimo Card. Noriſio in diſſertationibus poſt Epochas Syromacedonum. Annus verò ab eodem 73. (incluſis extremis), qui Æræ vulgaris eſt 28., præfert ex Cyclo literam H Novilunii verni affixam diei 13. Martii, & quartamdecimam diffundit ad diem 26. menſis ejuſdem: quod etiam congruit rationibus mediorum motuum; nam annis 72. ſolidis Julianis interpoſitis à die Kalendarum Januarii anni primi ineuntis ad diem Kal. Januarii jenuntis anni 73. obtinent medii motus Lunæ à Sole ſigna

Vide ſupra pag. 2. & 17.

Expreſſit itaque in anteriori numiſmatis facie CLEMENTEM XI. cum epigraphe conſueta, nec non ejuſdem Sacerdotii Epochâ, ſcilicet: CLEMENS XI. PONT. MAX. ANNO II. In poſtica verò nummi ſuperficie aream exhibuit, treſque ſupra illam conſtructos arcus, diſtinctos columnis ingentibus: quæ ſublimiorem fornicem ſuſtinent, magnificentiſſimam ſcilicet partem Thermarum Diocletiani, ubi olim pinacotheca, nunc verò auſpiciis longè melioribus Eccleſia Deiparæ Virginis, & Sanctorum Angelorum titulo DEO dicata, religiosè adminiſtratur à RR. PP. Carthuſianis: quorum impenſis tum reſtituta, tum ornata Romanam dignitatem Chriſtianis Sacris planè coronatam exteris mirantibus latè proponit. In hujus Eccleſiæ pavimento deſcripta viſitur linea Meridiana horizontalis, ſplendidè marmoribus ſtrata, & pluribus ornamentis aucta, ut loco ſuo recenſebimus: quam CLEMENS XI. anno primo cœptam, altero feliciter abſolutam conſpexit pridie Idus Octobris: quum annuum Sacrificium oblaturus die feſto S. Brunonis eò conceſſiſſet. Quotannis enim ita recolere conſuevit memoriam illius (tertius ab hoc numeratur) quo primùm officio Sacerdotali perfunctus eſt, poſtquam Presbyterii ordine inſignitus die 18. Septembris, ad aram, in Sacello Sancti Patriarchæ magnificè erectam à Monachis Carthuſianis, proceſſit, Sacerdotum qui poſtmodum in ea litaverunt princeps, mox etiam maximus omnium, qui ubique offerrent, in Vaticanis comitiis renunciandus. Sacellum hoc in numiſmate exprimi nequaquam potuit. Exhibenda enim erat pars ædificii obverſa, ut foramen appareret in illa conſpicuum, editoque in loco apertum, per quod ſolares radii in æream laminam incidentes producuntur ad pavimen-

tum: ubi tangentes lineæ arcum diſtantiæ à vertice utriuſque Solaris limbi deſignant. Cæterùm radii per laminæ foramen trajecti à gentilitio ſtemmate Optimi Principis deſcendunt, qua parte Zonam oſtendit aſtro ſubiectam. Quum verò explorare obſervatione libeat ſtellæ alicujus appulſum ad circulum meridianum, ſuperna pars Albani ſtemmatis aſtro inſignita in latus reducitur, ope cardinum quibus innititur, ut aperta feneſtella eidem ſubiecta cæli copiam intuentibus præbeat. Præter hunc cæli proſpectum ab Auſtrali plaga, patet etiam obtutus in Borealem; unde poli elevationem metiri quotidie unuſquiſque poteſt methodo paullò poſt exhibenda: quam tamen exprimit in numiſmate ellipſium plurimarum ſeries, deſcripta circa illam lineæ meridianæ partem, in quam producitur Stellæ polaris radius, ope teleſcopii ad eam rem comparati, ut ſuo loco dicemus.

III Ædificio, & operi, in nummo graphicè delineatis, duplex inſcriptio additur: Supernè quidem Sacra, eaque petita ex Pauli Epiſtola ad Hebræos cap.XI. verſ.3. APTATA SAECULA VERBO DEI, infra vero hiſtorica, ſcilicet GNOMONE ASTRONOMICO AD USUM KALENDARI CONSTRUCTO.

IIII Poſtrema hæc verba me admonent, ut aliquid in medium proferam de occaſione hujus lineæ conſtruendæ. Neque enim otiosè ducta eſt, aut inani ſtudio ingerendi oculis ornamenta, quæ divino cultui non inſervirent. Quin potiùs eâdem de cauſa; qua placuit in Chriſtianarum Eccleſiarum frontibus, aut turribus inſtrumenta conſtituere, ad horas Canonicas diurnarum, nocturnarumque precum ritè diſtinguendas, horologiis quà ſciatericis quà automatis ibi collocatis, ubi divinæ laudes ſunt recitandæ; eâdem, inquam de cauſa viſum eſt Eccleſiæ moribus conſentaneum, ibidem adhibere indicem Sacrorum, quæ vel annuâ, vel aliâ quapiam revolutione temporum ſeù periodo abſolutâ, ſunt peragenda. Hæc verò conſuetudo tum recentibus, tum antiquis exemplis, iiſque luculentiſſimis, comprobata mirum in modum illuſtrat hiſtoriam Catholicæ Religionis. Chronologi ſanè noverunt, quàm opportunè fuerit egeſta è ruderibus Eccleſiæ Laurentianæ extra muros in agro Verano celeberrima baſis illa, tot doctorum hominum commentariis illuſtrata: in qua Hippolytus Epiſcopus, & Martyr ſuam Heccædecaeteridem conſignavit, & Lunam XIV. Paſchalem Idibus Aprilis Sabbato, Severi Alexandri anno primo, Epochæ verò Chriſtianæ CCXXII. Hujuſmodi marmor una cum Auctoris ſtatua in Bibliotheca Vaticana hodie aſſervatum, fuiſſe antiquitùs conſtitutum in tam ſacro loco, ſitus ipſe egeſtionis docet. Non diſſimili exemplo inter antiquas inſcriptiones à

Grutero collectas legimus Cyclum Paſchalem Victorii, Veſunæ Petrocoriorum in Baſilica Sancti Stephani hac etiam ætate conſpicuum, ab eoque deſcriptum pag. MCLXI. Longè clarior eſt Cyclus Latinorum prope Secretarium Ravennatis Eccleſiæ antiquitùs inſulptus concamerationi internæ tholi marmorei: quem Eminentiſſimus Cardinalis Noriſius lucubratione doctiſſima illuſtravit. Quot ille uno in lapide hiſtoriæ Eccleſiaſticæ monumenta detexit! Quot fontes aperuit, ut aſſolet, ſolidæ, ejuſdemque lectiſſimæ eruditionis! Quod ſi à veteribus ad recentiora ſæcula deſcendamus, occurrunt planè ſimiles memoriæ poſterorum, quibus præclaram hanc conſignandorum temporum rationem ſervarent ad ſtata ſacrificia, & feſta indicenda. In Syracuſana Cathedrali excavatum narrant Heliopticum foramen ad æquinoctia diſtinguenda: in Florentina non diſſimile conſtitutum novimus ad cognoſcenda ſolſtitia. Con ſtructum hoc fuiſſe ferunt à doctiſſimo Mathematico F. Egnatio Dante Ordinis Prædicatorum: quem Gregorius XIII. adhibuit ad Kalendarii emendationem. Ejuſdem providenti curâ erectas videmus armillas æreas in fronte ædis ſacræ, quam S. Dominici Ordo Florentiæ pariter adminiſtrat: ut Alexandrinorum methodo Æquinoctia diſtinguens, ſolaris anni modum aſſequeretur, ad res Kalendarii componendas omninò neceſſarium. Diligentiùs tamen id præſtitit in maximo Bononiæ Templo per tangentem horizontalem: cui non diſſimilem, licet magnitudine longè minorem Romæ conſtituit in Pontificio Palatio ad Vaticanum. Diligentiſſimè tamen omnium, & feliciſſimè id negotii peregit ante annos ferme quinquaginta Clariſs. Vir Io: Dominicus Caſſinus, ad Pontificii ac Regii Mathematici munus primùm in Italia, deinde in Gallia delectus Maximorum Principum judicio: quod Academiæ omnes ſequutæ, primas illi laudes in re Aſtronomica detulerunt. Rationem ſtruendi operis, ac exigendi ad incredibilem, & omnibus retro ſæculis vel ignotam, vel certè intentatam ſubtilitatem, & certitudinem veſtigationis motuum cæleſtium, exprimunt libri Bononiæ impreſſi annis 1655. & 1695. in quorum etiam poſtremo Auctor obſervat, quàm ſapienter, & congruè ſtatuantur in ſacris ædibus hujuſmodi indicia temporum, cùm in eiſdem hymni ab Eccleſia præſcripti quotidie ſuggerant divinarum laudum certas leges, pro vario Solis aſtrorumque recurſu concinendas.

His itaque permotus exemplis veterum, ac recentiorum Sanctiſſimus Pater CLEMENS XI., decere admodum duxit in æde ſacra locum deſignare tangentis meridianæ: per quam præſentes & poſteri dignoſcere certò poſſent eas temporum leges, quibus divina inſtitutio, Eccleſiæ decreta, ac traditio Patrum præcipua Religionis Chriſtianæ ſacramenta recoli, & adminiſtrari

ſtrari

ſtrari voluerunt. Quis verò locus ad operis dignitatem auguſtior, aut firmior ad perennitatem haberi poſſet, quàm ampla hæc moles Thermarum Diocletiani, quatuordecim ſæculorum experimento ſoliditatem pollicita? Dum hæc ipſa deſcriberem, argumentum cepi firmitudinis penè incredibilis: quam nihil tale ſuſpicantibus aut timentibus nobis parietes prodidere, in repetitis illis ac validis terræ concuſſionibus, quibus hyberna tempeſtate labentis anni 1703. Provinciæ proximæ non ſemel quaſſatæ, ac Civitates miſerè dirutæ ſunt, & fermè deletæ. Siquidem XIX. Kalendas Februarii Caſſia, & Nurſia ruinam cùm paterentur; & poſtridie earundem Kalendarum cùm denuò nutarent, eodemque tempore non modicus Italiæ tractus concuteretur à Supero ad Inferum mare; Aquila verò in Veſtinis fermè abſumeretur tota cum proximis pagis; quare etiam plura Urbis ædificia ſolo ſubſultante infirmabantur, & hiatibus fatiſcebant, repetitis identidem ſuccuſſionibus ad menſes proximos; hi tamen parietes Thermarum Diocletiani, nihil à ſe invicem diducti, firmiter, ut ante, cohæſerunt. Explorantibus enim nobis circa initium Aprilis altitudinem Gnomonis per ligneam regulam ad extenſionem tangentis graduum 45. æqualem radio, adhibitam anno ſuperiori, & rurſus admotam diuiſionibus partium 100. mil., quas in ſtratis marmoribus, & æreis laminis incideramus diligentiſſimè, ne lineâ quidem tranſverſâ maior, aut minor altitudo apparuit. Eodem planè modo cùm ex Gnomonis centro filum demitteremus in conceptaculum aqua repletum, quod exponam numeris XIII. & XIV., deprehendimus, idem pavimenti punctum perpendiculo reſpondere: ut omninò conſtet, parietes ne parumper quidem ſubſediſſe, neque fuiſſe vel leuiter inclinatos. Hæc itaque declarant, locum firmiorem, ac tutiorem aptari vix potuiſſe operi deſignato: cui tantillum exceſſus aut defectus in menſuris omne criterium τῆς ἀκριβείας, atque omne veritatis pretium in obſervandis cæleſtium corporum motibus præripuiſſet.

Par laus dignitatis ac firmitatis huic loco fuit. Ubi enim potiùs explicaremus Paſchales Epochas, quàm in Thermis Diocletiani, & Maximiani nominibus olim dedicatas; quorum Imperii Æram Cyclis Paſchalibus præfigere placuit Eccleſiæ? Nempe veſtigia Martyrum ſequimur in hoc etiam delectu locorum. Certè cum ſubſtructiones veterum Imperatorum à prophanis uſibus expiantur, vt ſacris inſeruiant, tropæa quædam referunt victricis Gentium Religionis Chriſtianæ. Quæ cùm in omnibus Urbis antiquæ ædificiis oſtendere geſtiat Roma, ex quo facta eſt veritatis magiſtra; gaudio quodam peculiari demonſtret modò neceſſe eſt in Diocletiani molibus Chriſto triumphatori ſubdendis. In Paſchali enim victoria, hìc potiſſi-

mùm indicanda quotannis per teſtes in Cælo fideles, religioſum triumphum videtur canere de Tyrannis, à Chriſto Domino, ac Redemptore ſubactis, tum in ſuo præſtantiſſimo, tum in ſuorum præclaro certamine: quod illuſtri Martyrum Epochæ initium fecit à Paſchalibus feſtis anni undeviceſimi Imperii Diocletiani, in faſtis Eccleſiæ tantopere celebratis: quum ea ſcilicet non tam edicta, quàm cædes proponerentur, primò quidem Terminalibus feſtis, vti Lactantius tradit, deinde verò ſub ipſum Dominicæ Paſſionis diem, vti narrat Euſebius: quibus Chriſtianum nomen ubique delere, & Sacra ſubvertere impietatis adminiſtri igni ferroque tentaverant.

Euſeb. hiſt. Eccl. lib. 8.

Anno, inquit Euſebius, Imperii Diocletiani nono ac decimo, menſe Xantico, quem Romani Aprilem vocant, cum „ ſalutaris paſſionis dies immineret, repente propoſita ſunt ubique dicta, quibus imperabatur, Eccleſias quidem ſolo æquari, ſacros autem codices flammis abſumi: & honoratos quidem honoris prærogativa ſpoliari, plebeios autem, & in miniſterio conſtitutos libertate privari, ſi in Chriſtianæ Religionis propoſito adhuc permanerent &c. Quare & lætiſſimam contigiſſe Sanctis Martyribus hanc Paſchatis ſolemnitatem meritò ſcripſit Epiſcopus Foroſempronienſis in ſua Paulina, hiſtoriam recitans Paſchalium controverſiarum. Poſt paucos, inquit, annos inſtauratâ demum perſecutione Eccleſiæ per „ Diocletianum, Maximianum, Maximinum, & Licinium, „ ceſſavit diſceptatio de Paſchali ſolemnitate fieri ſolita: „ quinimmo ipſo die Paſchæ Eccleſiæ omnes Chriſtianorum „ ſubverſæ ſolo æquatæ ſunt, Scripturæ Sacræ igni ſunt exuſtæ, „ & non ſolum primogenita domus, ut in Phaſe Hebræorum, „ ſed omnes, qui ſe Chriſtianos fatebantur, aut interempti „ ſunt, aut idolis immolare, & ſacrificare coacti. Hanc lætiſſimam habuerunt ſolemnitatem Beati Martyres cum Sanctis „ Angelis in Cælo Paſcha celebrantes.

Paulus de Middelburgo lib. primo ſuæ Paulinæ.

Arbitramur itaque, tùm ad Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ monimentum, tùm ad Religionis Catholicæ Victoriam hoc ipſum pertinere, ut dum quotannis cum Chriſto reſurgere videntur Paſchalia Feſta, triumphi titulum præferre huic pompæ cogatur in Thermis ſuis Tyrannus ille, qui ad lapidem angularem illiſus eſt, dum Eccleſiam in ipſo fundatam conabatur evertere. Hæc de loci delectu quum teneas, ad occaſionem operis conſtruendi revertimur.

Ante annos aliquot ſuborta eſt difficultas in pluribus Chriſtiani Orbis provinciis circa feſtorum mobilium celebrationem. Ut enim ante Gregorianam ordinationem obſervata paſſim plenilunia docebant, quatriduum & ultra diſſidere computum Eccleſiaſticum à cæli motibus, qui ad Lunam pertinent, eoque

nomine

nomine excitabant complures Epiſcopos, & ipſa deinde Concilia, uti Conſtantienſe, ac Lateranenſe ad impetrandam à Romano Pontifice Kalendarii reſtitutionem; ità imminente Paſchate anni Sæcularis 1700., cum præviderent conſultiſſimi quique Rituum Sacrorum, fore ut contra majorum conſuetudinem protraherentur Paſchalia Feſta ultra Lunam XXII., idque non ſemel aut iterum, conſtante hoc Sæculo, repetendum proſpicerent, ſed frequenter; quater verò judicarent menſem duodecim aſſumi loco primi; cônſulendam ea de re cenſuerunt Apoſtolicam Sedem, ut opportunè occurreretur periculo recedendi ab inſtitutis majorum. Placuit CLEMENTI XI. negotium in Eccleſia graviſſimum ſemper habitum, & myſteriorum foecundum, diligentiſſimè pertractari: neve opus Domini negligenter perficeretur, aut incuriæ quidpiam obreperet in rem divinam, tentanda omnia, conſulendas Academias, Cælumque ipſum, ac luminaria, à Deo conſtituta, *ut eſſent in ſigna, & tempora, & dies, & annos*, obſervanda ſolerter cenſuit. *Gen. primo.*

V. Noverat enim obſtitiſſe plurimum reſtitutioni Kalendarii, jamdiù expetitæ à Patribus Conſtantienſibus, ac Lateranenſibus, imperitiam Aſtronomiæ: quam pauci admodum illa ætate cùm excolerent, incertum anni modum, ac menſium periodos non ſatis definitas in medio relinquebant: utì diſertè monuit Nicolaus Copernicus Canonicus Warmienſis, Aſtronomorum ævi ſui facilè princeps, in epiſtola nuncupatoria ad Paulum III. Pontificem Maximum, quam ita concluſit: Hi noſtri labores, „ ſi me non fallit opinio, videbuntur etiam Reipublicæ Ec- „ cleſiaſticæ conducere aliquid, cujus principatum Tua San- „ ctitas nunc tenet. Nam non ita multò antè ſub Leone X., „ cùm in Concilio Lateranenſi vertebatur quæſtio de emen- „ dando Kalendario Eccleſiaſtico; quæ tum indeciſa hanc ſo- „ lummodò ob cauſam manſit, quod annorum, ac menſium „ magnitudines, atque Solis ac Lunæ motus nondum ſatis „ dimenſi haberentur. Ex quo quidem tempore his accuratiùs „ obſervandis animum intendi, admonitus à præclariſſimo „ Viro D. Paulo Epiſcopo Sempronienſi, qui tum iſti negocio „ præerat. Quid autem præſtiterim ea in re, Tuæ Sanctitatis „ præcipuè, atque aliorum Doctorum Mathematicorum judi- „ cio relinquo.

Licèt verò motibus Aſtrorum mediis potiùs, quàm veris, ut vetus Eccleſiæ conſuetudo fert, temperanda ſit ratio feſtorum, quæ uſui non Aſtronomorum tantummodò, ſed totius Chriſtiani populi ab eadem Eccleſia proponitur; attamen obſervationibus motuum verorum dare operam neceſſe eſt; quum citra iſtorum accuratam aſſequutionem, conſtans mediorum

defi-

definitio nos fugiat, uti in Magnæ Conſtructionis libris Ptolemæus demonſtravit.

VI. Verùm hæc aliàs, cùm de ipſo Kalendario agendum erit. Attingenda autem levitèr hìc eſſe duxi, ut conſtaret ratio occaſionis tum cudendi nummi, tum lineæ meridianæ conſtruendæ, quàm epigraphe explicat hiſtorica: GNOMONE ASTRONOMICO AD USUM KALENDARI CONSTRUCTO. Patet enim, voluiſſe Pontificem Optimum conſulere, non præſentibus modò, ſed etiam poſteris fideli hac norma, ab iis petita corporibus, quæ myſteriorum ſuorum indiciis ſervire continentèr juſſit Sapientiſſimus rerum Creator: ad quam normam exigi & comparari perpetuò poſſit ſtatus Kalendarii, citrà neceſſitatem adeundi Ægyptiorum ſcholas: quæ Nicęnis Patribus olìm contigerat, quum Alexandrina Diœceſis præ cęteris Mundi regionibus peritis Aſtronomis abundaret.

VII. Dicendùm eſt modò aliquid etiam de altera nummi epigraphe: quam *Sacram* idcircò dicimus, quòd à divinis literis petita ſit, denotetque Chriſtiani Paſchatis ſacramenta, in prima Mundi conſtitutione, & rurſus in Legis Moſaicæ feſto præcipuo adumbrata. Verba excerpta ſunt, utì monuimus, ex cap. XI. verſ. 3. Epiſtolæ B. Pauli ad Hebræos: APTATA SAECULA VERBO DEI.

VIII. In hac epiſtola Gentium Doctor conſtituerat, iuxta receptam SS. Patrum interpretationem, Chriſti Domini Sacerdotium Naturæ ac Legis miniſterio longè præſtantiſſimum demonſtrare. Idcircò in eo totus eſt, vt mundana omnia, & rationales præcipuè creaturas, licèt adminiſtras ſacrorum, Deique laudum interpretes, oſtendat umbram eſſe tantummodò æterni illius Sacerdotii, quod *jurejurando* ſuſcepit Unigenitus DEI FILIUS, *oleo exultationis unctus præ participibus ſuis*: *qui præ Angelis ipſis audivit*, *ſede à dextris meis*: à quo denique omnis unguenti odor, & delibutio manat in reliquos Sacerdotes, ſivè Chriſti præcedant tempora, ſivè ſequantur. Sequi verò omnes neceſſe eſt *antiquum dierum*, *primogenitum ante omnem creaturam*, qui tempori, Cœlis, Angelis æternitate divinitatis ſuæ antecellit ac præſtat. Enumerat deindè Apoſtolus quotquot creata Sacerdotia ac Miniſteria divini cultûs habentur in rerum univerſitate præcipua. Duo verò ubique demonſtrat, nempè, Chriſti Sacerdotium longè digniſſimum ſupra creatum quodcumque dicendum eſſe: & creatum quodlibet haberi oportere Sacerdotis æterni figuram, & indicationem. Ex quibus deindè conſequitur, ut quantum ſæculis præſtat æternitas, tantum excellere neceſſe ſit Servatoris noſtri Sacerdotium æternum ſupra *Sanctum* illud *ſæculare*, ut Apoſtolus nuncupat, *quod exemplari, & umbræ deſervit cæleſtium*. In ipſo igitur exor-

Ex cap. 1. Epiſt. ad Hebr.

Cap. 9. verſ. 1.

Cap. 8. verſ. 5.

exordio epiſtolæ præfari oportebat, *multifariam multiſque modis per Prophetas loquutum* DEUM, *noviſſimè autem in* FILIO PER QUEM FECIT ET SÆCULA, ut hujus unctionem miniſteriis ceteris comparatam præferret. Ab Angelis itaque initio ducto, qui in ſæculari creationis miniſterio principes conſtituti, cum ab initio ſin *adminiſtratorii ſpiritus*, & in *eo tabernaculo militent*, quod terreſtri altè imminet, oſtendit pluribus, eos longè concedere dignitati Sacerdotii, quo initiatus eſt Chriſtus: neque enim ſubjectum Angelis orbem terræ futurum, quod miniſterio per Apoſtolos obeundo Chriſti gratia ſervabat, licèt & ipſi fidelium orationibus præſint: nec VERBUM Angelos apprehendiſſe, ſed Abrahæ ſemen: ut omnia ei ſubjicerentur, per quem facta ſunt omnia, *quique hæres univerſorum conſtitutus, excellentius præ illis nomen hæreditavit*. Cæleſte igitur, ſed non idcircò univerſale docet Angelicum miniſterium: Chriſti verò & univerſale, & cæleſte; imò & ſupercæleſte, & (ſi fas eſt dicere) ſuperuniverſale. Huic verò non otioſè ſubjicitur comparatio Sacerdotii, ut ita dicam, terreſtris: quod ante Legem Abel, Henoch, Noe, Abraham, & cæteri Patriarchæ obtinebant; poſt Legem verò latam (in eo monte, in quo exemplar tabernaculi demonſtratum, *ut eſſent qui offerrent ſecundùm Legem munera, qui exemplari & umbræ deſervirent cœleſtium*) Moyſes & Aaron *in Sacerdotibus numerati* Divinum Pontificem non aſſequuntur, ſed illi tantùm præludunt. Quibus demum expoſitis, & eloquentia planè mirabili pertractatis, docet, univerſa Naturæ, Legiſque Sacerdotia eſſe rudimenta quædam, umbras, figuras, & indicationes Æterni Sacerdotis VERBI DEI, in quo per fidem cuncta illa *ſæcularia ſacra* novimus contineri: adeòut rem totam his verbis expediat: FIDE INTELLIGIMVS APTATA ESSE SÆCULA VERBO DEI: quæ primis illis aptè reſpondent, unde exordium comparandi fecerat, dicens: *Multifariam multiſque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, noviſſimè diebus iſtis locutus eſt nobis in Filio, quem conſtituit hæredem univerſorum, PER QUEM FECIT ET SÆCULA*. Caput itaque hujus nummariæ epigraphis idem eſt, ac Paulinæ epiſtolæ: nempè, ut oſtendatur Chriſti Sacerdotium in Paſchalis feſti annua celebratione, tum ab initio creati Orbis, tum latâ Iſraelitis Lege ſignificatum, eoque tempore completum quod nos diligenter ſervamus, centrum eſſe quodammodo & umbilicum, in quod omnes ab eo diffuſi radii per ſæcula univerſa reflectuntur ac recidunt, ritè ordinatis cæremoniarum myſteriis, & in orbem quendam perpetuum circa Paſchalis Sacramenti terminos Cœlo Terraque teſte redeuntibus. Quæ cùm fidelium mentibus Divina, Eccleſiaſtica, & Pontificia inſpirare contendat aucto-

Cap primo.

Cap. 2.

Cap. primo.

auctoritas in legitima Paſchatis indictione ; non immeritò documentum è ſacris literis uſurpatum numiſmatis inventor appoſuit : APTATA SAECULA VERBO DEI.

VIIII. Quæ ſi uberiùs exponenda ſint, conuerſo per Moyſen ad ſuperiores ordine, ita dicentur. Conſtat Legem, divinitùs Moyſi datam, duo præcipuè fuiſſe complexam ; DEI cultum utì Creatoris, per apertam rei antea geſtæ narrationem ; eiuſdemque DEI cultum utì Redemptoris, per rei aliquando gerendæ Prophetiam : Chriſtum ubique prædicando ; velatâ attamen facie ; *cùm intendere nondum poſſent Iſraelis filii hebetes oculos in gloriam Domini*. Hujuſmodi verò cultus bifariam diviſus in tabernaculi ſtructura elucebat. Auctor eſt enim Ioſephus Flavius, ſuæ gentis Sacerdos, atque adeò rituum patriorum doctus interpres, in tabernaculi fabrica imaginem quandam Mundi à Deo conditi fuiſſe propoſitam, ut Conditorem rerum omnium venerarentur. „ Flavius Antiq. Iudaic. lib. 3. cap. 9.
„ ἕκαςα γὰρ τούτων In his omnibus, inquit, repræſentatam
„ quodammodo univerſitatis rerum naturam invenire licet ;
„ ſi quis non otiosè ſed prudenter ſingula conſideret. Nam
„ & tabernaculum longitudine 30. cubitorum trifariam parti-
„ tus, & duabus partibus Sacerdotibus permiſſis quaſi pro-
„ phano loco, Terram & Mare ſignificat. Hæc enim ab omni-
„ bus promiſcuè calcantur. Tertiam verò partem ſoli Deo
„ deſignavit, eo quod Cœlum hominibus ſit inacceſſibile.
„ Itidem per duodecim panes in menſa diſpoſitos annum ſigni-
„ ficavit in duodecim menſes diviſum : & cùm candelabrum,
„ è ſeptuaginta partibus compoſuit, duodecim ſigna, per quæ
„ planetæ feruntur, ſubindicauit : & per ſeptem lucernas im-
„ poſitas totidem planetarum curſum. Hactenus Joſephus. Breviùs tamẽ Apoſtolus potiora innuit Sacramenta tum creationis, tum redemptionis in tabernaculi ſtructura, cùm ait : *Cum eſſent*
„ *qui offerunt ſecundùm Legem munera, qui exemplari & um-*
„ *bræ deſerviunt cœleſtium. Sicut reſponſum eſt Moyſi, cùm*
„ *conſummaret tabernaculum. Vide,* inquit, *omnia facito ſecundùm exemplar, quod tibi in Monte monſtratum eſt*. Pergit verò Paulus nos veluti manu apprehenſos ducere à tabernaculo per Moyſen erecto *ad tabernaculum non manufactum, ideſt non hujus creationis, in quod Chriſtus aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum ſemel introivit, & ſemetipſum obtulit immaculatum Deo* inter Paſchalis feſti ſolemnia : quæ propterà diligentiſſimè ducimus obſervanda, utpotè religionis totius, & myſteriorum Chriſti compendium. „ *Habuit quidem,* inquit, *& prius juſtificationes*
„ *culturæ, & SANCTUM SÆCULARE. Tabernaculum enim*
„ *factum eſt primum, in quo erant candelabra, & menſa, & pro-*
„ *poſitio panum, quæ dicitur ſancta. Poſt velamentum autem*

ſecun-

„ *ſecundum, tabernaculum quod dicitur Sancta Sanctorum &c.*
„ *His verò ita compoſitis, in priori quidem tabernaculo ſemper*
„ *introibant Sacerdotes Sacrificiorum officia conſummantes: in*
„ *ſecundo autem ſemel in anno ſolus Pontifex, non ſine ſanguine,*
„ *quem offert pro ſua & populi ignorantia: hoc ſignificante Spi-*
„ *ritu Sancto, nondum propalatam eſſe Sanctorum viam, adhuc*
„ *priori tabernaculo habente ſtatum: quæ parabola eſt temporis*
„ *inſtantis: juxta quam munera & hoſtiæ offeruntur, quæ non*
„ *poſſunt juxta conſcientiam &c.* Tum verò pergit: *Chriſtus*
„ *autem aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum, per amplius &*
„ *perfectius tabernaculum, non manufactum, ideſt non hujus*
„ *creationis, neque per ſanguinem hircorum, aut vitulorum, ſed*
„ *per proprium ſanguinem ſemel introivit in Sancta, æterna re-*
„ *demptione inventâ.*

Paſchalis itaque feſti ratio in annuis Hebræorum ſacrificijs, & in ipſa tabernaculi ſtructura, ac dedicatione menſe primo peracta, utì SS. Patres adnotavere poſt Paulum, ſuperiora complectitur ſacerdotia, quæ Creatoris beneficia recolebant; at in Chriſtianis ſacris, tum legalia, tum naturalia hominum, & Angelorum miniſteria indicat, DEO Creatori pariter àc Redemptori, hoc eſt VERBO Conditori ac Reparatori, ritè perſolvenda. Hinc eſt quod aſſerimus cum Eccleſiæ Catholicæ Patribus, tum demum rectè ordinari Sacrorum modum, ac feſtorum dierum leges, quum in Paſchatis Chriſtiani tempus legitimum conſpirant omnia, quæ conditæ, ac renovatæ creaturæ teſtimonia offerunt Chriſto, juxta conſultiſſimam Patrum eorundem, immo & ipſius DEI ſapientiſſimam conſtitutionem. Quæ verò teſtimonia illa ſint, enumerant Patres antiqui. Nonnulli ea repetunt ab Epiſcopis Concilij Palæſtini per Theophilum Cæſarienſem Metropolitam convocati delegatione Romani Pontificis Victoris I., anno 196. Aeræ Chriſti, Severi Imperatoris quarto. Ejus Concilii fragmentum in epiſtola Philippi à Reu. P. Bucherio editum, necnon apud Bedam, vnde excripſerunt RR. PP. Binius, & Labbeus in editione Conciliorum Generalium Tomo primo pag. 596. his verbis concipitur. „ Papa
„ Victor Romanæ Vrbis Epiſcopus direxit auctoritatem ad
„ Theophilum Cæſarienſis Paleſtinæ antiſtitem, vt quomodo
„ Paſcha recto jure à Catholicis celebraretur Eccleſiis inibi
„ fieret ordinatio, ubi Dominus, & Salvator Mundi fuerat in
„ carne verſatus. Percepta itaque auctoritate, prædictus Epi-
„ ſcopus, non ſolùm de ſua provincia, ſed etiam de univerſis
„ regionibus omnes Epiſcopos evocavit. Ubi verò illa multi-
„ tudo Sacerdotum convenit, tunc Theophilus Epiſcopus pro-
„ tulit auctoritatem ad ſe miſſam Victoris Papæ; & quid ſibi
„ operis fuiſſet injunctum oſtendit. Tunc pariter omnes Epi-

ſcopi

„ ſcopi dixerunt. Niſi priùs quomodo mundus fuit à principio
„ inveſtigetur, nihil poteſt de obſervantia ſalubriter ordinari.
„ Dixerunt ergo Epiſcopi. Quem credimus factum fuiſſe in mundo primum, niſi Dominicum diem? Theophilus Epiſcopus dixit: probate quod dicitis. Reſponderunt Epiſcopi ſecundùm ſcripturæ auctoritatem: Factum eſt veſpere & mane dies primus: deinde ſecundus, tertius, quartus, quintus, ſextus, ſeptimus; in quo ſeptimo requievit Deus ab omnibus operibus ſuis: quem diem Sabbatum appellavit. Ergo cùm noviſſimum diem ſignet Sabbatum; quis poteſt eſſe primus, niſi Dominicus dies?

„ Theophilus Epiſcopus dixit: Ecce de die Dominico, quia primus ſit, probaſtis. De tempore autem quid dicitis? Quatuor enim mundi tempora accipiuntur, Ver, Aeſtas, Autumnus, & Hiems. Quod ergo tempus primum factum in mundo? Epiſcopi reſponderunt: Vernum. Theophilus Epiſcopus dixit: probate quod dicitis. Et illi reſponderunt: ſcriptum eſt: Germinet terra herbam ſecundùm genus ſuum, & lignum fructiferum ferens fructum ſuum: hoc autem temporibus veris accipitur. Theophilus dixit: in quo loco caput mundi eſſe creditis: in principio temporis, aut in medio tempore, aut in fine? Epiſcopi reſponderunt: in Aequinoctio, octavo Kalendarum Aprilium. Theophilus Epiſcopus dixit: probate quod dicitis. Et illi reſponderunt: ſcriptum eſt, quia fecit Deus lucem diem: & fecit tenebras, & vocavit tenebras noctem: & diviſit inter lucem, & tenebras æquas partes. Dixit Theophilus: Ecce de die, & tempore probaſtis. De Luna quid vobis videtur: utrum creſcentem, an jam plenam, an imminutam à Deo fuiſſe conſecratam (ali concretam)? Epiſcopi reſponderunt: Plenam. Et ille: Probate, quod dicitis. Reſponderunt: Et fecit Deus duo Luminaria magna, & poſuit ea in firmamento Cęli, ut luceant ſuper terram: Luminare majus in inchoationem diei, Luminare minus in inchoationem noctis. Non poterat aliter, niſi eſſet plena. Nunc ergo inueſtigavimus, quomodo in principio factus fuerit mundus, ideſt, die Dominico, Verno tempore, in Aequinoctio, quod eſt Octavo Kalendarum Aprilium, Luna plena: per ipſum tantummodo tempus, & elementa reſurgunt.

Equidem ſcio, hujuſce Concilii acta medicæ manûs indiga jure merito reputari à Criticis eruditis. Neque tamen idcircò refellendas eſſe tamquam fictitias ſententias illas, quæ ita procuſæ ſunt, utì ab antiquis exemplaribus exceperunt laudati collectores tum plura evincunt, tum illud maximè, quòd eadem fermè obſervaret myſteria temporis Victorius in Cyclo ſuo decla-

declarando, quæ ibi de Luna primigenia, primoque de menſe dicuntur; & reliqua ad eaſdem Lunæ phaſes accommodata luculenter ediſſerat S. Auguſtinus loco paullò infra adducendo. His addi etiam video tum S. Hieronymi, tum Origenis teſtimonia in literis Cummiani Hiberni ad Segienum Huenſem Abbatem de controverſia Paſchali, datis anno Chriſti 650., quæ numero xj. recenſentur in ſylloge epiſtolarum Hibernicarum.
„ Ego enim, inquit, primo anno, quo Cyclus quingentorum
„ trigintaduorum annorum à nobis celebrari orſus eſt, non
„ ſuſcepi, ſed ſilui: nec laudare, nec vituperare auſus, utpotè
„ Hebræos, Græcos, Latinos (quas linguas, ut Hieronymus
„ ait in Crucis ſuæ titulo Chriſtus conſecravit) ſuperare mini-
„ mè in ſcientia me credens &c. Et inveni primùm in Exodo de
„ primo menſe eſſe inquirendum ſecundùm Hebræos. Scriptum
„ eſt enim: *Menſis iſte vobis principium menſium primus erit in*
„ *menſibus anni*. Et in ſequentibus: *decima die menſis hujus*
„ *accipiet unuſquiſque agnum per familias, & domos ſuas, &*
„ *ſervabitis eum uſque ad decimamquartam diem menſis hujus*,
„ ideſt primi menſis: *immolabitque eum univerſa multitudo*
„ *filiorum Iſrael ad veſperam*. Et inveni hoc Apoſtolum de
„ immolatione Chriſti, non de reſurrectione commemoraſſe,
„ dicentem: *Etenim Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus*.
„ Item in Exodo: *Et cuſtodietis diem iſtum in generationes ve-* 1. *Cor*. 5. 7.
„ *ſtras ritu ſempiterno, primo menſe, quartadecima die menſis*. *Exod*. 12. 17.
„ In Levitico quoque: *Si quis mundus eſt, & in itinere non fuit,*
„ *& tamen non fecit Phaſe; exterminabitur anima illa de po-* *Num*. 9. 13.
„ *pulis ſuis, quia ſacrificium Domini non obtulit in tempore ſuo,*
„ *hoc eſt in primo menſe*. Hoc timui, & inquiſivi diligenter,
„ quid Hebræi, quid Græci, quid Latini, quid Ægyptii de hoc
„ tempore ſervarent, & ſentirent: quod in ſequentibus demon-
„ ſtrabo. Item in Exodo: *vij diebus comedetis azyma uſque ad* *Exod*. 12. 15.
„ *diem xxj*. & in tractatibus diligenter inveſtigavi, quid ſenti-
„ rent de xxj. eruditi viri, quod Hieronymus pulcherrimè ex-
„ planat dicendo: Paſcha immolat populus, & alias celebrat
„ feſtivitates: omnis ejus ſolemnitas die finitur octavo: prima
„ dies in Azymis xiv., dies octava xxi. Item in libro quæſtio-
„ num: à xiv. Luna, quæ nobis ſecundùm Legem prima eſt,
„ rationem Paſchæ obſervemus. Omnia enim plena Deus in-
„ ſtituit: ideo à xiv. Luna uſque in xxi. his ſeptem diebus
„ Paſcha nobis celebrare conceſſum eſt: ut de his ſeptem ali-
„ qui dies à paraſceve uſque ad reſurrectionem concludantur:
„ ut neque xiij. in paſſione ſit, neque xiv. aut xij. (fortaſſe xxij)
„ in reſurrectione: nec ante primam ſecundùm nos Lunam paſ-
„ ſio Chriſti ſit, neque reſurrectio ejus in primo die (legendum

,, videtur *niſi in primo die*) quo cœptus eſt Mundus. Hæc 86.
,, quæſtione. Item 91. Apoſtolus, inquit, falli non potuit, qui
,, ait: Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus: quod non ſuum
,, utique, ſed legis eſt verbum, dicente Moyſe: & erit cùm di-
,, cent vobis filii veſtri: Quæ eſt deſervitio hæc? Et dicetis:
,, immolatio eſt, hoc Paſcha Domini eſt. Quid amplius, inquit,
,, neceſſarium ad teſtimonium? Lex loquitur: Apoſtolus pro-
,, bat: hoc ſupereſt, ut contradictor abjiciatur ut pervicax.
,, Manifeſtum eſt, tranſitum poſt Paſcha fuiſſe. Sanguis igitur
,, ſalutem præſtitit, non tranſitus: quia ut tranſitus non noce-
,, ret, obſtitit ſanguis. Hoc timui, & me perculit. Item per-
,, ſcrutans inveni & Origenem Chalcenterum, & verè adaman-
,, tinum dicentem: eſt quidem ſolemnis dies in menſe primo,
,, alia ſolemnitas Paſchæ, alia ſolemnitas azymorum, licèt
,, juncta videatur azymis. Principium namque azymorum ad
,, fidem (fortè *finem*) Paſcha conjungitur. Paſcha autem ipſe
,, ſolus dies appellatur, in quo agnus occiditur; reliqui verò
,, azymorum ſeptem dies appellantur. Sic enim dicit: facies
,, ſolemnitatem azymorum ſeptem diebus &c.

Hæc in literis Cummiani Hiberni. Verùm & alia teſtimonia ſuperſunt in genuinis operibus Sanctorum Patrum, Nicęnis temporibus æqualium, aut certè proximorum, quibus mirificè illuſtratur, non ſecus, ac ex actis Cęſarienſi Concilio attributis, cauſa electionis diei Dominicæ, Verni Aequinoctii, ac plenilunii ad celebranda reſurrectionis Chriſti myſteria. Huc verò univerſa recidunt. Ut ſcilicet omnia per Verbum ſemel creata ſunt, cùm eſſent omnia per Verbum iterum renovanda; ita natura, lex, gratia conſentire debent in unum principium, & cardinem myſteriorum Verbi: adeoque prima hebdomadæ dies ſit inſimul Mundi natalis & redemptionis, ſeu novæ per Redemptorem vitæ comparatæ: primus anni menſis dedicationis tabernaculi, & Sancti Sanctorum, menſis novorum, & dies quam fecit Dominus, *propter ſimilitudinem Sacramenti renovandæ vitæ*, utì Foroſempronienſis Epiſcopus in Paulina hauſiſſe aſſerit ex Hieronymo, nos etiam in Auguſtino infra recitando reperimus. Utrique conſentit Cyrillus, paſſim in Paſchalibus homiliis hæc ipſa repetens: præcipuè verò in ſecunda, & octava, (quam vulgo nonam habent) ubi ait: ἥκει γὰρ κ.λ. ,, adducit

S. Cyrill. pag. 109.

,, ſiquidem ad nos vernum hoc tempus noſtri Salvatoris anaſta-
,, ſim, per quam omnes in novitatem vitæ transformamur.

Fuſiùs etiam idem argumentum proſequitur in decimaquinta vulgò decimaſexta σεσώσμεθα γὰρ ἐν Χριστῷ ,, ſervati enim ſumus in

pag. 216.

,, Chriſto, ut modò dicebam, demonſtrato nobis ſancto taber-
,, naculo in tempore opportuno, quo in novitatem vitæ tranſ-

for-

„ formemur &c. Præiverat Cyrillo Theophilus Alexandrinus ad Imperatorem Theodoſium, ita perſcribens. Τὸ μὲν ἅγιον, καὶ μακάριον Πάσχα, κ.λ. „ Sanctum quidem, & beatum Paſcha apertè Lex divina diſtinguit. Menſem quoque ejus, in quo debet fieri, ſignificat: diem etiam cum cautela maxima obſervari jubens. Hæc enim Dei vox eſt in eadem Lege propoſita: Obſerva menſem novorum, & facies Paſcha Domino Deo tuo decima quarta die menſis primi. Menſem autem novum dixit, quem & primum vocat, in quo adulti fructus factam prænunciant veterum ceſſationem. In XIV. autem die ipſius menſis obſervari Paſcha præcepit, non propter aliam cauſam, niſi propter ſimilitudinem Lunæ, quæ tunc in fulgore plenum habet globum proprium, ut nos quoque perfectum ſplendorem fidei, & ſensûs gerentes à peccati tenebris ſegregemur, & ut vegetati diverſarum varietate virtutum, earumque foliis veluta mœnæ arboris adumbratione velati, tanquam latæ atque fructiferæ ſegetes pullulemus.

Sed omnium luculentiſſimè myſteria temporum exponit Auguſtinus Epiſtola 119. ad Ianuarium, celebrem illam diſtinctionem inducens feſtorum, quæ ſimul in memoriam rei geſtæ, & in ſacramentum rei gerendæ ſunt divinitùs inſtituta. Quæris, inquit, quæ cauſſa ſit, cur anniverſarius dies celebrandæ Dominicæ Paſſionis non ad eundem redeat anni diem, ſicut dies, qua traditur natus. Et deinde ſubjungis, ſi hoc ſit propter Sabbatum & Lunam, quid ſibi velit in hac re obſervatio Sabbati, & Lunæ. Hìc primum opportet ut noveris, diem Natalis Domini non in ſacramento celebrari, ſed tantum in memoriam revocari quod natus ſit; ac per hoc nihil opus erat, niſi revolutum anni diem, quo ipſa res acta eſt, feſta devotione ſignificari. Sacramentum autem eſt in aliqua celebratione, cùm rei geſtæ ità rememoratio ſit, ut aliquid etiam ſignificari intelligatur, quod ſanctè accipiendum eſt. Eo igitur modo agimus Paſcha, ut non ſolum in memoriam quod geſtum eſt revocemus; ſed etiam cætera, quæ circa ea atteſtantur, ad ſacramenti ſignificationem non omittamus. Quia enim, ſicut dicit Apoſtolus, mortuus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram, tranſitus quidam de morte ad vitam in illa Paſſione Domini, & Reſurrectione ſacratus eſt. Tùm pluribus interpoſitis, deſcendit ad ſingula myſteria declaranda, quæ in delectu Solaris, ac Lunaris adſpectûs & Sabbati, primæque Sabbati attendit Eccleſia. Hic enim tranſitus Paſchæ, inquit, à nobis agitur PER FIDEM, quæ nobis eſt in remiſſionem peccatorum, in ſpem vitæ æternæ &c. Præiverat Apoſtolus Auguſtino, docens *fide nos intelligere aptata eſſe Sæcula Verbo Dei, & fide celebratum*

S. Auguſt. tomo 2. Epiſt. 119. ad Ian.

bratum

,, *bratum fuiſſe Paſcha*. Idcircò & nos eandem doctrinam ſectari, eamque profeſſi in numiſmatis inſcriptione, ſacramenta ſalutis hoc in feſto conquirimus cum Auguſtino: qui, ut ex Apoſtolo monuit, nos cum Chriſto conſepultos cum illo etiam re-
,, ſurexiſſe, ità proſequitur: Hæc igitur innouatio vitæ noſtræ
,, eſt quidam tranſitus de morte ad vitam: qui primò fit per
,, FIDEM, ut in ſpe gaudeamus &c. Propter hanc ergo vitæ
,, novitatem primus menſis in anni menſibus celebrationi huic
,, attributus eſt. Nam & ipſe dicitur menſis novorum. Quia
,, verò in toto tempore ſæculi nunc tertium tempus appa-
,, ruit; ideò Reſurrectio Domini triduana eſt. Primum enim
,, tempus ante legem, ſecundum ſub lege, tertium ſub gratia;
,, ubi jàm manifeſtatio eſt Sacramenti priùs occulti in prophe-
,, tico ænigmate. Hoc ergo in lunari numero ſignificatur: quia
,, enim ſeptenarius numerus ſolet in Scripturis ad quandam
,, perfectionem myſticus apparere, *tertia hebdomada Lunæ Pa-*
,, *ſcha celebratur qui dies occurrit à quartadecima ad viceſi-*
,, *mamprinam*. Tum aliud myſterium à Lunæ converſione ad
,, Solem coniiciens, ait: Ac per hoc Spiritus Sanctus de viſi-
,, bilibus ad inviſibilia, & de corporalibus ad ſpiritalia ſa-
,, cramenta ſimilitudinem ducens, tranſitum illum de alia vita
,, in aliam vitam, quod Paſcha nominatur, à quartadecima Lu-
,, na voluit obſervari, ut non ſolum propter tempus tertium,
,, quod ſupra commemoravi, quia inde incipit hebdomada
,, tertia, ſed etiam propter ipſam converſionem ab exteriori-
,, bus ad interiora ſimilitudo aſſumeretur: uſque ad viceſimam
,, verò & primam propter ipſum numerum ſeptenarium, quo
,, univerſitatis ſignatio ſæpe figuratur, qui etiam Eccleſiæ tri-
,, buitur propter inſtar univerſitatis.

Ex his verò Sacramentorum indiciis, quæ ordine temporum & aſtrorum aptè conſignare maluit Eccleſia, nihil admodum decedere docet libertati Evangelicæ legis, jàm ab umbra figurarum exemptæ: cùm ſobrietate quadam in ſolo ferè Paſchali fe-
,, ſto id obſervet. Nos inquit ad rem ſacratè ſignificandam ſi-
,, militudines aptas religioſiſſima devotione ſuſcipimus, ſicut
,, de cetera creatura, de ventis, de mare, de terra, de volatili-
,, bus, de piſcibus, de arboribus, de hominibus, ad ſermonem
,, quidem multipliciter, ad celebrationem verò ſacramento-
,, rum in Chriſtiana libertate parciſſimè, ſicut de aqua, de fru-
,, mento, de vino, de oleo. In ſervitute autem veteris populi
,, etiam multa celebrari imperata ſunt, quæ nobis tantummodo
,, intelligenda traduntur &c. Tum expoſito Æquinoctii delectu, ad diem Sabbati, & primam Sabbati, ejuſque myſterium detegendum convertitur. Omnia verò in id recidunt, ut tria quæ dixit tempora, ante legem, ſub lege, & Chriſti gratiæ

com-

completa cognoſcamus in hac Paſchali temporum plenitudine, & harmonia: quam Chriſtus Dominus pro omnimoda ſua poteſtate animam ponendi, & iterum recipiendi, elegit, non ut fatalem horam, ait S. Doctor, ſed ut *opportunam ſacramento*. Coniungi ergo vides in utriuſque Luminaris poſitu, & in prima Sabbati gratiæ prophetiam, primùm in creatione, iterum in „ lege adumbratam. Illa autem vita prima (inquit Auguſti- „ nus) quæ de peregrinatione redeuntibus, & primam ſtolam „ accipientibus redditur, per unam Sabbati, quem diem Do- „ minicum dicimus, figuratur.

Eandem fermè ſententiam, uti Epiſcopus Foroſempronienſis admonuit, S. Hieronymus perſcripſerat ad Fabiolam Ep. CXXVII. „ de XLII. manſionibus. Cumque commoti fuerimus ad evan- „ gelicam tubam, & excitati tonitruo gaudii, eximus in men- „ ſe primo, quando hyems præteriit, & abiit ſibi, quando „ veris exordium eſt, quando terra parturit, quando cuncta „ renovantur: & eximus quintadecima die menſis primi, in „ craſtinum Paſchæ, pleno menſis lumine, poſt eſum agni im- „ maculati; & calciatos pedes habentes de Apoſtolo; & ac- „ cinctos pudicitia lumbos, & baculos in manibus præparatos. „ Quamuis enim in Ægypto decimaquarta die menſis Paſcha „ facientes, comederimus agnum; tamen tunc nobis lux ple- „ na completur, quando in manu excelſa Rameſem dimitti- „ mus, quæ excelſa dicitur, vel quod Ægyptum percuſſerit, „ vel quod protexerit Iſrael videntibus Ægyptiis, qui admi- „ rantur nos exire de ſæculo, & torquentur invidia: & poſtea „ nos tenere cupientes, in perſecutionibus ſuffocantur. Unde etiam licet colligere, quàm congrua loci electione hìc dedicentur, quæ ad Paſchalis triumphi pompam ritè celebrandam comparamus in Thermis à Diocletiano conſtructis, à perſecutore ſcilicet maximè infenſo Chriſtianis Sacris; *ut Phaſe Domini ac tranſitum ad excelſa* coram tyranni molibus, hoc eſt videntibus veluti Ægyptiis, cum vero Moyſe, ac Martyrum Duce Chriſto quotannis inſtauremus, præmiſſis naturæ, ac legis ſymbolis, quæ luculenter expoſita ſunt, per Hieronymum, & Auguſtinum.

Verùm quid pluribus iſta proſequimur in ſingulis Patribus; cùm Eccleſia quotannis hæc tria myſteria conjungat, tanquam inter ſe connexa invicem, & analoga, creationem ſcilicet rerum, Phaſe Hebræorum, & Paſcha Chriſtianum? In lectionibus enim propheticis, quæ Sabbato majoris hebdomadæ præmittuntur Reſurrectionis ſolemnitati, ſtatim ac prima de rerum creatione recitata eſt, eique altera de reſtitutione Orbis Terrarum poſt cataclyſmum ſubiicitur, ſacerdos collectam dat, veluti myſteriorum interpres, exponens, ut ipſe ait, *totius Ec-*

cleſiæ mirabile ſacrmentum: nempe *ut totus Mundus experiatur & videat dejecta erigi, inveterata renovari, & per ipſum redire omnia in integrum, à quo ſumpſere principium, Dominum noſtrum JESV M Chriſtum &c.* In ea verò lectione, quæ ordine ponitur nona ex libro Exodi, ubi legalis Paſchæ ratio à Deo tradita edicitur, ſacerdos orans creationis, & redemptionis beneficia conjungit: *intelligant* inquit, *redempti tui, non fuiſſe excellentius, quod initio factus eſt Mundus, quàm quod in fine ſæculorum Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus*. Nempe huc redeunt univerſa myſteria, Cælo Terraque præmiſſa à die prima Orbis conditi, & ſerie continenti producta ad primam Sabbati quam fecit Dominus, ut omnis lingua confiteatur arcana,

Rabanus Maurus de inſtitut. Cleric. lib. 9. cap. 38.

,, & gloriam Redemptoris. ,, Lectionum veteris Teſtamenti, &
,, Orationum ordo peragitur, ait Rabanus Maurus, ut innoteſcat,
,, quanta expectatione à primordio Mundi per Patriar-
,, chas, & Prophetas ſalus noſtra præſagiebatur, quæ in Sal-
,, vatoris noſtri Paſſione, & Reſurrectione completa eſt.

Paulus de Middelburgo ſub initium libri primi ſuæ Paulinæ.

Rectè igitur monebat Foroſempronienſis Epiſcopus in Paulina, Chriſtum Dominum in Paſchate illo σταυρωσίμῳ, καὶ ἀναστασίμῳ, in quo fecit utraque unum, complexum fuiſſe tempora utriuſque myſterii, ſcilicet Mundi Creationis, & Paſchatis Hebræorum: quorum in utroque Paſſionis, & Reſurrectionis ſuæ indi-
,, cia à rerum conſtitutione, præmiſerat. Tempora, inquit,
,, omnia, quæ in Paſcha Hebræorum, vel immolatione agni
,, Paſchalis requirebantur, apprimè ſemper cuſtodiſſe (Chri-
,, ſtum Dominum): Quia omnia hæc tempora myſticè figura-
,, bant paſſionem ejus in cruce pro redemptione humani ge-
,, neris, eiſdem vel ſimilibus temporibus futuram. Eodem
,, modo & tempora omnia, quæ concurrerant in prima Mundi,
,, & hominis plaſmatione, in ſua quoque paſſione obſervare
,, voluit, ut maculam illam, quam per protoplaſti peccatum,
,, & prævaricationem contraxerant, per ſuam paſſionem dele-
,, ret, ac pura, & nitida redderet: atque humanam naturam in
,, priſtinam innocentiam reſtitueret. Hæc autem tempora deſi-
,, gnant Æquinoctium, & Sol in Æquinoctio vernali poſitus,
,, Luna lumine plena ex Solis oppoſito in Æquinoctio vernali
,, collocata, Feria VI., hoc eſt dies Veneris, in qua homo
,, per contumaciam lapſus hæc omnia tempora contamina-
,, vit. Idem namque modus eſſe debuit innovationis Mun-
,, di, & redemptionis humani generis, qui fuit primæ ejus
,, creationis. Cuncta ergo tempora, quæ concurrebant in pri-
,, ma Mundi, & hominis plaſmatione, & quæ per lapſum
,, ejus, & prævaricationem contaminata fuerant, debebant
,, eâdem ſerie reſumi in redemptione ejus, & una cum homine
,, purificari.

X Ordi-

X Ordinato itaque per Gregorium Kalendario, comparatiſque per Clementem præſidiis ad eum ordinem ſanctè cuſtodiendum, in quo dignitas Chriſti ſacramentorum elucet, & figuræ cum prototypo conferuntur per ſigna temporum à Deo conſtituta, & teſtes in cœlo fideles, rectè dicimus cum Apoſtolo Paulo, rectèque utimur ejuſdem verbis, FIDE INTELLIGIMUS APTA ESSE SÆCULA VERBO DEI: non detorquentes in alienam ſignificationem ea, quæ à divinis lireris placuit aſſumere ad Pontificii hujus operis & numiſmatis inſcriptionem. Conſtat itaque ratio epigraphis utriuſque, tum myſticæ, tum hiſtoricæ: quarum altera finem reſpicit, altera modum ejus retinendæ ordinationis, quam ad myſteriorum integritatem maximè pertinere cenſet Eccleſia. Videtur enim cura Clementis cum Leonis Magni ſollicitudine idem monere, quod ad Marcianum Auguſtum ille ſcribebat: „ Et quia non leviter delinquitur, ſi in principe ſacramento (vel ut alii legunt in principio „ ſacramenti) veritas, & unitas ab univerſali Eccleſia non te„ netur: obſecro clementiam veſtram, ut ſtudium veſtrum præ„ ſtare dignemini, quatenus Ægyptii, vel ſi qui ſunt alii, qui „ certam hujus ſupputationis videntur habere notitiam, ſcru„ pulum hujus ſollicitudinis abſolvant, ut eum diem generalis „ obſervantia dirigat, qui nec paternarum conſtitutionum normam relinquat, nec ultra præfixos terminos evagetur. Et ad Eudociam Auguſti conjugem ait: „ Quia verò oportet ſerenitatem tuam curæ iſtius mecum eſſe participem, & ne quid tale „ accidat, præcavere, crebriùs religioſiſſimo, & fideliſſimo „ principi dignare ſuggerere, ut indiſſimulanter jubeat Ægyp„ tios admonere, ne in ſummæ feſtivitatis die, aut diſſenſione „ aliqua, aut tranſgreſſione peccetur.

S. Leo Magnus. Epiſt. LXIV.

Epiſt. LXV.

XI Videor hactenus liberaſſe fidem circa priorem promiſſi partem: qua ſpondideram ea declarare, quæ ad nummi expoſitionem ſpectant. Supereſt modò, ut in ſecunda proſequar ea, quæ ad Gnomonis iſtius Aſtronomici deſcriptionem, & uſum à me perſcribi poſtulas. Hìc autem erunt à me præſtanda duo: primum, ut fabricam Gnomonis declarem per partes ſingulas; alterum verò, ut exponam obſervationes, per Gnomonem peractas, aut peragendas: & utilitatem, inde perceptam, vel expectandam, tum in præcipuo inſtituto regundi Kalendarii, tum in reliquis vitæ ac diſciplinarum commodis promovendis.

XII Structuræ iſtius partes duæ ſunt, aut, ſi placet ita nominare, duplex eſt Gnomon, eidem tangenti plano horizontali connexus. Meridiana enim linea, in pavimento Eccleſiæ producta, duos habet incumbentes radios, cum quibus angulum rectum conſtituit; ab Auſtrali quidem plaga eum, qui Soli obſervando erectus fuit; à Boreali verò alterum, unde poli elevationem ſupra hori-

horizontem metimur. Gnomonis utriuſque uſus in triangulo aperitur, ut noſti ex Gnomonicis demonſtrationibus: ſeù triplici recta indiget, nempe linea *perpendiculari*, quæ *radius* dicitur circuli, cujus Gnomon eſt umbilicus; *horizontali*, quæ *tangens* habetur anguli, ſive arcûs diſtantiæ à vertice corporum in plano meridiano verſantium; & *viſiva*, quæ in eodem triangulo *ſecantis* vicem obtinet. Quæ ut acriùs irritent animos oculis ſubiecta fidelibus, utere inſertâ figura. Eſto linea meridiana horizontalis E C D. Plaga C D A auſtralis eſt, unde Sol S, & reliqua corpora, motu diurno ad meridianum perducta projiciunt radios S A C in horizontalem E C D: ſitque à Gnomone, ſive ut Latini vocant umbilico A, & à punctis C D connexis triangulus rectilineus A C D triplici linea conſtans; A D perpendiculari producenda ad Zenith in Z; C D horizontali, in pavimento ſtrata; & viſiva C A S ad Solem S continuo ductu trahenda. Triangulus rectangulus A C D in ſummo apice, ſeù Gnomone, & umbilicio A, ubi ſe interſecant rectæ D A Z, S A C, oſtendit angulum C A D, ſeu illi æqualem & adverticem Z A S, qui arcum Z S diſtantiæ Solis à puncto verticali metitur, dum Sol in meridiano circulo conſtitutus radium S A C proiicit in tangentem D C E; tangentem inquam D C, ſi referas ad arcum D V, ſive illi æqualem Z S. Facile intelligis, haberi quotidie poſſe ex trajecto hujuſmodi radio per foramen A in pariete A D excavatum, ope tangentis D C ab ipſo radio definitæ, arcum D V, ſive Z S, nempe diſtantiam meridianam Solis à vertice: ſi altitudine gnomonis A D diuisâ in partes 100. mil., etiam tangens horizontalis D C E in partes ſimiles diſtribuatur. In tabulis enim Trigonometricis, ad radium 100. mil. conſtructis, occurrunt ad gradus & minuta ſingula arcûs D V partes tangentis D C eidem reſpondentes.

Figura prima.

Vide Tab. V. Folio LXXIII.

Primo huic gnomoni Auſtrali perſimilis eſt alter, quem Borealem nuncupo, utpote ſitum verſus eam cæli plagam, qua Polus Arcticus patet, ſtellæque viſuntur, proximos circa ipſum circulos diurno motu deſcribentes. Iſtarum ope, ac Cynoſuræ potiſſimum, quæ minimè omnium in tabulis deſcriptarum à polo diſtat, ſcis altitudinem ipſius poli paſſim captari per inſtrumenta ærea, dioptris, aut tubis opticis inſtructa, & ſubtili diviſione inciſa: quæ quartam, aut ſextam circuli partem in gradus & minuta ſubſecant, & idcircò quadrantes, aut ſextantes appellari ſolent. Illa verò arcum P X diſtantiæ Stellæ Polaris à vertice nobis exhibent in utraque elevatione Stellæ, ſuperiori, & inferiori: divisâque bifariam differentia, Arctici cardinis elevationem ſupra horizontem definiunt: quam dicimus Poli altitudinem. Profectò quò amplior eſt circulus, ejuſve quadrans, aut ſextans, quem adhibemus, eò etiam præciſiùs ac diligentiùs

per-

perſpecta dicitur altitudo Poli. In hoc Gnomone Boreo lineæ Clementinæ vides circulum oppidò magnum, ſemidiametro B E deſcriptum, à nobis uſurpari: cui tangens horizontalis E C D aptata definitur à ſecante linea P B C, nempe à directo Stellæ radio per foramen B, & per tubum opticum T O (ut in quadrantibus & ſextantibus æreis fit) producto ad pavimentum E C. Perinde enim eſt arcum E T metiri in magno quadrante circuli, cujus centrum ſit B, ac in tangente E C gnomonis B E C, eidem arcui reſpondente in Tabulis Trigonometricis. Hoc verò intereſt inter inſtrumenta illa metallica, & Gnomonem hunc: quod illa tripedalis, aut quadripedalis ſint ſemidiametri; Gnomon verò noſter, radio B E deſcriptus, ſit palmorum 100., & paulò etiam longior. Nam radius alterius Gnomonis Auſtralis extenditur ad altitudinem pedum Pariſinorum duorum & ſexaginta cum ſemiſſe, ſive unicarum ſeptingentarum & quinquaginta; radius verò B E quintâ eſt parte productior, nempe partium 120. qualium A D eſt centum: ſive extenditur B E ad unicas pedis regii Pariſini nongentas; radius verò A D 750. At in meridiana Bononienſi radius eſt unicarum regiarum mille. Menſuras Gnomonum quum teneas, facilè aſſequeris, quantam poſſimus ab his attendere ſubtilitatem diviſionis in explorandis Solis & aſtrorum declinationibus. Hac de re ſermo nobis erit paulò inferiùs, quum de uſu eorundem agemus. Interea, ne recedam ab inſtituto fabricæ Gnomonum deſcribendæ, três eorundem lineas ſingillatim expendas velim: primùm in Auſtrali, deinde in Boreali.

XIII Auſtralis Gnomon A C D (ita enim vocabimus triangulum Gnomoni ſive umbilico A connexum) conſtat recta A D unciarum regiarum 750. Hanc lineam ita perpendiculo duximus. Statuimus edito in loco marmoream tabulam A B C è pariete prominentem intra Eccleſiam parte ſui modica A B C: (nam portio major parieti connexa cæmento firmiter hæret) eâque excavatâ, ut laminam æream X V horizonti parallelam in loco B D (figura ſecunda) admitteret, centrum laminæ Y (figura tertia) ita coaptavimus, ut demiſſo per illud filo ferreo, ope inſerti cylindri punctulo perforati Y Z, altitudo tota D L (figura ſecunda) à centro laminæ ad pavimentum æquaret uncias 750. regias. Duo erant in hac ſtructura diligenter curanda: unum, ne quid altitudini deeſſet, neve quid abundaret; alterum, ne punctum L, in pavimento ſubiectum puncto D, eſſet incertum. Primum menſuræ modum conſequebamur per oblongos aſſeres ex trabibus vetuſtis ſectos, invicemque ita connexos, uti duobus uel tribus ſegmentis pertingeremus à pavimento L ad feneſtellam B tripalmarem, apertam ſupra laminam V X, & ſupra tabulam marmoream A B C D, quà radii Sola-

Figura prima.
Figura ſecunda.
Figura tertia.

Solares, & planetarum ac fixarum liberè ad nos propagantur. Pondus æreum bilibre M annexum filo cupreo ſatis ſubtili D M ex iis chordis, quas paſſim adhibemus in organis muſicis fidicularibus, extenſo in lineam D M, innatabat aquæ in conceptaculo K S, quo citiùs conſiſteret in ſitu recto, excluſa aeris circumſtantis agitatione. Vas ipſum ſeù conceptaculum K S quadrilaterum ità admonebamus, aut removebamus, prorſum ac retrorſum, & ad utrumque latus, donec punctum L, definitum interſectione duplicis capilli, diagonales lineas referentis, filum ita extenſum attingeret. Hanc methodum edocti ſumus à Bononienſi deſcriptione lineæ meridianæ, unde pleraque etiam haurimus ex ſubſequentibus. Conſtitutis igitur in eo ſitu tam laminæ centro D, quàm conceptaculi centro L, ibique firmiter connexis, dubitari non poterat, quin recta D L eſſet perpendicularis linea, radium trigonometricum repræſentans. Licet verò laminam ſuperiorem, & conceptaculum inferius debito in loco aptaviſſemus pridie eidus Octobris anno MDCCI., qua die Sanctiſſimus D. N. CLEMENS Papa XI. lineam meridianam à nobis ductam ſui adventûs auſpicio dedicare primùm dignatus eſt; attamen iterum ac tertiò explorandum id eſſe duximus, tum abiegnis trabeculis quadratis unciarum trium, tum ſectis ex caſtanea aſſeribus, latis uncias quinas, craſſis unam, & in perpetuam lineam ſeù regulam ope clavorum connexis, per diverſa anni tempora; ne qua ſcilicet ſuſpicio contracti aut extenſi ligni per hiemem, ver, atque æſtatem nos moraretur (idcircò enìm trabes eaſdem ex antiquis abiegnis conignationibus domorum extractas, & aſſeres ex truncis caſtanearum à pluribus annis ſucciſarum ſectos diligenter aſſervavimus, & ſemper adhibuimus) attentè conſiderantes, num eadem altitudo radii, quæ aſſumpta initio fuerat, progreſſu temporis conſtans inveniretur, antequam marmora in pavimento ſtatueremus. Quum verò viſum nobis fuiſſet conſtare menſuras, alacriter aggreſſi pavimentum marmoribus ſternere, à prima perpendiculari linea, hactenus deſcriptâ, ad horizontalem convertebamur.

XIIII Horizontalis lineæ ſternendæ viam aperuit nunquam ſatis laudatus Auctor Meridianæ Bononienſis. Quum enim animadverteret, ſtagnantem aquam ad horizontis ſitum ſuopte ingenio ita componi, ut nulla ſit certior methodus libræ aſſequendæ; ſtatuit in pavimento canalem amplum, lineæ meridianæ proximum, eumque aquâ repletum indicem eſſe voluit ſuperficiei horizontalis: cui ſi paralleli ſternantur lapides, meridianam utrimque cingentes, ea demum planities, aquæ ſimillima & æquidiſtans, ab horizonte ſenſibili (ut vocant) numquam diſſentiat neceſſe eſt. Caſſinianam diligentiam nos quoque

imi-

imitati, tangentem horizontalem marmoribus utrimque munivimus, præſidio aquæ, in canali ſubſidentis. Lapides ſingulos exigebamus ad amuſſim, quam aquæ ſuperficies dabat, machinâ eâdem uſi, quam Aſtronomi Bononienſes adhibuerunt. In ea deſcribenda te nihil moror; cùm poſſis in eorum libro graphicè inciſam, ac diligenter deſcriptam intueri. Marmora ex nobilioribus ſunt, duritieque, ac lævore maximè commendatis, quæ ab antiquis tantummodo ædificiis veterum Romanorum hodie extrahuntur, *& marmorum Græcorum* nomine indigitantur à noſtratibus lapidariis. Colore ſunt vel candido, vel ſtriato, prout venarum excurrentium luſus variat. Extenduntur utrimque palmis binis: & mediam includunt lineam meridianam, ex ære in laminas confecto, ac probè lævigato ductam. Marmora ipſa cingit utrimque faſcia palmaris, marmorea pariter; ex eo tamen lapidis genere, quod in agro Veronenſi effoditur, flavi coloris; non ita quidem ſaturi, uti viſitur in antiquorum probatiſſimo, mellis tincturam imitato, & à noſtratibus dicto *giallo antico*; attamen ad illius ſpeciem proximè accedentis. Superficiem lapidum ut exegimus ad ſtagnantis aquæ modum, conſultum voluimus perennitati hujus libræ per plumbeam fiſtulam infernè excurrentem ad utrumque extremum lineæ meridianæ, & frequentibus oſtiolis hiantem in plura lapidea conceptacula, à quibus idem planum cum marmoribus conſtituitur. Id verò præcipuè curavimus in punctis æquinoctialibus: ubi vas geminum è ſtatuario marmore hinc inde collocavimus: utì aqua repletum, oſtendat, eandem cum marmoribus ſuperficiem continuari hoc in loco, quem ad anni cardines, Soliſque motum cum antiquis obſervationibus comparandum Aſtronomi potiſſimùm eligunt. Vides igitur, in utraque Gnomonis linea, tum perpendiculari, tum horizontali, nihil nos feciſſe reliquum ejus diligentiæ, quæ adhiberi maxima debuit in iiſdem dirigendis ad eas leges, per quas trigonometrico radio, ac tangentibus poſſent ubique reſpondere.

Nam quod pertinet ad lineæ horizontalis diviſionem in partes, non te fugit, ſecandam fuiſſe primò in centenas illas æquales, quæ longitudinem radii conſtituunt. Iſtuc verò præſtitimus, extendentes ſupra marmorum ſuperficiem eandem ligneam regulam, qua radii ipſius altitudinem dimenſi eramus: eâque iterum anteriùs promotâ, alteram radii longitudinem in linea adnotavimus. Tum aliâ regulâ ex trabeculis abiegnis compactâ, quæ bifariam partiebatur radium, quinquagenas partes definiri, eaſque rurſus in denas, in quinas, poſtremo etiam in ſingulares dividi neceſſe fuit: appoſitis dextrorſum cifris Arabicis, earundem numerum indicantibus. Decimæ cuique aut quintæ characteres ex ære appoſuimus: in reliquis inciſi ſunt & mate-

materia oppleti. At graduum ſingulorum notæ ex ære ſolido ſunt conſtitutæ ſiniſtrorſum. Æreas etiam ſtellas deauratas utrimque inſerere viſum eſt, ubi occurrebant tangentes lineæ reſpondentes arcubus diſtantiæ à vertice præcipuarum fixarum in meridiano. Limbis verò inſcripſimus, dextero quidem dierum quantitatem, hoc eſt moram Solis ſupra horizontem Romanum, per ſemihoras gradatìm auctam vel imminutam; ſiniſtro verò tangentes, debitas minutis tertiis circuli in terra maximi. Contigit verò opportunè, ut integra extenſio tangentis horizontalis à puncto perpendiculari, laminæ umbilici Auſtralis ſubiecto, ad extremum illud ultra Capricorni Tropicum, quà patebat in pavimento locus, reſpondeat ſeſquialterò minuto ſecundo: quæ una eſt, & ſemis ex partibus decies ac tercentenis millibus totius terræ ambitûs. Nam circulus quilibet cùm dividatur in gradus tercentos ac ſexagenos, quilibet verò gradus in minuta ſexaginta prima, quorum ſingula in totidem ſecunda diſtribuuntur, hæc verò in tertia pariter ſexaginta; maximum terreſtris globi circulum conſtare neceſſe eſt minutis primis vicies ac ſemel millibus, & ſexcentis, quæ totidem fermè ſunt Italica milliaria. At minuta illa ſi ducantur per ſexaginta, producunt numerum duodecies centenûm, & nonaginta ſex millium ſecundorum. Idcircò vides ad eam ſummam quatuor millia tantùm deſiderari, ut reſpondeat rotundo numero decies ac tercentenûm millium ſecundorum. Lineam igitur extenſam per ſeſquialterum ſecundum maximi in terra circuli (qualis hæc noſtra habetur) ſeſquialteram neceſſe eſt appellari partis illius, quæ una ſit ex decies ac tercentenis millibus rotundo numero, quibus univerſæ terræ ambitus conſtat. Id verò docet inſcriptio extremæ lineæ impoſita paullò ultra Capricorni Tropicum, ubi pavimentum incurrit in gradus Presbyterii. Omitto in hujus fabricæ deſcriptione recenſere Zodiaci ſigna, & partitiones horarum, appoſitas æquinoctiis; nam de his agendum erit, quando incidet ſermo de uſu tangentis meridianæ ad eadem æquinoctia exploranda.

XV Abſolvimus duplicem Gnomonis lineam, perpendicularem ſcilicet, & horizontalem. Tertia, quæ ſupereſt, viſiva, eſt radius ipſe directus Solis, Lunæ, aut Stellarum, qui per centrum laminæ trajectus, rectà incurrit in oculum, vel in pavimentum, ubi tangentem definit reſpondentem arcui diſtantiæ à vertice, quam Stella vel Planeta tunc obtinet. Hac de linea nihil à nobis dicendum ſupereſt: quippe cui nihil ars conferre debeat; ſed pro luminis natura ſponte cùm fluat; ſatis eſt per ſe definita. Id unum in Sole monemus, penumbræ habendam eſſe rationem. Prolixior eſſem quàm epiſtolæ ratio ferat, ſi demonſtratione confirmare inſtituerem negotium captu facillimum.

Teneas

Teneas tantùm velim, foramen laminæ, quà Solis radii deſcendunt in pavimentum, fuiſſe à nobis iuxta Bononienſis meridianæ modulos apertum diametro partis millenæ totius altitudinis radii. Ita enim fit, ut in ſupputandis tangentibus limborum Solis particulæ quinquaginta detrahendæ ſemper ſint puncto extremo penumbræ obſervatæ limbi inferioris, totidemque adjiciendæ extremo penumbræ obſervatæ limbi ſuperioris: quæ portio penumbræ aſſignata, limborum tangentes manifeſtat. In Luna verò, & planetis reliquis, ac ſtellis, quorum corporum lumen ita vehemens non eſt, ut in pavimento reflecti poſſit, adhibemus tubum opticum, dioptris internè, & externè munitum, ita reſpondentibus invicem, ut oculo iudicare poſſimus faciliter directionem viſivi radii à Stella per centrum laminæ, & per tubi dioptras in pavimentum rectà excurrentis. Quod cum in Sole experimur, manifeſtè perſpicimus conſenſum tangentium tubo exceptarum cum tangentibus à radio ipſius directo definitis; excluſa, ut antea monebamus, penumbra.

XVI Hæc de Gnomone Auſtrali fuerant ad te perſcribenda. Hinc aſſequeris quæ de Boreali dicenda ſunt. Quod enim pertinet ad perpendicularem, & ad horizontalem lineam, eadem ratio fuit utriuſque exigendæ ad certas menſuras. Hoc unum intereſt, quod radius Gnomonis Borei quinta parte ſuperat radium Auſtralis; nempe ille extenditur ad hujus centenas partes CXX. Ita enim ferebat diſpoſitio feneſtræ, qua uſi ſumus ad Cynoſuræ radios excipiendos. Id verò commodè nobis contigit; nam hujuſmodi menſura ita admovit æſtivo Tropico, in linea meridiana notato, projectionem ellipticam diurni circuli à Cynoſura deſcripti, ut opus non ſejunctum, ſed omninò connexum videantur uterque Gnomon, Auſtralis & Borealis.

XVII Profectò ſeparandi non erant invicem Gnomones hi, ut neceſſitas appareret eorundem componendorum, & comparandorum. Neque enim poſſet quidquam inferri certò ex obſervationibus in Auſtrali Gnomone peractis, niſi conſtaret priùs altitudo Poli, per Gnomonem Boreum definienda. Nam ex meridianis elevationibus fixarum, aut inerrantium ſtellarum, ut earundem declinationes ab Æquinoctiali circulo deducantur, ſtatuendum eſt antea, quoto gradu ipſe Æquinoctialis circulus diſtet à vertice: quæ latitudo ejus loci habetur, ubi obſervatio fit, omninò æqualis poli altitudini. Tum demum ex differentia arcûs utriuſque cognoſcitur declinatio.

Quum verò huc dilapſi differendo ſimus, ut à meridiana linea ad Stellæ Polaris orbitam ſermo proceſſerit (quæ alteràeſt fabricæ pars à me deſcribenda); incongruum non erit, ejus deſignandæ occaſionem tibi aperire. Dicebam itaque, fermè inutiles fore obſervationes meridianas aſtrorum, niſi de altitudine

poli primùm conſtaret. At poli altitudinem definire ſi diligenter velimus, obſervanda eſt elevatio ſtellæ alicujus circumpolaris (utimur omnes Cynoſurâ) in utraque parte meridiani circuli, quem bis illa ſubit per dies ſingulos, ſemel supernè, ſemel inferiùs; perſpicuum enim eſt, ejus differentiæ ſemiſſem, additum arcui minori, altitudinem poli (refractione ſeclusâ) definire.

Porrò ut iſtuc aſſequamur, expectanda nox eſt, quæ duodecim horas ſuperet: eaque ſeligenda, qua poſſis in utraque meridiani parte Stellam Polarem obſervare: quod ſolummodo contingit cadente Decembri, aut ineunte Januario. Præter paucas enim noctes à die XX. Decembris (ſtylo Gregoriano) ad diem X. Januarii interpoſitas, vix obſervabis Cynoſuram in utraque parte meridiani conſpicuam in horizonte Romano.

Figura quarta.

XVIII. Mihi verò occurrit methodus definiendæ utriuſque elevationis diebus ſingulis quorumlibet menſium. Ita enim arguebam. Stella Polaris A diurno motu circa Polum Mundi P deſcribit circulum, A B C., cui tanquam baſi innititur conus ✠ A B C. radiorum à centro organi ✠ per quod obſervatur ad eam perductus. Cono iſti ✠ A B C. obverſus eſt alter ei ſimilis ✠ D E F, ut Opticæ leges ferunt, à centro ejuſdem organi ✠ ad pavimentum D F perductus: cui cono cùm obliquè incidat horizon F H; communem ſectionem coni & horizontis neceſſe eſt abire in ellipſim D E F G. Jam verò cùm Euclides demonſtret, datis tribus circuli punctis in peripheria, circulum totum deſcribere (neque enim poteſt in punctum triplex incidere circumferentia quin reliquis etiam coaptetur); eodem planè jure conſtabit de tota perimetro ellipticæ deformationis ex triplici puncto in eadem ellipſi aſſignato; cùm ſingulæ partes ellipſeos ſingulis punctis reſpondeant datæ circularis peripheriæ. At dietim poſſumus triplex aſſignare punctum diurnæ revolutionis à Stella Polari deſcriptæ in ea projectione elliptica, in quam imago circuli deformatur à plano horizontis obliquè incidente. Poſſumus itaque dietim pariter definire puncta reliqua ad ellipſim eandem, eundemque ad circulum pertinentia: adeoque etiam duo illa, quæ utramque altitudinem Stellæ Polaris in duplici puncto meridianæ ſectionis oſtendunt. His verò aſſignatis, Poli elevatio ignorari nequaquam poteſt. Aſſequuti ergo ſumus per ellipticam deformationem diurni circuli à Cynoſura deſcripti, quotidie ut oſtendere certò poſſimus elevationem Poli Romani in Thermis Diocletiani pertingere ad gradus 41. minuta 54. ſecunda 27. (ſeu rotundè 30.): quæ communi obſervandi viâ definiri tantumodo poſſet paucis, iiſque maximè incommodis, utpote frigidiſſimis, anni noctibus.

Tanta cùm ſit neceſſitas Polaris altitudinis cognoſcendæ, ne incertæ

certæ aut inutiles evadant obſervationes; operæ pretium facturi videbamur, ſi hujuſmodi praxis uſum ad plura ſæcula extenderemus. Placuit itaque, intra ellipſim huic tempori reſpondentem alias quamplures deſignare, quibus per decurſum octo ſæculorum ſtella immorabitur, ſingulis ellipſibus aſſignatis cuique intervallo anni Sæcularis, & quartæ cuique parti ejuſdem intervalli (quod pertinet ad annos Jubilei numerandos juxta praxim à Romanis Pontificibus conſtitutam) prout ratio imminutæ vel auctæ declinationis in ſtella exigebat.

XIX. Perduximus fermè ad umbilicum & hanc deſcriptionis noſtræ partem, quæ Gnomonem utrumque explicat. Quapropter à me requirere tantùm debes, ut amborum uſum aperam in praxi Aſtronomica: tum ſelectiores proferam ex hucuſque habitis obſervationibus, unde Problemata ad Kalendarium pertinentia, aut ad reliquos vitæ artiumque uſus referenda, reſolui poſſint.

Uſus Gnomonis Borei præcipuus reſpicit Poli altitudinem: quam demonſtrare quotidie poſſumus triplici puncto, ſi per centrum Crucis, in feneſtra Boreali à nobis conſtitutæ, intendamus oculos in Cynoſuram, per tria quæcumque tempora, quibus conſpici ſtella poſſit. Perpetuo autem poteſt, niſi præſentia Solis, aut nebulæ, aut nubes impediant. Facilitati conſultum eſſe volui per tubum opticum optimæ notæ, à celeberrimo Campana elaboratum: in cujus centro fila duo decuſſata, & focis lentium appoſita, ſi aptentur ita, ut in Cynoſuram collineent per centrum Crucis, à nobis ſitæ in feneſtra Boreali; dioptræ, exteriùs appoſitæ ipſi tubo, obtutum dirigunt in eam ellipſeos partem, quam ſtellæ radius tunc attingit.

XX. Uſus iſte ad plura deſcendit problemata. Nam primò enumerat horas, quibus Cynoſura diſtat à meridiano. Singulas enim notavimus in ellipſi per æream ſtellulam, appoſito numeri charactere ab unitate ad XXIIII. Cùm verò horæ unius intervallo debeantur quindecim gradus aſcenſionis rectæ circuli æquinoctialis, ſeu totidem in parallelo ſtellæ numerandi; diviſimus ſingula ſpatia horarum in tria tempora per quinos circuli gradus, ut notæ appoſitæ docent V. X. XV., à pluribus temperantes, ne nimia numerorum copia officeret diſtinctioni. Cùm verò conſtet, gradum aſcenſionis rectæ, Cynoſuræ debitum anno quo hæc ſcribimus, eſſe nonum ab interſectione verni Æquinoctii; patet, haberi ſtatim poſſe ex obſervatione Cynoſuræ aſcenſionem rectam medii Cęli: cui ſi comparetur ea, quam Sol quotidie obtinet, horam quoque Aſtronomicam cognoſci neceſſe eſt. Præterea locus in circulo, aut ellipſi aſſignari quotidiè poteſt, oppoſitus aſcenſioni rectæ Solis: quò cùm appulerit ſtella

polaris,mediæ noctis indicium dabit. Hinc initia dierum feſtorum, profeſtorumque, feriarum, jejuniorum &c. more Eccleſiaſtico oſtenderet à media nocte, ſi circa ellipſeos perimetrum deſcriberentur dies ſinguli,prout jacent in Kalendario. Verùm ne mutatio aſcenſionis rectæ operam ludat, poſtquam elapſis triginta annis ad decimum gradum ſtella pervenerit,quæ modò perſiſtit in nono ab interſectione verni Æquinoctii; præſtat proſpicere hujuſmodi praxi per tabellas temporarias ad annos Jubilei ſuputandas: quarum nos hìc exemplum apponimus.

Tabella ab anno MDCC. ad MDCCXXV. ad quintum quemque diem à Kalendis menſium anni Gregoriani indicans punctum mediæ noctis in Ellipſi Stellæ Polaris, appoſita Lineæ meridianæ Clementinæ.

MENSES	JAN.	FEB.	MAR.	APR.	MAJ.	JUN.	JUL.	AUG.	SEPT.	OCT.	NOV.	DEC.
Dies men. Kalen.	6. 0. 3	8. V. 1	10. 0. 3	12. 0. 2	14. 0. 0	16. 0. 1	18. 0. 1	20. 0. 2	22. 0. 1	23. X. 4	1. X. 4	3. X. 4
6	6. V. 3	8. X. 1	10. V. 3	12. V. 2	14. V. 0	16. V. 1	18. V. 1	20. V. 2	22. V. 1	24. 0. 4	2. 0. 4	4. V. 0
11	6. X. 3	9. 0. 1	10. X. 2	12. X. 2	14. X. 0	16. X. 1	18. X. 1	20. X. 2	22. X. 1	0. V. 4	2. V. 4	4. X. 0
16	7. 0. 3	9. V. 1	11. 0. 2	13. 0. 1	15. 0. 0	17. 0. 1	19. 0. 1	21. 0. 1	23. 0. 0	0. X. 4	2. X. 4	5. 0. 1
21	7. V. 2	9. X. 0	11. V. 2	13. V. 1	15. V. 0	17. V. 1	19. V. 1	21. V. 1	23. V. 0	1. 0. 3	3. 0. 4	5. V. 1
26	7. X. 2	10.0.0	11. X. 1	13. X. 1	15. X. 0	17. X. 1	19. X. 1	21. X. 1	23. X. 0	1. V. 3	3. V. 4	5. X. 2
31	8. 0. 2		12. 0. 1		16. 0. 0		20. 0. 1	22. 0. 0		1. X. 3		6. 0. 2

Vides punctum mediæ noctis civilitèr & Eccleſiaſtico ſtylo hìc uſurpari. Si enim Aſtronomicè foret conſignandum, neceſſariò in tabella addenda eſſet æquatio aliqua ad annos biſſextiles: nec ſufficeret in quinos gradus partiri ellipſim, ſed eſſet iſta ſubdividenda in minuta circuli paralleli à Cynoſura deſcripti, quem repræſentat. Satis eſſe duximus, indicare hunc uſum diei à media nocte inchoandi, prout vetus Eccleſiæ mos requirit,per adſpectum Cynoſuræ; ut conſtet, univerſa hæc referri ad ſerviendum divinis laudibus, nocturnis, diurnis, annuis, & ſæcularibus, juxta receptam Eccleſiæ diſciplinam.

XXI. Sta-

XXI. Statuendum propterea duximus in hujuſce gnomonis centro, per quod modum aſſequimur temporis dividundi in ſæcula, annos, menſes, dies, atque horas, ſalutare Crucis ſignum: quo teſtaremur, ad eum univerſa referri, per quem facta ſunt omnia: & Regi ſæculorum cuncta ſervire tempora; cùm æternus dierum illa dedicaverit, tum benedicendo dum crearet, tum ſacrando dum redimeret. Nec alia fortaſſe de cauſa in Cyclo Ravennate idem venerabile ſignum prænotarunt antiqui in primo utriuſque Luminaris anno (quod etiam monuit nuperus Auctor in defenſione diei Paſchalis); niſi ut oſtenderent, abſcondita à conſtitutione Mundi revelata nobis fuiſſe in Paſchalibus Chriſti myſteriis, quo in principio & facta, & renovata ſunt omnia: quando VERBO DEI in crucem acto, velum templi apertum eſt: & cęli terræque conſenſu omnium Dominum natura confeſſa iterum tremuit, dum magnus ille Pontifex per proprium ſanguinem ſemel ingreſſus in Sancta, reſurgendo confeſſionem & decorem induit, & amictus lumine, ſicut veſtimento, penetravit cęlos.

Jo: Baptiſta Michelinus in libro impreſſo Ravennæ anno 1686. pagina 62. difeſa del vero, e proprio giorno della Solennità Paſquale.

XXII. Alterius gnomonis ad meridiem poſiti uſus eſt amplior. Planetas enim omnes, ac ſtellas reſpicit, quotquot intra æſtivum hibernumque Tropicum ſitæ ſunt. Solis tamen, ac Lunæ motibus explorandis potiſſimè addicitur, quod iis utatur Eccleſia quotannis in Paſchate ac feſtis mobilibus indicendis, tum etiam quotidiè in lectione Martyrologii. Gradum eclipticæ, quem Sol obtinet, duplici methodo in hac meridiana conſequimur, nempe obſervatâ declinatione, aut aſcenſione rectâ, vel utriuſque comparatione, & conſenſu. Per altitudines meridianas utriuſque limbi Solaris, à penumbra expurgati, ademptis 50. partibus (ex 100. mil. radii) à tangente inferioris, totidemque additis tangenti ſuperioris limbi, declinationem centri cognoſcimus; ſi arcum diſtantiæ à vertice comparamus cum arcu latitudinis Urbis, ſeu diſtantiæ æquinoctialis à vertice, hìc obſervato: quem arcum diximus pertingere ad gradus 41. 54. 27. ſive 41. 54. 30. ut rotundo efferamus numero, negligentes eam differentiam trium ſecundorum, quam meridianæ longitudo duplex exactè metitur. Quum ſubduxeris à majori arcu minorem; differentia denotat declinationem Solis, ad meridianum appellentis: cui reſpondent in tabulis gradus, & minuta longitudinis, ſivè Zodiaci locus, quem Sol percurrit. In æquinoctiis conſtat, differentiam declinationis intra horas 24. proximè accedere ad minuta totidem; nam pertingit ad min. 23. 55. in ea eclipticæ obliquitate, quam obſervationes diligentiſſimæ oſtendunt graduum 23. 29., vel ut ex Bononienſibus, ac noſtris obſervationibus Solis in utroque Tropico videmur collegiſſe grad. 23. 28. 35. Horis itaque ſingulis circa diem æquinoctii diffe-

differentia declinationis in Sole pertingit ad integrum ferè minutum primum, ſive ad ſecunda 59., ut ſubtiliſſimè dividamus. Statuimus igitur indicem ex æreis laminis in tangente meridiana circa æquinoctii ſedem, in qua Solis imaginem ellipticam incidimus, collocato centro in plano Æquinoctialis, ut limbus uterque locum obtineat tangentis ſibi debitæ, quum æquinoctium ipſo meridie contigerit. Ab extremo termino utriuſque limbi numeravimus in laminis appoſitis ſectiones tangentium reſpondentes horariæ mutationi declinationis in Sole: adeoque extremus radius Solis, dum eas pervadit, facilè demonſtrat, quotâ horâ præceſſerit æquinoctium, vel quotâ ſequatur meridianam obſervationem, dempta utì monuimus penumbra.

Superiori menſe die 23. Septembris inferior limbus Solis attingebat indices illos æquinoctiales paullò ultra horam tertiam verſus quartam; undè comperimus poſt horas tres cum quadrante circiter fore æquinoctium celebrandum. Die verò ſequenti meridiana obſervatio indicavit horam vigeſimam cum dodrante in altera lamina: ex qua comperimus ante horas 20. cum dodrante, ſive horis tribus cum quadrante poſt meridiem præcedentem contigiſſe Æquinoctium Autumnale; conſentiente etiam calculo tangentium abſolutarum, ut infra dicemus in obſervationibus recenſendis.

XXIII. Communis eſt cum reliquis tangentibus meridianis hæc ratio definiendi ex obſervatione limborum Solis ejus declinationem, eaque compertâ, longitudinem. Singulare verò commodum iſtius meridianæ Clementinæ intelligimus in eo contineri, quod obſervandam quotidiè præbeat differentiam aſcenſionis rectæ inter fixas & Solem: unde, conſtituto ſemel fixæ alicujus loco, Sólis ipſius longitudo colligi certò valeat circa Tropicos, quando differentia declinationis exigua id præſtare nullatenus poſſet. Aperuimus itaque ſupra laminam gnomonis Auſtralis feneſtram, triplici palmo altam, ſeſquialtero latam, quæ occluditur pro lubitu, ac reſeratur. Occluditur in excipiendo Solis radio: reſeratur, quando ſtellæ obſervandæ ſunt. Tunc enim ſupra centrum Gnomonis lamina ærea conſtituitur ſecta in morem ſemicirculi: cujus diametro alia lamella infixa, rectum angulum ab utraque conſtitutum centrum gnomonis C facit; admittens radios, qui infernè collecti per tubum opticum A B bipalmarem, in meridiana M V, ad quam producitur recta per dioptras tubi, punctum V definiunt, adeoque tangentem M V diſtantiæ ejuſdem à vertice, reſpondentem radio gnomonis C M diviſo in 100. mil. Hiatus laminæ C L proſpectum Stellæ concedit per aliquot minuta temporis, antequam ad meridianum Stella perveniat; C K pariter per aliud temporis ſpatium, *Figura 5.*

ex

ex quo per meridianum effluxit; Linea verò C O, cum qua M C continuatur, communis eſt ſectio verticalis & meridiani. Quare, ſi tubus opticus B A dioptris inſtructus internis & externis in idem punctum collineantibus ita ſiſtatur paucis minutis ante appulſum Stellæ ad meridianum, ut ſit in plano meridiano C V M (quod nullo negotio obtinetur, directis in lineam C O filis internis tubi, in meridianam verò lineam V M dioptris externis, cum fili interioris plano convenientibus), ſi tubus, inquam, ita ſiſtatur, evidenter agnoſcitur ſtellæ tranſitus per circulum meridianum, ope horologii oſcillatorii pendulo inſtructi, adnotando ſecunda temporis ab eo indicata, dum primò apparere incipit quaſi emergens à lamella O C, à qua paucis ſecundis occultabatur poſtquam per L S apparuerat. Ex obſervationibus paullò infrà recenſendis conſtare poterit, quanta ſit expectanda ſubtilitas in hoc gnómone, omnium eorum, qui uſurpati hactenus in ſtellis ſint, maximo. Cùm enim tubus opticus quo utimur, decies, & quater augeat angulum, ſub quo videntur objecta; extendaturque gnomonis radius C M palmos Romanos unum, & nonaginta, ſive uncias pedis regii 775., neceſſe eſt eundem gnomonem paria facere cum ſextante, aut quadrante pinnacidiis tantùm inſtructo, cujus diameter extenderetur palmos Romanos 1274., ſeu quintam circiter partem Italici milliarii. Id monemus unum in praxi obſervandi fixas, aut Planetas omnes (exceptis tamen Luminaribus, & Venere, quæ interdiù videtur, & aliquando etiam Jove, quem perdiù hìc vidi per horas aliquot ab ortu ſolis) illuſtrandam ſcilicet eſſe noctu lamellam O C, ut è pavimento per tantum ſpatii diſſito diſcerni poſſit. *Figura* 5.

Iſtuc verò præſtat commodè parva laterna ante lamellam ſuſpenſa: quæ non impedit ſtellæ conſpectum: & ceteroqui magnam radiorum copiam lamellæ communicat, vt eorundem reflexione fiat è pavimento conſpicua. Alterum quoque adnotare præſtat, nempe labrum laminæ jam deſcriptæ aptandum eſſe ad rectos angulos cum linea meridiana: ut eodem limbo L C uti poſſimus ad continuandum iter ſtellæ per minutum unum hinc inde à meridiano. Stringit enim æquabiliter oram ſectionis ita diſpoſitam, ſeu diametrum ſectoris radit: quum tempore exiguo unius vel alterius minuti nulla ſenſilis mutatio elevationis contingat ſtellæ verſanti circa meridianum. Quare opportunitatem præbet tubi optici ita dirigendi, ut fila in focis lentium vitrearum poſita radere pariter videantur oram laminæ, ac ſtellam: adeoque ejuſdem ſecantem, tanquam à centro gnomonis ductam, per dioptras exactè producere ad pavimentum, ut ibi deſignet tangentem arcûs diſtantiæ à vertice, quam ſtella in meridiano obtinebat.

XXIIII.

XXIIII. De utriuſque gnomonis uſu abundè videor perſcripſiſſe. Reliquum eſt, ut obſervationes Aſtronomicas, hactenus habitas, vel ſaltem ſelectiores ex iis in medium proferam: unde judicare poſſis de hujuſmodi gnomonis utilitate.

Ordiar ab iis, quæ ad Solem pertinent. Solemus quotidie, cùm per tempus licet, excipere tangentes meridianas utriuſque limbi ſolaris. Interea etiam Cl. V. Euſtachius Manfredus, in Bononienſi Archigymnaſio Matheſeos profeſſor eximius, ac diligentiſſimus obſervator, in meridiana maxima Caſſiniana eaſdem excipit. Collatis obſervationibus dietim habitis, perſpicuus eſt conſenſus, tum inter nos, tum etiam cum Ephemeridibus Cl. V. Flaminii de Mezzavachis: qui laude motuum cęleſtium ſupputandorum ex optimis hypotheſibus clarus, à Sanctiſſimo Domino Noſtro delectus eſt inter Curatores Kalendarii, eique tuendo ac dirigendo nobiſcum incumbit. E' pluribus pauciſſimas proferam, circa Æquinoctium Autumnale proximè præteritum, Romæ ac Bononiæ peractas. Perſpicies, differentiam latitudinis ubique æqualem (nam exigua diſcrepantia aliquot ſecundorum ſenſum fermè fugiens refundi debet in variam aeris diſpoſitionem, & ſimilia impedimenta medii vel organorum) indicare quotidie differentiam latitudinis inter parallelum Romanum & Bononienſem graduum 2.35. Præmitto ſpecimen declinationis ſupputandæ ex obſervatione limborum Solis, habita die VI. Octobris 1702., qua Sanctiſſimus Dominus Noſter lineam meridianam, anno ſuperiore lateritiam relictam, hoc ipſo marmoream invenit. Poſt Optimi Principis receſſum, inſtante iam meridie, complures aderant nobiles, atque eruditi Viri, qui eò lubentiùs obſervationi intendebant animum, & oculos, quò nitidior dies affulgebat, & aer defæcatior. Obſervatæ itaque à nobis ſunt die 6. Octobris 1703. tangentes limborum Solis.

	Tangentes cum penumbra.	Tangentes correctæ per detractionem penumbræ.	Gradus & minuta reſpondentia tangentibus correctis. G.	M.	S.
Limbi ſuper.	105880	105930	46.	38.	58
	107922	107872	47.	10.	8
		Differentia		31.	10
		Semidifferentia		15.	35
		quæ addita diſtantiæ à vertice limbi ſup.	46.	38.	58
		dat diſtantia viſam centri Solis à vertice	46.	54.	33

huic

huic eſſet addenda refractio Caſſiniana minutorum 0. ſec. 56. dempta parallaxi, ut in Tabula prima pag. LXV. ſed refractio menſe Octobri minuitur dimidia circiter ſui parte, ut infra exponemus numero XXXI. quare dempta parallaxi ſecundorum 7., refractio eſt ſecund. 30. circiter. Addatur itaque diſtantiæ viſæ à vertice 46. 54. 33
refractio juxta noſtram methodum ſecund. 30

proveniet diſtantia vera centri Solis à vert. 46. 55. 3
à qua ſi dematur latitudo Urbis in Thermis 41. 54. 27

Supereſt declinatio Solis in meridie 5. 0. 36 Auſtr.
quæ reſpondet in ecliptica gradui 12. 40. 10 ♎
utì ex Tabula declinationum ad maximam 23. 28. 35. infrà expanſam pag. LXVII. colligitur.

Ephemerides Cl. V. Flaminii de Mezzavachis tempore medio meridiei Bononiæ ſtatuunt Solem in gr. 12.41.2. ♎: à quibus detracto motu ſecund. 38. reſpondente minutis 16. horariis (quorum 12. debentur æquationi dierum, & 4. differentiæ meridianorum) erit Sol juxta Ephemerides in vero inſtanti meridiei Romæ in gr. ——— 12. 40. 24 ♎
ex obſervatione tangentium limborum Solis erat in gr. ——— 12. 40. 10 ♎

0. 0. 14

differentia eſt 14. ſecundorum, quibus competit declinatio ſecundorum 5. vix obſervabilis.

Refractiones & parallaxes deſumimus ex tabula impreſſa tum in libro meridianæ Bononienſis, tum in Actis ſeu Memoriis regiæ ſcientiarum Academiæ, Lugduni editis: quam ex peritiorum Aſtronomorum obſervationibus, ubique terrarum habitis, & ſub Zonam Torridam allegatis experiundi cauſa, Chriſtianiſſimi Regis expenſis, pro ea, qua ſcientias promovet, munificentia, præſtantiſſimus Caſſinus poſtremis curis adornavit: æquatione tamen adhibita, de qua infra numero XXXI.

XXV. Hoc veluti ſpecimine præmiſſo ſubducendi calculi ex obſervationibus, dabimus modò tangentes obſervatas in meridiana Clementina à die 20. Septembris ad 6. Octobris: ut appareat conſtantia ſolaris motûs, dietim reſpondens hypotheſibus Caſſinianis, & Ephemeridibus inde collectis.

Anno 1702. Septembris	Die	*Tangentes non correctæ, ſeu cum penumbra.*	*Tangentes, penumbræ adéptione correctæ.*	*Arcus diſtantiæ à vertice tangẽtibus reſpondentes.*	*Declinatio cẽtri Solis ſupp. latit. Vrbis* 41. 54. 27.	*Locus eclipticæ declinationi reſpondens ſupp. obl. ecl.* 23. 28. 35	
Clara	20	86777 Inf. 85120 Sup.	86727 85170	40. 56. 4 40. 25. 16	1. 13. 37 B	26. 55. 0	♍
minus Clara	21	87950 86290	87900 86340	41. 18. 56 40. 48. 27	0. 50. 15 B	27. 54. 0	
Clara	22	89210 87480	89160 87530	41. 43. 13 41. 11. 45	0. 26. 50 B	28. 53. 0	Æquinoctiũ
Clara	23	90420 88700	90370 88750	42. 6. 19 41. 25. 20	0. 3. 15 B	29. 51. 50	hora 3. 15. poſt meridiẽ
Clara	24	91678 89922	91628 89972	42. 29. 55 41. 58. 42	0. 20. 16 A	0. 51. 0	♎
Clara	26	94222 92410	94172 92460	43. 16. 50 42. 45. 24	1. 7. 10	2. 49. 20	
minus Clara	27	95538 93700	95488 93750	43. 40. 40 43. 9. 8	1. 30. 54	3. 48. 30	
Clara	28	96822 95000	96772 95050	44. 3. 36 43. 32. 47	1. 54. 30	4. 47. 30	
Clara	29	98132 96325	98082 96375	44. 26. 46 43. 56. 32	2. 17. 45	5. 46. 40	
Clara	30	99505 97620	99455 97670	44. 50. 40 44. 19. 30	2. 41. 13	6. 45. 40	
Octobris Clara	2	102242 100302	102192 100352	45. 37. 16 45. 6. 2	2. 27. 53	8. 43. 15	
Clara	3	103640 101665	103590 101715	46. 0. 37 45. 29. 12	3. 51. 7	9. 42. 30	
Clara	4	105050 103070	105000 103120	46. 23. 50 45. 52. 48	4. 14. 32	10. 41. 45	
Clara	5	106480 104465	106430 104515	46. 47. 2 46. 15. 54	4. 37. 41	11. 41. 0	
Clara	6	107922 105880	107872 105930	47. 10. 8 46. 38. 58	5. 0. 36	12. 40. 10	

XXVI.

XXVI. Comparare nunc libet locum Solis inventum per tangentes meridianas utriuſque limbi, & per declinationem centri Solis inde collectam, cum eo, qui provenit ex differentia aſcenſionis rectæ inter Sirium, & Solem, paritèr obſervatam in hac meridiana linea Clementina. Supponendum eſt, Sirium ex obſervationibus noſtris infrà recenſendis nu.xxxi. obtinuiſſe Autumno præcedenti gradum aſcenſionis rectæ 98. 1. 10. qui fermè elicitur ex Tabula, pridem adornata per Regis Chriſtianiſſimi Academiam, edita per Cl. V. D. de la Hire, ut infrà ponitur pag. LXVI. Nam cùm liceat quotidie videre Sirium in meridiano, etiam interdiu, etiam eâ die, qua Soli conjunctus eſt in gradu eodem aſcenſionis rectæ, nempe 28. vel 29. Junii ſtylo Gregoriano; cùm, inquam, ita videre dietim liceat; comparatur differentia temporis, numerati inter tranſitum Solis & Sirii per meridianum: eâque reſolutâ in gradus & minuta æquatoris, provenit aſcenſio recta Soli debita, unde etiam locum Solis in Zodiaco ſtatim aſſequimur. Temporis autem numerandi ratio habetur per horologium, pendulo inſtructum longiori, & indice duplici diſtinguens minuta prima, & ſecunda horaria: quale nobis tranſmitti Pariſiis curavimus à perito artifice Thuret elaboratum, & Cl. V. Caſſini diuturnis experimentis Regio in obſervatorio probatum: cui cycloides annexæ miram æquabilitatem conciliant. Hujuſmodi horologium per dies ſingulos ad meridiem exigebamus, dum Solis uterque limbus, præcedens & ſubſequens, lineam meridianam perſtringeret. Quum verò Sirius accedebat ad meridianum, paratâ machinulâ jam deſcriptâ ad explorandas tangentes diſtantiæ à vertice celeſtium corporum, ipſum expectabamus: nec in meridiana tantùm linea, ſed etiam in parallelis ſectionibus lapidum meridianæ appoſitorum æquis hinc inde ſpatiis, quas ſectiones appellare conſuevimus *lineam antemeridianam*, *&* *lineam pomeridianam*, ubi limbus flavi marmoris album excipit, ejus appulſum adnotavimus (utì etiam in Sole obſervando facere inſtituimus) ut plurium obſervationum conſenſus omnem dubitandi anſam eximeret. Quin etiam, ut aptare faciliùs detur machinulam & tubum opticum ad obſervandos Sirii motus & aliorum ſiderum, notavimus in pavimento per diſpoſitos lapides æreâ ſtellâ inſignitos parallelum diurnum Sirii, & aliquot inſigniorum fixarum primæ magnitudinis, quæ perdiu videri poſſunt, nempè Arcturi, Capellæ, & Lyræ, aut ſaltem portionem aliquam diurni circuli ab ipſis deſcripti; & vel in hyperbolam, vel in ellipſim deformati à plano horizontis, occurrente cono radiorum, ab iis projecto. Hæc veſtigia diurni motus in parallelo Sirii ad ſingulos horæ quadrantes à nobis conſtituta in pavimento affabrè expreſſit in numiſmate diligentiſſimus

Scal-

Scalptor, minutis punctis illa diſtinguens. Verùm recenſere præſtat obſervationes.

Horæ ab horologio indicatæ.			Horæ veræ à meridie.		
H.	M.	S.	H. M. S.		
				Die Veneris 22. Septembris.	
23.	52.	30.		Præcedens limbus Solis attingit meridianam lineam.	
	54.	45.		Subſequens limbus Solis attingit meridianam.	
	53.	38.	o. o. o.	Ergo meridies incidit in horam horologii	23. 53. 38.
				Die Sabbati 23. Septembris.	
18.	24.	20.		Sirius appellit ad lineam antemeridianam.	
	27.	6.		Idem ad meridianam devolvitur.	
	29.	52.		Idem pertingit ad pomeridianam.	
23.	50.	56.		Præcedens limbus Solis ad antemeridianam.	
	52.	32.		Idem ad meridianam.	
	54.	47.		Secundus Solis limbus ad meridianam.	
	53.	40.	o. o. o.	Ergo meridies incidit in horam horologii	23. 53. 40.
				Die Dominica 24. Septembris.	
23.	52.	29.		Prior Solis limbus ad meridianam.	
	54.	45.		Secundus limbus ad meridianam.	
	53.	37.	o. o. o.	Ergo meridies hora horologii.	23. 53. 37.
				Die Martii 26. Septembris.	
18.	19.	0.		Sirius ad meridianam.	
23.	52.	20.		Primus Solis limbus ad meridianam.	
	54.	36.		Secundus limbus Solis ad meridianam.	
	53.	28.	o. o. o.	Ergo meridies hora horologii	23. 53. 28.
				Die Jovis 28. Septembris.	
18.	8.	46.		Sirius ad meridianam.	
23.	52.	15.		Prior limbus Solis ad meridianam.	
	53.	23.	o. o. o.	Ergo centrum Solis in merid. & merid. hora horol.	23. 53. 23.
				Die Veneris 29. Septembris.	
18.	2.	16.		Sirius ad antemeridianam lineam.	
	5.	4.		Idem ad meridianam.	
	7.	53.		Idem ad lineam pomeridianam.	

Ex comparatione obſervationum iſtarum patet æquabilitas horologii, ita ad Solis motum attemperati, ut per dies ſingulos initio hebdomadæ iſtius per tria ſecunda horaria, in fine verò per quinque meridiem remoretur. Hinc arguimus, quot gradibus & minutis Æquinoctialis circuli horæ ac minuta horologii reſpondeant. Cùm enim Sol hiſce diebus motu proprio in Zodiaco procedat per minuta 59. circiter, quibus reſpondent mutationis quotidianæ (ſi referas ad arcus aſcenſionis rectæ hiſce locis eclipticæ debitos) grad.o. m,54. quæ inter fluendum inſumunt minuta horaria 3. 36. patet, per horas ſingulas iſtius horologii imputandos eſſe gradus 15. 2. 15. Æquatoris: ſeù, quod in idem recidit, addenda eſſe horis ſingulis ab horologio indicatis ſecunda temporis 9. ſi convertere velimus horas in gradus & minuta Æquatoris. Tunc enim aſſignamus horis ſingulis horologii ita adauctis gradus quindecim aſcenſionis rectæ. Hoc ipſum deducitur ex appulſu ejuſdem Sirii ad meridianum, comparato cum appulſu dierum præcedentium vel ſubſequentium. Conſtante itaque hoc ratiocinio, patet, differentiam aſcenſionis rectæ inter Sirium, & Solem fuiſſe, proùt hìc exponimus.

Differentia aſcenſionis rectæ, inter Sirium, & Solem obſervata.

	H.	*M.*	*S.*	*horologii*	*H.*	*M.*	*S.*	*æquata*	*Grad.*	*M.*	*S.*	*Æq.*
Die 23. Sept.	5.	26.	34.		5.	27.	25.		81.	51.	15.	
26. Sept.	5.	37.	29.		5.	38.	17.		84.	34.	45.	
28. Sept.	5.	44.	37.		5.	45.	30.		86.	22.	30.	

Unde elicitur in meridie aſcenſio recta Solis & ex ea locus in Ecliptica: quem ita comparare poſſumus cum loco elicito ex obſervata declinatione per tangentes utriuſque limbi.

	Aſcenſio recta Solis			*Locus Solis ex aſcen. recta*				*Locus Solis ex declin*			
Die 23. Sept.	179.	52.	40.	29.	52.	0.	♍	29.	51.	50.	♍
26. Sept.	182.	35.	25.	2.	49.	30.	♎	2.	49.	45.	♎
28. Sept.	184.	22.	45.	4.	47.	20.	♎	4.	47.	30.	♎

Mira profectò videri debet conſenſio loci Solis eliciti per declinationem obſervatam in tangentibus meridianis limborum, cum eo, qui provenit ex differentia aſcenſionis rectæ cum Sirio, pariter obſervata; nam unica penduli oſcillatio reſpondet 15. ſecundis aſcenſionis rectæ: quæ promovent, uel removent pluſquam 16. ſecundis in longitudinem locum Solis.

Hinc verò luculenter apparet exquiſita ſubtilitas explorandorum cæleſtium motuum per meridianam Clementinam; quum in illa ita reſpondeant invicem obſervationes, ut vix minutâ differentiâ duarum vel trium oſcillationum penduli inter ſe diſſidere inveniantur.

XXVII. Contemplari etiam licet maximam utilitatem, ab hiſce grandioribus inſtrumentis perceptam in Solis motibus definiendis: quam clariſſimus Caſſinus præviderat anno 1655., cùm Bononienſem Meridianam conſtrueret, ut ex ejuſdem lucubrationibus, per id temporis Bononiæ editis, poteſt unuſquiſque percipere. Ex quo enim ille obſervandi morem induxit per maxima hæc organa, inſtruxit etiam Solares Tabulas adeò tutas, ut ex iis Marchio Malvaſia, & ſubinde Doctor Flaminius de Mezzavachis Ephemeridas elicuerint Solaris motus, per annos quadraginta ſolidos jam elapſos, ne integro quidem minuto diffidentes ab obſervato.

Quum igitur tanta ſit nobis certitudo loci Solis definiendi tum ex declinatione, tum ex aſcenſione recta; patet apertiſſimè, tempus Æquinoctii proximè præteriti incidiſſe in horam 3. m. 10. vel 15. poſt meridiem Romæ die Sabbati 23. Septembris. Quod ſi Æquinoctium à nobis ita obſervatum, præſentibus quamplurimis eruditis viris, comparetur cum obſervatis à Valtero ante duo ſæcula (qui Aſtronomorum ſui temporis in obſervando diligentiſſimus meritò habetur), deinde cum antiquioribus ab Hipparcho peractis obſervationibus Æquinoctiorum; liquidò conſtat, exquiſitam anni menſuram fuiſſe à Gregorio XIII. aſſumptam in Kalendarii emendatione. Quod hic innuimus de anni Solaris menſura, cùm ſit præcipuum hujus fabricæ conſtruendæ inſtitutum, meritò poſtulat, ut calculo propoſito fiat illuſtrius.

XXVIII. Hæc ad te ſcripſeram anno ſuperiori, proximè poſt Æquinoctium Autumni à nobis obſervatum: Verùm dilata cùm fuerit epiſtolæ tranſmiſſio ad Julium labentem 1703., quando jam licuit etiam Vernum Æquinoctium, & Solſtitium utrumque ab illo proximum diligenter inſpicere, placet illas etiam obſervationes huic loco inſerere, unde ſuperioribus evidentia major, & plurium quæſtionum Aſtronomicarum pendet reſolutio, ac præcipuè illius, quæ haberi non debet minima in Kalendarii cura, (huc enim pertinet uſus Gnomonis) ſcilicet anni vertentis modus ex obſervationibus colligendus. Accipe igitur ipſas obſervationes, & annimenſuram, quæ provenit ex earundem comparatione cum antiquioribus.

Obſer-

Horæ ab horologio indicatæ.

Obſervationes Æqninoctii Verni 1703. Martii Die 20. aere ſereno circa veſperam.

Horæ M. S.

6. 38. 14. Sirius ad meridianum.

Die 21.

0. 4. 7. Ex appulſu limborum Solis ad meridianam lineam horologio ind. min.4. & ſecunda 7.centrũ Solis erat in Meridiano.Tangentes tunc exceptæ { 90422. 88693. } cum penumbra

abſq; penũbra verò { 90372. 88743. } denot.grad.diſt.à ver. { 42. 6. 19. 41. 35. 13. }

Differentia	0.	31.	6.
Semidifferentia	0.	15.	33.
	41.	35.	13.
Refractio Caſſiniana		0.	47.
Diſtantia vera centri Solis à vertice	41.	51.	33.
Latitudo Urbis ad Thermas Diocletiani	41.	54.	27.
Declinatio centri Solis	0.	2.	54B

6. 34. 50. Sirius ad meridianum.

Ex duplici tranſcurſu Sirii per meridianum diebus 20., & 21. colligitur, horologium metiri integram cæli converſionem diurnam, ſive gradus 360. Æquinoctialis horis 23. min.56. ſecund. 36. Quare ſi cuicunque horæ ab horologio indicatæ addantur ſecunda 8. cùm dimidio, ſingulis horis ita adauctis reſpondent gradus 15. Æquinoctialis, ſive hora una ſiderea. Comparatis igitur horis adlapſus Sirii, & Solis ad meridianum invenitur die 21.differentia horarum 6. 30.43. horologii,nempe 6. 31. 39. ſiderearum: quibus reſpondet arcus differentiæ aſcenſionis rectæ Sirii, & Solis graduum 97. 54. 45.

Subducendus ab aſcenſione recta Sirii gr. —— 98. 1. 30.
Ut reſultet aſcenſio recta Solis in meridie gr. — 0. 6. 45.

Huic aſcenſioni rectæ reſpondet locus in Zodiaco gr.0. m.7. 18. Arietis, à Sole occupatus in meridie diei 21. Martii Idem omninò locus gr.0. 7. 18. Arietis tribuendus eſt Soli ex declinatione, quæ provenit ex obſervatione tangentium utriuſque limbi verſantis in meridiano, quæ fuerat grad.0. m.2. 54. Borealis. Hoc ipſum confirmant obſervationes dierum ſequentium.

Die 22. aere nitidiſſimo.

H. M. S.

0. 4. 20. Ex utriuſque limbi Solaris excurſu per meridianum, meridies contigit notante horologio h. 0. 4. 20.

Tangentes cum penumbra { 89182. 87456. ſine penumbra { 89132. 87506.

6. 31. 27. Sirius ad meridiano.

Die 23. aere clariſſimo.

0. 4. 34. Centrum Solis in meridiano ex utriuſque limbi obſervatione.

Tangentes 87960. 86248. { ſine penumbra { 87910. 86298.

6. 28. $3\frac{1}{2}$ Sirius ad meridianum.

Die 24. aere clariſſimo.

0. 4. 49. Centrum Solis ad meridianum ex obſervatione limborum.

Tangentes cum penumbra { 86738. 85070. ſine penumbra { 86688. 85120.

6. 24. $41\frac{1}{3}$ Sirius ad meridianum.

His ex obſervationibus apparet conſtanter, aſcenſionem rectam Sirii in Æquinoctio Verno vertentis anni 1703. habendam eſſe gr.98. 1. 30. & labente Julio, quo hæc ſcribimus, gr.98. 1. 40., cùm per annos ſingulos augeatur ſecundis 40.: & trimeſtri ſpatio ſecundis 10.

At hæc aſcenſionum rectarum differentia, inquiunt, cognitam ante ſupponit loci latitudinem: ſiquidem Solis diſtantiam à vertice in meridie tangentes indicant; ab Æquinoctiali non indicant, niſi arcus meridiani notus ſit, inter Æquinoctialem, & verticem interceptus: qui eſt latitudo loci æqualis elevationi Poli ſupra horizontem. Ordo igitur eſt, ut ex obſervata Poli altitudine, illi æqualis latitudo colligatur: tum ex differentia declinationis limborum, & centri Solis cum æquinoctiali ſectione, locus Solis in Zodiaco, & aſcenſio ejuſdem recta definiatur: ut ex illa jam nota ad ignotam aſcenſionem cujuſcumque fixæ decernendam procedamus.

Hanc methodum ſecuti ſumus in obſervando, ut ex obſervatis rectè inferremus ea quæ ſunt ordine declarata. Adnectimus itaque obſervationes altitudinis Poli, unde loci latitudo colligitur graduum 41. 54. 27. His etiam adjungimus obſervationes Solſtitiales, ut maxima eclipticæ declinatio colligatur, & quæ inde pendet cujuſcumque puncti eclipticæ declinatio, & aſcenſio recta: quod omnes norunt ex prolegomenis Aſtronomicis, ac doctrina ſphæricorum.

Obſer-

Obſervationes altitudinis Poli in Gnomone Clementino ad Thermas Diocletiani per duplicem elevationem Stellæ polaris in utraque parte circuli meridiani, ſuperiori, & inferiori.

XXIX. Anno 1701. noctibus ſequentibus dies 2. 4. 5. & 7. Januarii excepimus veſpere, & mane arcum diſtantiæ à vertice Stellæ Polaris, ſeu Cynoſuræ per tangentem horizontalem, aptatam radio unciarum regiarum 930., diviſo in partes 100. mil.: quo etiam deſcribente duximus triangulum, cujus hypothenuſa eſt latus coni, oppoſiti ad verticem alteri cono, inſiſtenti ſupra circulum diurnum Stellæ Polaris, per ejuſdem radios efformato à productione lineæ viſivæ, ſeù ejuſdem hypothenuſæ ad ipſam ſtellam circa axem mundi, qui etiam eſt axis coni. In communi verò ſectione plani horizontalis, ſeù pavimenti Gnomonis Clementini cùm cono priori jam indicato, projectionem ellipticam efformavimus diurni ſtellæ circuli in pavimento marmoribus ſtrato: & laminâ æneâ marmoribus incluſa conſignavimus, ut per dies ſingulos explorari poſſint, non modò duo illa puncta ſectionum paralleli diurni Cynoſuræ cum meridiano, ſed etiam tota ejuſdem ſtellæ converſio circa axem, & Polum mundi. Quotidie igitur demonſtramus per hujuſmodi organum elevationem Poli ſupra horizontem Romanum in Thermis Diocletiani.

Noctibus ſupradictis menſis Januarii 1701. veſpere in meridiani parte ſuperiori tangens arcus diſtantiæ à vertice ſtellæ polaris conſtabat partibus radii 102767. quibus reſpondent gradus 45. 46. 55. addenda refractio Caſſiniana 1. 0.

ut habeatur ex viſa diſt. vera Stellæ à vertice	45. 47. 56.
Mane in meridiani parte inferiori tangens 120733.	
indicabat arcum gr.	50. 21. 58.
Addenda refractio	0. 1. 11.
Diſtantia vera à vertice	50. 23. 9.
Vera diſtantia maior à vert. Stellæ polaris fuerat	50. 23. 9.
Vera diſtantia minor	45. 47. 58.
Differentia	4. 35. 11.
Semidifferentia	2. 17. 35.
Addita minori diſtantiæ	45. 47. 58.
Indicat diſtantiam Poli à vertice	48. 5. 33.
Ejuſque complementum, ſive Poli elevat.	41. 54. 27.

 Conſti-

XXX Conſtituta igitur Poli elevatione Romana in Thermis Diocletiani, eique æquali arcu diſtantiæ Æquinoctialis à vertice in meridiano, nempe grad. 41. 54. 27., definivimus ſubinde maximam declinationem eclipticæ grad. 23. 28. 35. per ſequentes obſervationes circa utrumque Tropicum.

Anno 1702. menſe Decembri.

Diebus 21. & 22. nobis videndi Solis copia minimè fuit in meridie.

Die 23. nitidè obſervavimus in meridie tangentes lineas utriuſque limbi Solaris; quæ fuerunt { Bor. 215138. Auſt. 220562.

& ſine penumbra { 215188. 220512.

Die 26. tangentes { 214490. 219900. & ſine penumbra { 214540. 219850.

Cùm circa Solſtitium explorare non licuiſſet per Sirium aſcenſionem rectam Solis, id præſtitimus Januario ſequenti.

Anno 1703. menſe Januario.

Horæ ab horologio indicatæ.

Die 8. in meridie, & nocte ſequenti.

H. M. S.

23. 57. 35. Centrum Solis in meridiano verſatur, notante horologio 23. 57. 35. nam limbus præcedens meridianam lineam attigit 23. 56. 23. & limbus ſubſequens ad eandem pertigit 23. 58. 48.

Tangentes cum penumbra { 204300. 209328. ſine penum. { 204350. 209278.

11. 11. 59. Sirius ad meridianum devolvitur. Ejus tangens diſtantiæ à vertice fuit 161280.

12. 3. 29. Procyon ad meridianum. Ejus tangens 72450.

Die 9. in meridie.

23. 59. 0. Centrum Solis in meridiano ex utriuſque limbi appulſu dignoſcitur. Tangentes obſervare diſtinctè non licuit præ nubibus interpoſitis.

Horæ horologii.

Die 10. Januarii aere nitidiſſimo.

H. M. S.

0. 0. 18. Ex utriuſque limbi Solaris excurſu per meridianum centrum Solis ejuſdem planum occupat.

Tangentes cum penumbra { 201800. 206740. ſine penum. { 201850. 206690.

Die

Die 11. Januarii cœlo clariſſimo, flante Borea. *H. M. S.*

Meridies ex limborum Solarium excurſu per meridianum. 0. 1. 40.

Tangentes meridianæ { 200480. / 205350. } ſine penumbra { 200530. / 205300. }

Ex comparatione horarum ab horologio indicatarum à meridie diei 8. ad meridiem diei 11. conſtat horas ſingulas addere ſecunda 7 $\frac{1}{2}$ ſupra tempus quo fluunt gradus 15. Æquatoris, ſive horam unam horologii noſtri indicare horam unam ſideream, & horaria minuta ſecunda 7 $\frac{1}{2}$

Inde cognoſcimus differentiam aſcenſionis rectæ inter Sirium, & locum Solis in meridie diei 8. Jan. fuiſſe horarum horologii 11. 14. 24. quæ ſunt horæ ſidereæ 11. 15. 49. ſeu gradus Æquatoris 168. 57. 15. Cùm verò ſit aſcenſio recta Sirii ad initium anni 1703. grad. 98. 1. 20., colligitur aſcenſio recta Solis in meridie octavæ diei Januarii grad. 289. 3. 5.: quæ indicat Solis locum in gradu 17. 35 $\frac{1}{2}$ Capricorni. Idem locus provenit ex obſervata declinatione Auſtrali grad. 22. 19. 3. quam indicant menſuræ tangentium diſtantiæ utriuſque limbi Solis à vertice in meridie adnotatæ.

His ab experimentis docemur, die 23. Decembris in meridie verſatum fuiſſe Solem in grad. 1. 17. Capricorni: adeoque maximam declinationem tropici habendam eſſe 24. circiter ſecundis majorem declinatione illa quam obtinebat Sol in meridie 23. Decembris, à Tropici cardine diſſitus grad. 1. & min. 17.

Ex tangentibus utriuſque limbi (detracta penumbra) redactis ad partes radii { 215188. / 220512. } quibus reſpondet arcus { 65. 4. 30. / 65. 36. 22. }

Elicitur diſtantia viſa centri Solis à vertice gr. 65. 20. 26.
His addatur refractio Caſſiniana dempta parallaxi 0. 2. 0.

Ut reſultet diſtantia vera centri Solis à vertice 65. 22. 26.
Quæ tamen augenda adhuc eſt ſecundis duodecim 12.
propter hibernæ refractionis differentiam à nobis deprehenſam, de qua infra numero xxxj. Elicitur diſtantia vera centri Solis à vertice gr. 65. 22. 38.
Inde auferantur latitudinis Urbis gr. 41. 54. 27.

Erit vera declinatio Solis die 23. Dec. in mèrid. 23. 28. 11.
Adde differentiam inter 0. & gr. 1. 17. ♑ 0. 0. 24.

Provenit maxima declinatio Tropici grad. 23. 28. 35.

Eadem

Eadem declinatio reſultat ex obſervationibus Tropici æſtivi, paulò ante peractis in eadem meridiana Clementina ad ædem S. Mariæ Angelorum in Thermis Diocletiani: quas hìc edemus.

1703. menſe Junio.

Horæ ab horologio indicatæ.

Die 21. aere clariſſimo.

H. M. S.
o. 6. 47.

Ex appulſu utriuſque Solaris limbi ad meridianum, centrum Solis in eodem plano verſabatur, notante horologio hor. o. m. 6. 47.

Tangentes cùm penumbra { 32780. 33873. ſine penumbra { 32830. 33823.

Diſtantia à vertice centri Solis viſa ex tang. limbor.	18.	25.	54.
dempta parall. refractio Caſſiniana addenda		o.	16.
Diſtantia centri Solis à vertice	18.	26.	10.
Quæ minuenda eſt ſecundis 8. propter differentiam refractionis æſtivæ, de qua infrà.	o.	o.	8.
Vera diſtantia centri Solis à vertice	18.	26.	2.
Subducta à latitudine Urbis	41.	54.	27.
Demonſtrat declinationem Solis	23.	28.	25.
Adde ſecunda 10. quia Sol nonodum attigit o Cancri ſed verſatur in gr. 29. 10. Geminorum, ut obſervat. patet	o.	o.	10.

Colligitur declinatio Tropici grag. 23. 28. 35. par alteri, quæ collecta fuerat ex obſervationibus hibernis in Tropico Capricorni.

XXXI Antequam proferamus obſervata dierum ſequentium, reddenda ratio eſt, quare æſtiva refractio in elevatione Tropici Cancri minuatur à nobis 8. ſecundis: & hiberna in elevatione Tropici Capricorni augeatur ſecundis 10. circuli maximi. Hanc differentiam addendam ac detrahendam pro temporis, & elevationis modo collegimus ex obſervationibus æſtivis, hibernis, & utriuſque tempeſtatis inter eas mediæ, circa Sirium peractis dum in meridiano verſaretur. Tangentem ipſius diſtantiæ à vertice perſæpe exploravimus per machinulam tubo optico D. Campani inſtructam, quæ ſupra deſcripta fuit numero XXIII. Invenimus, nihil fermè varietatis induci à varia aeris conſtitutione eadem anni tempeſtate: differre verò per minutum primum refractionem æſtivam meridianam à vernali veſpertina, & ab hiemali nocturna: ut ſequentes obſervationes evincunt.

Tangentes Sirii obſervatæ dum in meridiano Stella verſaretur.

Anno	*Die*	*Menſe*	
1702.	1	Auguſti partes	161340.
	8	Auguſti ———	161358.
	23	Septembris ——	161330.
1703.	8	Januarii ———	161280.
	3	Februarii ———	161280.
	14	Martii ———	161280.
	12	Maii ———	161320.
	11	Julii ———	171380.

Hinc apparet, eandem fermè refractionem pati radios ab altitudine meridiana Sirii demiſſos in athmoſphæram hiberno tempore, ac verno, per totum circiter Martium, cùm hoc tempore deprehenderimus ferè ſemper eandem tangentem 161280., cui reſpondet arcus grad.58. 11. 58.: idque tam media nocte poſt diem 8. Januarii, quàm veſpere, ante, & poſt occaſum Solis circa æquinoctium vernum. At obſervationes ſub initium Maii prolongant paullifper tangentem, quæ productior fit menſibus Junii & Julii, appetente Auguſto iterum decurtanda: donec minima denuò inveniatur circa tempeſtatem hybernam, ubi apparet iterum 161280., cùm æſtate fuerit 161380., nempe grad.58. 12. 55.: adeoque differentia refractionis æſtivæ ab hyberna in elevatione Sirii minutum primum quàm proximè adæquat; cùm appareat ſecundorum circiter 57.

Jam verò, cùm refractiones, à Regia ſcientiarum Academia, præeunte D. Caſſino, & à pluribus doctiſſimis Viris per experimenta in diverſis Terræ Zonis peracta, diligentiſſimè fuerint definitæ, & ad gradus ſingulos elevationis recto calculo diſtributæ in ea Tabèlla, quam vulgarunt Acta ejuſdem Academiæ, & deſcriptio Meridianæ Bononienſis folio 72.; nos eaſdem eſſe recipiendas ultrò concedimus, experti cùm ſimus, egregiè reſpondere obſervatis. Pro diverſa tamen anni tempeſtate, Sirio id demonſtrante in ampliſſimo hoc Gnomone, dicimus, eſſe paulliſper æquandas, proportione ſervata ad eam refractionem, quæ elevationi Sirii tribuitur in Tabula Caſſiniana.

Porrò elevationi ab horizonte graduum 32., ſive diſtantiæ à vertice graduum 58., qualem Sirius obtinet in horizonte Romano, dum circulum meridianum occupat, aſſignatur refractio minut. 1. 34. In hac verò ſtella deprehendimus differentiam maximæ refractionis hibernæ à minima æſtiva in eadem elevatione pertingere proximè ad minutum primum, nempe ad ſecunda 57. Differentia igitur ad refractionem aſſignatam in Tabula eſt ut

57. ad

57. ad 94., paullò minor quàm 2.ad 3.: aſſumi poteſt ut 5. ad 9.: qua proportione incrementa, & decrementa refractionum eſſent in reliquis elevationibus temperanda; ſi notum antea foret, quota pars ejus differentiæ tribuenda eſſet imminutioni æſtivæ; quota augmento verno & hiberno; & quota includeretur in ipſa refractione aſſignata. Arbitramur, exiguam differentiæ partem eſſe tribuendam incremento hiberno, tum quia experimento novimus ab Octobri ad Aprilem per ſeptem circiter anni menſes haberi eandem fermè refractionem, ſcilicet maximam; quinque verò menſibus reliquis accedere gradatim ad minimam; tum quia augmenti hiberni pars potior includitur in refractione aſſignata per Tabulas; cùm iſta videatur conſtare ex ſumma refractionis mediæ, & augmenti ejuſdem; propterea quod referantur univerſa ad latitudinem loci in quo obſervatur, exploratam hiberno tempore in duplici elevatione Stellæ Polaris, eo ſcilicet experimento, quod includit maximam refractionem, aeris propriam ea tempeſtate.

Pro modo itaque temporis dividentes differentiam $\frac{5}{9}$ totius refractionis (quæ ſumma eſt augmenti, ac decrementi) quatuor nonas partes ſubtrahimus ab aſſignata per Tabulas ad colligendam æſtivam. At $\frac{1}{9}$ quod ſupereſt (cum $\frac{3}{9}$ ſive $\frac{1}{3}$ ſit ipſa refractio ſine augmenti hyberni, & imminutionis æſtivæ differentia) erit ipſum augmentum hybernum quamproximè. Minutiſſima iſta cùm ſint, & vix percipi ſenſu poſſint, niſi per maxima organa, quali nos utimur in hoc Gnomone Clementino; ſatis exactè diſtribui per hunce calculum nobis videntur. Rationem refractionis ad gradus ſingulos ex Caſſiniana tenemus. Cùm æſtivam uſurpare libeat; ſubtrahimus $\frac{4}{9}$ ab aſſignata per D. Caſſinum. Cùm hibernam; Caſſinianæ addimus $\frac{1}{9}$ Circa æquinoctia verò nihil addimus, aut detrahimus Caſſinianæ. Ita arbitramur rem totam propiùs aſſequi.

XXXII. Quæ ut referamus ad Tropicos, eorumque meridianam elevationem, nempe Tropici æſtivi, cujus diſtantia viſa à vertice in meridie eſt Romæ graduum 18. & min.25. ſec.44., & Tropici hyberni gr.65.20. 50.:& refractio aſſignata priori elevationi per tabulas ſit ſecundorum 19.,nos eam mulctamus $\frac{4}{9}$ hoc eſt 8. circiter ſecundis, ut habeamus æſtivam Cancri. Hybernam verò Capricorni augemus 12. vel 13. ſecundis, nempe $\frac{1}{9}$ refractionis minutorum fere duorum, illi aſſignatæ per tabulas Caſſinianas. An feliciter id ceſſerit, ex comparato Solis loco per aſcenſiones rectas, & declinationes circa utrumque Tropicum, & ex elevationibus, ſive diſtantiis ita correctis, poterit quilibet experiri: cujus rei gratia ſequentes obſervationes damus.

1703.

Horæ ab horologio indicatæ.
H. M. S.

1703. Die 22. Junii Sole clariſſimo.

0. 7. 6.	Centrum Solis in meridiano obſervatur ex appulſu utriuſque limbi notante horologio hor. 0. 7. 6. Heri in meridie notabat 0. 6. 47.			
	Tang. cum penumbra { 33869. 32776.	ſine penumbra { 33819. 32826.	gr. 18. 18.	41. 6. / 10. 22.
0. 38. 34.	Sirius ad meridianum pertingit.			

Die 23. aere clariſſimo.

0. 7. 24.	Ex appulſu limborum Solis meridies.			
	Tang. cum penumbra { 33878. 32784.	ſine penumbra { 33828. 32834.	gr. 18. 18.	41. 22. / 10. 37.
0. 34. 46.	Sirius ad meridianum.			

Die 24. aere clariſſimo.

0. 7. 4.	Ex appulſu limborum Solis meridies.			
	Tang. cum penumbra { 33904. 32810.	ſine penumbra { 33854. 32860.	gr. 18. 18.	42. 11. / 11. 28.

Supputatio declinationis maximæ ex obſervata in Solſtitiis.

Die 22. Junii in meridie.

Tang. { 33869. 32776.	ſine penumbra { 33819. 32826.	quibus reſpō- dent gradus	18. 41. 6. / 18. 10. 22.
		Differentia	30. 44.
		Semidifferentia	15. 22.
		Addita diſtantiæ limbi ſuperioris à vertice	18. 10. 22.
		Cum refractione Caſſin.	0. 0. 16.
		Indicat diſtantiam centri Solis à vertice	18. 26. 0.
		Minuendam ſecundis 8. ex æquatione refractionis expoſita	8.
		Ut reſultet vera diſtantia centri Solis à vertice	18. 25. 52.
		Quæ ſubducta ex loci latitudine	41. 54. 27.
		Indicat maximam Solis declinationem	23. 28. 35.

Sol verſatur in gr. 0. min. 8. Cancri, ut apparet ex differentia aſcenſionis rectæ cum Sirio, poſt centrum Solis ad meridianum adlapſo minutis horariis 31. 28. noſtri horologii, quæ ſunt 31. 33. horæ ſidereæ, & reſpondent gradibus æquatoris 7. 53. 15.

Subducendis ab aſcenſione recta Sirii 98. 1. 40.

Ut reſultet aſcenſio recta Solis 90. 8. 25.

Quæ

Quæ indicat Solem in meridie verſatum fuiſſe in gr.o. m.7. ſec.45. Cancri, atque adeò eandem ſenſiliter obtinuiſſe declinationem cum o. o. o. Cancri: quæ maxima eſt in Ecliptica.

Eadem declinatio reſultat ex comparatione obſervationum circa utrumque Tropicum.

Nam ex obſervat.diei 23.Decemb.1702. diſtantia max.à vertice gr.1. 17. Capricorni erat gr.65. 22. 38. Et diſt. max.o. o. Capric. gr.65. 23. 2.

Ex obſervatione diei 22.Junii diſtantia minima o. o. Cancri gr.17.25. 52.

Differentia 46. 57. 10.

Semidifferentia 23. 28. 35.

Eſt ipſa Tropicorum maxima declinatio grad.23. minut.28. & ſecund.35.

Ad hance inclinationem eclipticæ cum Æquatore exegimus declinationes cujuſcumque gradus eclipticæ, & in Tabellam digeſſimus, quæ huic Appendici ſubnecti poterit, ad comparanda faciliùs loca Solis, per quotidianas obſervationes duplici methodo reperta, nempe ex aſcenſionis rectæ differentia cum Sirio; & tangentium meridianarum quantitate, dum Solis utrumque limbum diligenter adnotaremus.

Horæ ab horologio indicatæ.
H. M. S.

Die 26. Junii incitavimus horologium, cujus motus numquam ceſſavit uſque ad diem 11. Julii.

o. o. 5. Præcedens limbus Solis ad meridianum adlabitur aere clariſſimo.

2. 53. Secundus limbus Solis ad meridianum. Ergo meridies hora hor. o. 1. 19.

Tangentes { 33984. 32896. } ſine penumbra { 33934. gr.18. 44. 38. 32946. gr.18. 13. 50. }

o. 6. 15. Sirius ad meridianum.

Die 27. Sole claro.

o. o. 17. Præcedens limbus Solis ad meridianum.

2.46. Subſequens limbus Solis ad merid. Ergo meridies o. 1. 32.

Tangentes { 34044. 32946. } ſine penumbra { 33094. gr.18. 46. 30. 32996. gr.18. 15. 40. }

Die 28. Sole claro.

o. o. 28. Præcedens limbus ad meridianum. Ergo meridies o. 1. 42.

Tangentes { 34120. 33024. } ſine penumbra { 34070. gr.18. 48. 52. 33074. gr.18. 18. 2. }

Die

Die 29. aere clariſſimo.

H. M. S.

0. 1. 51. Ex limborum Solarium excurſu per meridianum meridies eſt h.0. 1.51.

Tangentes { 34204. 33110. ſine penumbra { 34158. gr.18. 51. 36. 33160. gr.18. 20. 45.

0. 4. 19. Sirius ad meridianum.

Die 30. aere claro.

0. 0. 26. Sirius ad meridianum.

0. 2. 2. Hora meridiei ad horol. indicem ex appulſu limborum Solis ad merid.

Tangentes { 34308. 33210. ſine penumbra { 34258. gr.18. 54. 40. 33260. gr.18. 23. 50.

Die 3. Julii aere ſubobſcuro.

0. 2. 35. Ex appulſu limborum Solis ad meridianum hora meridiei.

Die 4. aere claro.

0. 2. 45. Ex appulſu limborum Solis hora meridiei.

Tangentes { 34852. 33750. ſine penumbra { 34802. gr.19. 11. 19. 33800. gr.18. 41. 31.

7. 13. 19. Arcturus ad meridianum. Eius tangens 38720.

Die 6. aere claro.

23. 36. 45. Sirius ad meridianum.

0. 3. 3. Meridies ex utriuſque Solaris limbi appulſu ad meridianum.

Tangentes { 35203. 34100. ſine penumbra { 35153. gr.19. 22. 5. 34150. gr.18. 51. 18.

Die 9. Julii aere nitidiſſimo.

23. 24. 54. Sirius ad meridianum.

0. 3. 30. Ex limborum tranſitu per meridianum Solis centrum meridiem indicat.

Tangentes { 35783. 34775. ſine penumbra { 35733. gr.19. 41. 18. 34825. gr.19. 10. 32.

Die 10. aere nitidiſſimo.

23. 20. 57. Sirius ad meridianum.

0. 3. 41. Ex limbis Solis meridies.

Tangentes { 36066. 34958. ſine penumbra { 36016. gr.19. 48. 26. 35008. gr.19. 17. 40.

Die 11. aere clariſſimo.

23. 17. 2. Sirius ad meridianum.

0. 3. 52. Ex limbis Solis meridies.

Tangentes { 36320. 35206. ſine penumbra { 36270. gr.19. 55. 47. 35256. gr.19. 25. 13.

6. 45. 44. Arcturus ad meridianum.

Ut appareat æquabilitas horologii, & accurata organorum fides his in obſervandis quæ retulimus, ita ea digeſſimus in Tabellam.

Dies obſervationis.	*Sirius ad meridianum.*	*Solis centrum ad meridianum.*	*Differentia horarum inter Sirium, & Solem.*	*Comparatio differentiarum.*	*Additio ſecundorum in horas ſingulas horologii.*	*Differentia horarum ſiderearum ſunt*	*Differentia aſcenſionis rectæ inter Sirium, & Solem.*
	H. M. S.	*H. M. S.*	*G. M. S.*	*M. S.*		*H. M. S.*	*gr. m. ſec.*
Junii 26.	0. 16. 15	0. 1. 20	0. 14. 55		2 ½	0. 14. 57 ½	3. 44. 22 ½
				] 4. 8.			
27.	0. 12. 18	0. 1. 31	0. 10. 47		2	10. 49	2. 42. 15.
				] 4. 8.			
28.	0. 8. 20	0. 1. 41	0. 6. 39		1	6. 40	1. 40. 0.
				] 4. 7.			
29.	0. 4. 23	0. 1. 51	0. 2. 32		0	2. 32	0. 38. 0.
			Sol præcedit *Sol ſequitur*	] 4. 8.			
30.	0. 0. 26	0. 2. 2	0. 1. 36		0	1. 36	0. 24. 0.
				} 4. 7.			
Julii 1.	23. 56. 30	0. 2. 13	0. 5. 43		½	5. 43 ½	1. 26. 0.
				] 4. 8.			
2.	23. 52. 33	0. 2. 24	0. 9. 51		1 ½	9. 52	2. 28. 0.
				] 4. 8.			
3.	23. 48. 36	0. 2. 35	0. 13. 59		2 ½	14. 1 ½	3. 30. 22.
				] 4. 8.			
4.	23. 44. 39	0. 2. 45	0. 18. 7		2 ½	18. 9 ½	4. 32. 15.
				] 4. 5.			
5.	23. 40. 42	0. 2. 54	0. 22. 12		4 ½	22. 16	5. 34. 0.
				] 4. 6.			
6.	23. 36. 45	0. 3. 3	0. 26. 18		5	26. 23	6. 35. 45.
				] 4. 6.			
7.	23. 32. 48	0. 3. 12	0. 30. 24		5	30. 29	7. 37. 15.
				] 4. 6.			
8.	23. 28. 51	0. 3. 21	0. 34. 30		5 ½	34. 35 ½	8. 38. 52.
				] 4. 6.			
9.	23. 24. 54	0. 3. 30	0. 38. 36		6	38. 42	9. 40. 30.
				] 4. 8.			
10.	23. 20. 57	0. 3. 41	0. 42. 44		7	42. 51	10. 42. 15.
				]			
11.	23. 17. 2	0. 3. 52	0. 46. 50		8	46. 58	11. 44. 30.

Hac in Tabella obſervationes, quæ lineola ſubſignantur, ea die peractæ non ſunt, cui adſcribuntur; ſed ex præcedentibus, & ſubſequentibus deductæ fuerunt.

Comparatio

Comparatio locorum Solis in Ecliptica, quæ illi tribuuntur ex obſervationibus.

	Ex obſervata differentia Aſcenſionis rectæ cum Sirio.						Ex obſervata declinatione in meridie per tangentes.					
	Aſcenſio recta Solis.			*Longitudo Solis.*			*Declinatio Solis.*			*Longitudo.*		
	G.	*M.*	*S.*	*G.*	*M.*	*S.*	*G.*	*M.*	*S.*	*G.*	*M.*	*S.*
1703. Junii die 26.	94.	17.	38.	3.	56.	5. *Cancri*	23.	25.	5.	3.	56.	0.
27.	95.	19.	38.	4.	53.	15.	23.	23.	15.	4.	53.	0.
28.	96.	21.	38.	5.	50.	25.	23.	20.	50.	5.	50.	30.
29.	97.	23.	38.	6.	47.	30.	23.	18.	18.	6.	47.	20.
30.	98.	26.	0.	7.	44.	45.	23.	15.	3.	7.	45.	0.
Julii die 1.	99.	28.	0.	8.	41.	50.	—	—	—	—	—	—
2.	100.	30.	0.	9.	39.	0.	—	—	—	—	—	—
3.	101.	32.	22.	10.	36.	5.	23.	3.	7.	10.	35.	30.
4.	102.	34.	15.	11.	33.	15.	22.	58.	22.	11.	33.	30.
5.	103.	36.	0.	12.	30.	24.	—	—	—	—	—	—
6.	104.	37.	45.	13.	27.	30.	22.	47.	30.	13.	27.	30.
7.	105.	39.	15.	14.	24.	45.	—	—	—	—	—	—
8.	106.	40.	52.	15.	22.	0.	—	—	—	—	—	—
9.	107.	42.	30.	16.	19.	10.	22.	28.	24.	16.	19.	20.
10.	108.	44.	15.	17.	17.	15.	22.	21.	14.	17.	17.	30.
11.	109.	46.	30.	18.	15.	30.	22.	13.	47.	18.	15.	0.

Longam hanc ſeriem obſervationum attexuimus, ut ſpecimen oſtenderemus ejus diligentiæ, ac fidei inſtrumentorum, quam exigere poſſint Aſtronomi à noſtris experimentis: tum etiam ut conſtaret, id à nobis non fuiſſe neglectum, ut data quæ vocant Aſtronomica, ſive elementa, unde omnis inferendi vis pendet

circa anni menſuram, minutiſſimè exquireremus, & ſtabilire certis dimenſionibus curaremus.

XXXIII. Methodus itaque, à nobis in obſervando ſuſcepta, elevationem Poli definire primùm inſtituit, tum eclipticæ inclinationem, ſive Tropicorum declinationem maximam, deinde refractionum quantitatem, mox certa Luminarium, ac Stellarum loca, nempe longitudines à vernæ ſectionis initio, & aſcenſionum rectarum ſummam: quibus ritè probatis per ſelecta experimenta, procedere poſſet ad comparandam anni vertentis menſuram, ceteroſque motus Luniſolares cum aſſumptis per Mathematicos Gregorianos in Kalendarii inſtauratione.

His igitur ex obſervatis, conſtare cuique poteſt, nulla fortaſſis Æquinoctia fuiſſe hactenus diligentiùs explorata, quàm duo proximè ſuperiora poſt Gnomonis Clementini fabricam in Æde Sacra S. Mariæ Angelorum ad Thermas Diocletiani, quo antea loco fuerat pinacotheca. Pronunciare itaque poſſumus de his Æquinoctiis, maxima certitudine, quæ organis Aſtronomicis comparata unquam ſit, hæc nobis innotuiſſe:

Æquinoctium Autumnale anni 1702. contigit die Sabbati, Septembris 23., hora 3., min. 15. poſt meridiem Romæ.

Æquinoctium Vernum labentis anni 1703. contigit Feria IV. die 21. Martii, hor. 2., min. 57. ante merid.

INſtituti noſtri ratio poſtulat, ut has obſervationes Æquinoctiorum, quæ ipſi vidimus, aſcendendo ad ſuperiores ætates, comparemus cum antiquioribus: unde certa menſura anni vertentis conſtitui poſſit, & cum aſſumpta in Gregoriani Kalendarii ſtructura conferri valeat.

Placet eam ſequi methodum Aſtronomorum, qui ut à notioribus ad minus nota procedant, comparant obſervationes primò cum proximis, deinde cum remotioribus. Proximas intelligimus, quæ unum, vel alterum ſæculum à nobis diſtant: remotiores, quæ ad ſæculorum decadem, vel etiam longiùs procedunt.

Inter Aſtronomos, qui duplici ſæculo præceſſerunt ætatem noſtram, & diligentia præſtantes habentur in obſervando, excelluit Bernardus Valtherus. Ejus obſervationes magno in pretio habitas à peritioribus Mathematicis edidit Snellius. Nos ad æquinoctiales digitum intendimus.

Sele-

Selegimus præ ceteris ad comparandum Æquinoctia annorum 1478., 1488., 1489., & 1501.; propterea quòd hiſce annis Valtherus viderit tàm Vernum, quàm Autumnale; eorumque ex intervallis invicem comparatis, & cum eâdem Poli altitudine conſentientibus ſatis certum judicium haberi poſſit de accurata obſervationum diligentia. Producam itaque obſervationes, prout editæ ſunt à Willebrordo Snellio poſt Haſſiacas.

Obſervationes Æquinoctiorum, habitæ à Valthero Norimbergæ.

Anno menſe die	*Chorda diſtantiæ limborum Solis à vertice.*	*Semis.*	*Arcus.* G.	M.	S.	*Duplus.* G.	M.	S.	*Obſervationis circumſtantia.*
1478. Martii xi.	83820.	41837.	24.	46.	40.	49.	33.	20.	Diligens obſerv.
Septembr.xiii.	83050.	41525.	24.	32.	7.	49.	4.	14.	Exactè.
1488. Mart.x.	84090.	42045.	24.	51.	47.	49.	43.	34.	Radii debiles.
Septemb.xiv.	84067.	42033.	24.	51.	21.	49.	42.	42.	Clara diligens.
1489. Mart.xi.	83625.	41812.	24.	43.	9.	49.	48.	46.	Clara diligens.
Septembr.xi.	82040.	41020.	24.	13.	2.	48.	26.	4.	Clara diligens.
1501. Mart.x.	84234.	42117.	24.	54.	32.	49.	49.	4.	Clara certiſſima.
Septembr.xiv.	83990.	41995.	24.	49.	53.	49.	39.	46.	Precisa certiſſima.

Menſura chordarum, exceptis prima, & quarta, videtur paullò productior, paucis tamen particulis centies milleſimis: quas hodiè quidem rectè diſtinguimus in maximis tangentibus Gnomonum Romani, ac Bononienſis; cùm ætate Valtheri vix eſſent obſervabiles per organa multò minora, qualia ipſe adhibebat. Verumtamen connexio obſervationum efficit, ut eaſdem pauculas particulas, quæ abundant, definire non difficulter poſſimus ex æquali intervallo temporis, quod interceſſiſſe demonſtrant, ita ſi corrigantur, inter Æquinoctia ſingulorum annorum.

Obſervationes Valtheri, correctæ ex collatis intervallis Æquinoctiorum.

Anno menſe die	Chorda diſtantiæ Solis à vertice.	Semiſſis Chordæ.	Arcus illi reſpondens. G. M. S.	Arcus duplus. G. M. S.
1478 Martii XI.	83675.	41837.	24. 46. 40.	49. 33. 20.
1478 Sept. XIII.	83070.	41535.	24. 32. 37.	49. 5. 14.
1488 Mart. X.	84084.	42042.	24. 51. 42.	49. 43. 25.
1488 Sept. XIV.	84067.	42033.	24. 51. 21.	49. 42. 42.
1489 Mart. XI.	83612.	41806.	24. 42. 45.	49. 25. 30.
1489 Sept. XI.	82032.	41016.	24. 12. 55.	48. 25. 40.
1501 Mart. X.	84180.	42090.	24. 53. 30.	49. 47. 0.
1501 Sept. XIV.	83970.	41985.	24. 49. 30.	49. 39. 0.

Ex obſervationibus ita correctis proveniunt horæ Æquinoctiorum, ut ſequuntur in Tabula, ſuppoſita elevatione Poli Norimbergenſis graduum 49. 26. 30.: quæ optimè conſentit cum omnibus obſervatis.

Anno menſe die	Diſtantia viſa centri Solis à vertice. G. M. S.	Diſtantia vera Solis à vertice adiecta refr. 1. min. G. M. S.	Declinatio Solis. G. M.	Dies hora min. Æquinoctii. D. H. M.	Intervallum temporis inter utrumque Æquin. D. H. M.
1478 Mart. XI.	49. 33. 20	49. 34. 20	0. 7. 50. auſtr.	XI. 8. 0.	186. 12. 32.
1478 Sept. XIII.	49. 5. 14	49. 6. 14	0. 20. 16. bor.	XIII. 20. 32.	
1488 Mart. X.	49. 43. 25	49. 44. 25	0. 17. 55. auſtr.	X. 18. 10.	186. 12. 23.
1488 Sept. XIV.	49. 42. 42	49. 43. 42	0. 17. 12. auſtr.	XIII. 6. 33.	
1489 Mart. XI.	49. 25. 30	49. 26. 30	0. 0. 0	XI. in Merid.	186. 12. 30.
1489 Sept. XI.	48. 25. 50	48. 26. 50	1. 0. 0 bor.	XIII. 12. 30.	
1501 Mart. X.	49. 47. 0	49. 48. 0	0. 21. 50. auſtr.	X. 21. 50.	186. 12. 30.
1501 Sept. XIV.	49. 39. 0	49. 40. 0	0. 13. 30. auſtr.	XIII. 10. 20.	

Æquabilitas obſervationum ita correctarum apparet etiam ex collatione intervalli inter Æquinoctia Verna, cum Vernis, & inter

inter Autumnalia cum Autumnalibus, invicem comparata. Nam à Verno 1478. ad Vernum 1488. differentia, præter dies ſolidos, eſt horarum decem cum totidem minutis: & ab Autumnali ad Autumnale eorundem annorum, præter dies ſolidos, eſt horarum pariter decem cum minuto 1. A' Verno 1488. ad Vernum 1489. eſt horarum 5. 50. Inter Autumnalia eorundem annorum eſt h.5.57. Inſuper Verna annorum 1489.& 1501. diſtant dies ſolidos, & præterea horas 21. 50.: & Autumnalia tantundem. Denique collato ſpatio temporis à Verno, & Autumnali 1478. ad Vernum, & Autumnale 1488. per annos decem, qui interſunt, ſpatium illud, ſive ſumma dierum, & horarum ſi dividatur; præter dies ſolidos 365. conſtat attribui cuique anno horas 5. & min.49.: quemadmodum annis XII. interpoſitis à Verno, & Autumnali ex diviſione contingunt dies 365. horæ 5. & minuta 50.

Ex hac igitur concordia numerorum, quæ retinet quotannis eandem diſtantiam inter Æquinoctia, & ſingulis annis attribuit ſupra dies 365. etiam horas 5. cum minutis 49., & aliquot ſecundis; nec abludit ab obſervatis Valtherianis, niſi paucis minutis horariis (quæ ſcilicet exhibere minimè poterant totidem ſecundis circuli maximi organa illa, quibus Valtherus utebatur in obſervando); ex hac, inquam, concordia apparet, rectè nos deduxiſſe horas Æquinoctiorum, uti ſunt caſtigatæ: multò certè evidentiùs, quàm ab antiquorum obſervationibus colligantur.

XXXIV. Conferendæ ſunt modò cum noſtris, Romæ habitis in Gnomone Clementino, ac ſuperiùs deſcriptis, ex quibus innotuit,

Hoc anno 1703. contigiſſe Æquinoctium Vernum die Mercurii 21. ☿ Martii horis 2. min.57. ante meridiem, hoc eſt, more Aſtronomico horis 21. min.3. poſt meridiem diei 20. Martii.

Et anno ſuperiori 1702. Æquinoctium Autumnale ſpectatum à nobis fuiſſe die Sabbati 23. Septembris hora 3. cum min. 15. poſt meridiem Romæ.

Ab Æquinoctio Verno anni 1489. ad Æquinoctium Vernum anni 1703. numerantur anni Juliani 214., non quidem ſolidi, ſed deficientes die 1. horis 3. 0.; nam Valtherus obſervavit die XI. Martii in meridie Norimbergæ, hoc eſt hor.0. min.3. poſt merid. Romæ; nos verò obſervavimus hoc anno 1703. horis 2.57. ante meridiem diei 21. Martii ſtylo Gregoriano: quæ dies in Kalendario Juliano dicebatur 10. Martii. Summa itaque temporis intercedens inter utrumque Æquinoctium dividenda erit in annos 214., ut habeatur quantitas anni vertentis ex obſervationibus Æquinoctii Verni.

Hæc ſumma temporis ab Aequinoctio Valtheriano ad noſtrum,

præter

præter dies 365. annis ſingulis numeratos, continet biſſextiles 53. Ab his ſubtraximus diem ſolidam, & horas tres: quæ deſiderantur ab hora 2. 57. ante meridiem diei X. in noſtra obſeruatione ad horam 0. 3. poſt meridiem diei XI. Martii, ubi completi fuiſſent anni ſolidi Juliani 214. poſt obſervationem Valtheri. Superſunt dies 51., & horæ 21.: quæ omnia dividenda ſunt per annos 214. Si dies 51. redigantur in horas 1224., cum additamento horarum 21.; fit ſumma horarum 1245.: hoc eſt, provenient minuta horaria 74700.: quæ diviſa in annos 214., tribuunt ſingulis minuta horaria 349., ſive horas 5., & min.49. Superſunt poſt diviſionem minuta 14.: quæ ſi redigantur in ſecunda 840., & aſſignentur ſingillatim annis 214., tribuunt cuique anno ſecunda 3., & tertia 55 $\frac{1}{2}$. Erit igitur ex hac diviſione anni vertentis modus dierum 365. horarum 5. min.49. ſec.3. tert.55., & quart.30.

Minuere tamen debemus tantillum hanc menſuram, causâ Apogæi Solis, intra hoc ſpatium temporis promoti ex gradu 4.30. Cancri ad gradum 8. 10. ejuſdem ſigni: quæ variatio Apogæi cùm tribuat Soli in obſervatione Valtheriana proſtaphæreſim gradus unius, & minutorum 55. 30.: in noſtra verò paulò minorem, hoc eſt gradus unius, & minut. 54. 51. deficientem à ſuperiori minutis ſecundis 39. circuli maximi; retardat, ſeu minus promovet noſtra in obſervatione Solis motum per minuta horaria ſexdecim, ſive per ſecunda 960: quæ diſtributa in annos 214. dant quotientem ſecundorum 4., tertiorum 15. cum quartis minutiis 9., detrahendum menſuræ jam adinventæ anni vertentis dierum 365. horarum 5. minut. 49. 3. 55. 30.

49.	3.	55.	30.
	4.	15.	9.
48.	59.	40.	21.

Erit itaque verus anni modus ex comparatione Vernarum obſervationum Valtheri cum noſtris dierum 365. horar. 5. minut.48. 59. 40. 21.

XXXV. Comparationem traducimus ad Æquinoctia Autumnalia. Valtherus obſervavit anno 1488. die 13. Septembris horis 6.33 poſt meridiem Norimbergæ: quæ ſunt horæ 6. 36. poſt meridiem Romæ. Differentia temporis deficit die 1. horis 3. 18. ab annis Julianis ſolidis 214.: quæ minuenda erit horariis minutis 24.: tot enim inſumit Sol ad progrediendum in Zodiaco minutum unicum longitudinis, quod mutatio proſtaphæreſeos requirit: cùm obſervatio Valtheri in ſignis 2., & grad. 25. 30. anomaliæ Solaris tribuat proſtaphæreſim ſubtractivam gradus unius, &

minu-

minutorum 55. 6.; noſtra verò obſervatio in ſignis 2. grad. 21. 50. anomaliæ paulò minorem proſtaphæreſim ſubtrahat, nempe grad. 1., & minuta 54. 6.: quare noſtra promovet, ſeu minùs retardat Solis longitudinem minuto unico: cui percurrendo debentur horaria 24. Dividenda igitur erit per annos 214. ſumma Biſſextilium 53. imminuta die ſolida, & horis 2. 54.: hoc eſt ſumma dierum 51. horarum 21. minut. 6. Peracta diviſione, ſingulis annis competunt præter dies ſolidos 365. horæ 5. minuta 49. 5. 36. 27.

	D.	H.	M.	S.	T.
Ex obſervationibus Vernis à Valthero ad nos annus vertens eſt	365.	5.	48.	59.	40
Ex obſervationibus Autum. à Valthero ad nos annus vertens eſt	365.	5.	49.		5. 36
Differentia eſt ——	0.	0.	0.		5. 56
Semiſſis differentiæ —	0.	0.	0.		2. 58

Semidifferentia ——	0.	0.	0.	2. 58.
Addita ſummæ minori	365.	5.	48.	59. 40.
Dat ſummam ——	365.	5.	49.	2. 38.

Ex omnibus igitur obſervationibus Valtheri, & noſtris, anni vertentis modus conſtituitur diebus 365. horis 5. min. 49. 2. 38.

Explorantibus itaque nobis per experimenta, annis ducentis inter ſe diſſita, anni menſuram; hæc tanta definitur, quantam retulimus.

XXXVI. Aſcendendum eſt modò ad Hipparchi ſeculum, ut ex ejuſdem obſervatis, ubi fuerint collata cum noſtris, patere poſſit, num eadem anni quantitas perſeveret ſeculis fermè novemdecim.

Ptolemæus Almageſti libro 3. cap. 2. retulit, Æquinoctium Autumnale ab Hipparcho fuiſſe obſervatum Periodi Calippicę anno XXXVI., ſive anno 182. poſt obitum Alexandri, prima intercalarium die ſub veſperam: hoc eſt Alexandriæ horis 6. poſt meridiem diei 26. Septembris Periodi Julianæ anno 4571.: quę in meridiano Romano numerabantur horæ 4. cum dimidia poſt meridiem. In hoc eodem meridiano Romano ad Thermas Diocletiani obſervavimus Æquinoctium Autumni anno Ærę Chriſti 1702., qui fuit Periodi Julianę 6415., horis 3. cum quadrante poſt meridiem diei 23. Septembris ſtylo Gregoriano, uti ſupra narravimus, ſivè ſtylo Juliano, die 12., horis 3. 15. poſt meridiem. Ab Hipparchæa igitur obſervatione ad noſtram numerantur anni Juliani 1844. non integri, ſed deficientes diebus quatuordecim, & hora una cum minutis 15.: quæ ſumma defectus ſi ſubducatur à Biſſextilibus 461., eidem intervallo debitis; reliquos facit dies 446., & horas 22. cum 45. minutis, ſive in integrum horas 10726. cum $\frac{3}{4}$, dividendas in prædictum numerum

rum annorum 1844. Adiectis verò huic differentiæ, ſive detractis à ſumma reſidua horis 2., & min. 52. quot nempe poſtulat variatio proſtaphæreſeon, ex minutis 7. ſec. 1. longitudinis, quæ motui Solis noſtra detrahit pluſquàm Hipparchæa, utì exigit progreſſus Apogæi, tùnc ſiti in gradu 6. min.24. Geminorum, nunc verò in gr.8., & min. 10. Cancri; fit ſumma horarum 10723., & minutorum 53., dividenda per annos 1844. Diſtributis in ſingulos horis quinis, ſuperſunt horæ 1503., & minuta 53., quæ ſunt minuta horaria 90233.: ex quibus cùm fuerint cuique anno tributa 48.: ſuperſunt horaria 1721. prima, ſive ſecunda 103260., partienda in eoſdem annos 1844., ut ſingulis aſſignentur 56. 0.

Eſt igitur anni quantitas ex hac obſervatione Autum. Hipparchi & noſtra, invicem comparatis, dierum

		H.	*M.*	*S.*	*T.*
noſtra, invicem comparatis, dierum ——	365.	5.	48.	56.	0.
Quæ colligebatur ex Valtherianis ac noſtra	365.	5.	49.	2.	38.
Differentia verò eſt	0.	0.	0.	6.	38.
Semidifferentia	0.	0.	0.	3.	19.
Quæ ſi addatur minori ſummæ	365.	5.	48.	56.	0.
Conſtituit anni modum medium	365.	5.	48.	59.	19.

Denique, ut nihil relinquamus inexploratum, ſi placeat etiam Æquinoctium aliquod Vernum, ab Hipparcho obſervatum conferre cum Verno à nobis viſo Martio ſuperiori 1703. die 21. ſtylo Gregoriano, horis 2. 57. ante meridiem Romæ, ſivè horis 21., & minutis 3. poſt meridiem diei 9. ſtylo Juliano; comparemus hanc vernam obſervationem, cum ea, quam Hipparchus à ſe habitam conſignavit anno 196. poſt obitum Alexandri, Phamenoth die prima in occaſu Solis, uti legimus apud Ptolemæum Almageſti libro 3. cap.1., hoc eſt Periodi Julianæ anno 4585. Martii die 23. horis 4. 30. poſt meridiem Romæ, quæ ſunt 6. 0. poſt meridiem Alexandriæ. Ab anno Periodi Julianæ 4585. ad hunc noſtrum 6416. numerati ſunt anni 1831.: quibus debentur Biſſextiles 457. A die verò Martii Juliani 9. horis 21.3. ad aſſequendam diem reſpondentem obſervationi Hipparchi 23. Martii cum horis 4. 30. pomeridianis, deſiderantur dies 13., & horæ 7. 27.: quæ ſumma ſubducta à Biſſextilibus 457. relinquit dies 443., cum horis 16., & minutis 33., dividendis per ſummam annorum 1831. ab Hipparchi obſervatione ad noſtram. His tamen addere oportet horas quatuor, quas po-

ſtulat

ſtulat differentia proſtaphæreſeon. Nam ſi Apogæum ætate noſtra ibi reperiretur, ubi ævo Hipparchi verſabatur; nos vidiſſemus horis quatuor ſeriùs Æquinoctium, nempe hora 1., & minutis 3. poſt meridiem diei 10. Julianæ. Quare deficerent ad annos integros Julianos dies 13., & horæ 3. cum 27. minutis dumtaxat. Sunt itaque diſtribuendi 443. dies, horæ 20., & minuta 33. in annos 1831.: quod fit, aſſignando ſingulis horas 5. minut. 49. 4. 48.

Verna igitur obſervatio Hipparchi, & noſtra dant anni modum D.	365. 5. 49. 4. 48.
Autumnalis ejuſdem & noſtra dabant anni modum	365. 5. 48. 56. 0.
Differentia eſt	0. 0. 0. 8. 48.
Semiſſis differentiæ	0. 0. 0. 4. 24.
Addatur minori ſummæ	365. 5. 48. 56. 0.
Conſtituetur annus vertens medius ex obſerv. Hipp. & noſtris	365. 5. 49. 0. 24.
Conſtituebatur ex Valtherianis & noſtris	365. 5. 49. 2. 38.
Differentia	0. 0. 0. 2. 14.
Semidifferentia	0. 0. 0. 1. 7.
Addita minori ſummæ	365. 5. 49. 0. 24.
Conſtituit annum medium ex omnibus obſervationibus ſupra recenſitis per ſæcula ferè novemdecim ab Hipparchi ætate ad noſtram	365. 5. 49. 1. 31.

XXXVII. Eâdem ſubtilitate, qua oſtendimus anni Solaris modum per meridianas Clementinam ac Bononienſem definiri poſſe, procederemus facilè ad examen Lunaris motûs, & Synodici menſis quantitatem definiremus ex Pleniluniis hîc obſervatis per ſingulos ferè menſes anni labentis, & per eclipſes Lunares, integro propemodum Cyclo decemnovennali à nobis Romæ conſpectas, eaſdem comparando cum antiquorum obſervationibus; ſi neceſſarium id videretur in tanto Aſtronomorum conſenſu, quantum declarat annexus laterculus: ubi Auctorum præcipuorum ſententias de Synodici menſis duratione collegimus, cum eâ comparantes, quæ noſtris ex obſervationibus prodit. Conſtat enim omnium calculo, provenire modum lunationis dierum 29. horarum 12. min. 44. ſecundorum 3.: totamque differentiam aliquot tertiorum intra XVIII. Sæcula non implere horam integram. Judicant itaque abſolvi menſem Synodicum Auctores ſequentes

Verum

	Diebus	*Horis*	*Minutis*	*Secundis*	*Tertiis*	*Quartis*
Hipparchus	29.	12.	44.	3.	15.	44.
Ptolemæus	29.	12.	44.	3.	20.	
Alphonſus	29.	12.	44.	3.	3.	
Bullialdus	29.	12.	44.	3.	9.	37.
Copernicus	29.	12.	44.	3.	12.	
Kalend. Greg.	29.	12.	44.	3.	10.	41.
Tycho	29.	12.	44.	3.	8.	30.
Moletius,& la Hire	29.	12.	44.	3.	11.	fere
Ricciolius	29.	12.	44.	3.	10.	
P. de Chales	29.	12.	44.	3.	10.	9.
Noſtræ obſervationes	29.	12.	44.	3.	10.	50.

Verùm, ne in exploratam omittamus propoſitionem hanc menſis Synodici inveſtigandi ex obſervationibus, quando excipi eandem auidiùs hodie neceſſe eſt earum contraverſiarum cauſsâ, quæ de Kalendario excitantur; placet ex eclipſi Lunæ, à nobis Romæ ſpectatâ anno *1699.* die 15. Martii, nec non in Hiſpania, unde obſervationes ſuas tranſmiſerunt conſultiſſimi rerum cæleſtium RR. PP. de Vlloa & Caſſani Soc. Jeſu, eâque comparatâ cum antiquis (prout in Sole antea inſtituimus numero XXVII.) ſatis definitam proferre ſententiam. Raro enim exemplo contigit, ut inter eclipſes à Ptolemæo obſervatas aliam offenderemus, in qua Lunæ poſitus, ſi referatur ad apogæum, perſimilis habeatur; vel exigua quæ intercedit proſtaphæreſeos differentia ab æquali fermè Solis diſcrimine compenſetur. Plurimum verò confert ad ejuſmodi motus medios indagandos adhibere eclipſes conſimilis anomaliæ; propterea quod nulla ſit in iis differentia proſtaphæreſeos, quæ diverſam poſtulet æquationem. Sanè inter eclipſes à Ptolemæo recenſitas Almageſti lib.4. cap.*9.* illa legitur, quam vidiſſe narrat die 17. Pachon, anno Hadriani nono, horis 8. 28. poſt meridiem Alexandriæ, hoc eſt anno Chriſti 125., Aprilis die 5., horis 7. 0. poſt meridiem Romæ. Gradus anomaliæ, quem Luna tunc obtinebat ex Bullialdi calculo fuit 253.; aliorum verò Aſtronomorum ſententia 252. cum dimidio, ſeù paullò etiam proximior gradui 253., ut ex tabulis Cl.V. Phil. de la Hire nos etiam colligimus, exiguâ planè diſcrepantia. In eâ verò eclipſi, quam nos Romæ ac Matriti obſervatam retulimus nocte ſequenti diem 15. Martii *1699.*, anomaliæ gradus à Luna occupatus erat *267.* cum triente, ex eiſdem tabulis de la Hire. In obſervatione igitur Ptolemæi debebantur Lunæ proſtaphæreſeos adjectivæ gradus 4. cum min.44. *36.* In ſecunda verò, à nobis peracta grad.4. cum min.57. *16.* Differentia minutorum

12. 40.

12. 40. longitudinis inter utramque proſtaphæreſim contrahit intervallum temporis ferè per 25. minuta horaria, quæ addenda erunt tempori numerato à Ptolemæi obſervatione ad noſtram. Porrò intervallum temporis tale habetur. Obſervatio Ptolemæi contigit anno Aeræ Chriſti vulgaris 125., Aprilis die 5., hor.7. ò p. merid. Romæ. Obſervatio noſtra anno 1699. Martii die 5. ſtylo Jul. 15. ſtylo Greg. hor.8. 6. p. m. Romæ. Intercedunt itaque anni Juliani 1573. cum diebus 334. horâ 1. & min.6. Hæc temporis ſumma continet dies integros 574872. & inſuper horam 1.: ſive horas integras 13796929.: quæ ſi reſolvantur in minuta, additis 6. illis quibus ſecunda obſervatio horam ſuperat, inveniuntur min. prima 827815746.: minuta verò ſecunda 49668944760.: quæ ducta per 60. conſtituunt minuta tertia 2980136685600.

Hæc minutorum ſumma, in quam explicantur anni 1573. dies 334. hora 1. & min.6. ab eclipſi per Ptolemæum obſervata ad eam, quæ à nobis ſpectabatur, dividenda eſt per durationem unius menſis Synodici, aſſumptam ex omnium fere Aſtronomorum (ſæculi præſertim ſuperioris ac noſtri) experimentis, quæ definitur dierum 29. horarum 12. min.44. ſecund.3. tert. circiter 11., ut ex eo quod ſupererit poſt diviſionem rationes propiùs conſequamur. Reſolvenda itaque erit duratio iſta menſis Synodici in ſecunda ac tertia minuta horaria. Id verò nullo negotio fit per ſequentem computationem.

Ducantur dies 29.
per horas 24.

116.
58.

Productum horarum 696.
cum horis 12. aſſignatis menſi Syn. præter dies integros.

Dat hummam horarum 708. ducendam
Per minuta 60.

Ut fiat ſumma 42480. minutorum.
Quibus ut addideris min.44. quæ Lunatio continet præter horas ſolidas.

Fiet ſummma minut.42524.
Ducenda per ſecunda 60.

Ut proveniat productum 2551440. ſecundorum.
Cui adiectis ſecundis 3. in menſe Synodico receptis.

 Summam

Summam reperies 2551443. ſecundorum unius Lunationis.
Hæc ſi velis in tertia reſolvere per 60. rurſus ducendo,

Proveniet ſumma 153086580.
Cui adiectis tertiis 11. ab initio aſſumptis in menſe,

Completur integra Lunatio 153086591. min. tertiorum, ſeu conſtans diebus 29. horis 12. min.44. ſec.3. tertiis 11.

Per ſummam temporis attributi menſi Synodico hoc eſt per hæc min. tertia 153086591., dividendum eſt intervallum temporis à Ptolemæi obſervatione ad noſtram, jam reſolutum in minuta tertia 2980136685600.

Abſolutâ diviſione, prodibit quotiens 19467.: & ſupererunt adhuc tertia 18603.: nempe oſtendetur, à Ptolemæo ad nos effluxiſſe Lunationes 19467., quarum ſingulæ conſtant tertiis 153086591. cum $\frac{18}{19}$ quamproximè, ſeu quod idem eſt diebus 29. horis 12. min.44. ſecund.3. tertiis 11. quartis $57\frac{1}{3}$

In hoc tamen calculo nulla, ut vides, ratio eſt habita diverſæ proſtaphæreſeos, quam diximus extendi ad min.12. 40. longitudinis, quæ requirunt minuta temporis circiter 25. ad lineam Solaris motus attingendam. Cùm verò proſtaphæreſis noſtræ obſervationis ſit major, decurtatum exhibet ſpatium durationis interpoſitæ: quæ propterea foret augenda minutis 25. horariis diſtribuendis in 19467. Lunationes, ut medius habeatur motus. Verùm ne hanc proſtaphæreſim, & minuta imputemus, intercedit Solis anomalia: quæ paullò plura minuta requireret ſubtrahenda. Cùm enim in obſervatione Ptolemæi Sol obtineat anomaliæ gradum 301. 24. cui debentur proſtaphæreſeos gr.1. m.37. 23.; in obſervatione verò noſtra Sol inſiſtat gradui anomaliæ 255. 32., cujus proſtaphæreſis eſt gr. 1. 52. 41.; nempe major min.15. 18. quàm ſuperior; noſtra obſervatio promovet locum Solis, adeoque remoratur oppoſitionem Lunæ minutis horariis pluſquam triginta: quæ forent ab hoc intervallo temporis ſubducenda, ut motuum apparentium ſublato diſcrimine, medius eliceretur. E contra addenda eſſent minuta 25. ob diverſitatem proſtaphæreſeos Lunaris. Cùm itaque tantundem fermè retardet proſtaphæreſis Solaris hoc intervallum, quantum Lunaris promovet; compenſatio quædam inducitur, cujus cauſsâ proſtaphæreſis una elidit alteram: & ratio menſis Synodici media perſeverat dierum 29. hor. 12. min.44. ſec.3. tert.11. quart.57.

Si denique placeat diſtribuere in 19467. Lunationes ſex illa minuta horaria, quibus æquatio Solaris motûs differentiam Lunaris ſuperabat; cùm ſex minuta prima reſolvantur in tertia

21600.

21600.; decurtandus erit menſis Synodicus jam inventus unico temporis minuto tertio, & quartis circiter 7. adeoque erit

Menſis Synodici duratio dierum 29. hor.12. m.44. ſec.3. 10. 50.
Gregoriani Aſtronomi conſtituerant d.29.h.12.m.44.ſec.3. 10.41.

Conſenſus eſt planè mirabilis: quippe cum minùs differat menſis aſſumptus ab obſervato, quàm ſexta pars unius minuti tertii horarii: atque adeò à Ptolemæi ætate ad noſtram ne integrum quidem minutum primum diſcriminis intercedat inter Lunationes 19467 medias ex Gregorii computo ordinatas, & totidem in cælo ſpectatas: quam differentiam nec obſervatione conſequi cauſsâ penumbræ poſſumus; nec augere altero minuto valet æquatio diverſa temporis, ſeù dierum, omnino negligenda.

Perſpicuum igitur eſt, utriuſque Luminaris medios motus, in ſyſtemate Kalendarii à Gregorio aſſumptos, ita congruere obſervationibus ſexdecim ſæculorum; ut nulla ſenſilis differentia notari potuerit in tanto periodorum numero, ac temporum intervallo. Quod hìc adnotaſſe non erit invtile; cùm ad controverſias Kalendarii feliciter dirimendas conferre plurimum valeat.

XXXVIII. In comparatione, quam hactenus inſtituimus ex plenilunio ecliptico, ante triennium à nobis hìc obſervato, ſuppoſuimus anomaliæ lunaris gradum ex aliis inſpectionibus notum. Certè cùm Ptolemæus demonſtret methodum illius indagandi ex tribus eclipſibus; nobis erat integrum ex totius decemnovennalis periodi experimentis colligere; per hoc enim intervallum annuas fermè eclipſes exhibere poſſumus à nobis Romæ obſervatas. Verùm & ejuſdem menſis trina ex obſervatione loci lunaris expeditiùs reſolvi poſſet problema. Quanta enim facilitas ſit obſervandi in meridiana Clementina per aſcenſiones rectas ac declinationes loca Luminarium, imò & planetarum, & fixarum omnium, indicio eſſe volumus ea, quæ adnotata à nobis ſunt à meridie diei V. Octobris ad meridiem diei VI., qua SS. Dominus Noſter Eccleſiam Deiparæ in Thermis, ſive Angelorum, die Feſto S. Brunonis inviſebat; cum in eam noctem quæ utrumque meridiem intercedit, inciderit Plenilunium verum, Luna fermè verſante in meridiano, ſex tamen horis circiter poſt medium, ut ratio proſtaphæreſeos poſtulabat.

Obſervationes habitæ in linea Meridiana Clementina Romæ ad Thermas Diocletiani diebus v. & vi. Octobris anno 1702.

H. M. S. horo. Die v. Octobris aere nitido.

23. 59. 8. Præcedens limbus Solis attingit meridianam lineam.
0. 1. 23. Subſequens limbus Solis ad eandem defertur.
0. 0. 15. Ergo centrum Solis verſabatur in circulo meridiano, dum horologium notabat h. 0. 0. 15.

Tangentes diſtantiæ à vertice limborum Solis in meridie fuerunt

		Correctæ à		Gradus reſp. tang.
Limbi ſuperioris	104465.	penumbra	104515.	46. 15. 55.
inferioris	106480.		106430.	46. 47. 3.

Declinatio itaque Solis viſa fuit 4. 36. 52.

Declinatio vera (ſubtracta parallaxi ſec. 7. & addita refractione Caſſiniana ſecund. 63.) fuit gr. 4. 37. 48.

Locus Solis in Zodiaco ex obſervata declinatione eſt gr. 11. 41. 50 ♎

Ex Ephemeridibus Mezzavachæ tempore medio ad merid. Bon. gr. 11. 41. 41. Et tempore vero meridiei Romæ gr. 11. 42. 5.

Nocte ſequenti diem v. Octobris nitida.

11. 40. 28. Saturnus ad meridianum planum pertingit.
Tangens diſtantiæ ejuſdem à vertice fuit part. 90382.
11. 51. 12. Jupiter meridianum ſubit.
Tangens diſtantiæ ejuſdem centri à vertice 83275.
12. 6. 38. Præcedens Lunæ limbus ad circulum meridianum appellit.
12. 8. 44. Succedens Lunæ limbus ad eundem devolvitur.
12. 7. 41. Verſabatur itaque centrum Lunæ in meridiano hora 12. 7. 41. horo.
Tangentes limborum Lunæ circa meridianum exceptæ.
Limbi ſuperioris 89807.
Limbi inferioris 91418.
12. 53. 23. Stella ſecunda in cornu Arietis (Bayero β) eſt in meridiano.
Ejus diſtantiæ à vertice tangens eſt 41520.
13. 5. 35. Lucida Arietis meridianum attingit.
Ejus diſtantiæ à vertice tangens fuit 36137.

Die vi. Octobris pariter nitida.

23. 58. 57. Præcedens Solis limbus ad meridianum revolvitur.
0. 1. 14. Alter Solis limbus in meridiano conſpicitur.
0. 0. 3. Centro itaque Solis verſante in meridiano notabat horol. 0. 0. 3.
Tangentes meridianæ limborum Solis.

Supe-

		Arcus diſtantiæ à vertice.	Declinatio centri ☉
Superioris 105880.	Corr. 105930.	46. 38. 58.	Viſa 5. 0. 6.
Inferioris 107922.	107872.	47. 10. 10.	Ref. & parall. 0. 56.
			Declinatio vera 5. 1. 2.

Locus Solis ex declinatione obſervata gr. 12. 40. 55 ♎
Ex Ephemerid. D. de Mezavachis temp. med. 12. 41. 2. Bononiæ
Ex iiſdem tempore vero meridiei Romæ 12. 41. 26 ♎

XXXIX. Deducta ex obſervationibus.

Locus Solis media nocte inter diem v. & vi. Octobris, unde more Eccleſiaſtico incipit dies vi. ex obſervationibus collatis provenit in gr. 12. 11. 23 ♎
Ex Ephemeridibus in gr. 12. 11. 45.

Differentia 0. 0. 22. quæ ſecunda Sol percurrit minutis horariis octo.

Locus Lunæ (ſuppoſita ejus parallaxi horizontali hac nocte min. 54. 46. reſpondente ſignis 10. gr. 24. anomaliæ, in qua verſabatur) facilè elicitur ex ejuſdem aſcenſione recta, obſervata per differentiam horarum inter appulſum Solis & Lunæ ad meridianum, ſive etiam Lunæ ac Lucidæ Arietis; & ex declinatione pariter obſervata in tangentibus diſtantiæ à vertice utriuſque limbi, ſubducta parallaxi minut. 36. 16., quæ debetur elevationi Lunæ; locus inquam Lunæ in Zodiaco ex aſcenſione recta, & declinatione ita explorata colligitur grad. 12. 9. 40. Arietis: & Plenilunium verum poſt duo tantum minuta horaria ab ejus excurſu per meridianum, hoc eſt medio ferè ſpatio inter meridianum Romanum & Bononienſe verſante Lunâ: adeoque per 6. tantummodo temporis minuta abludens ab Ephemeridum ſupputatione, edita à Cl. V. Doct. de Mezzavachis. Hoc enim tempore obſervationis, aſcenſio recta Lunæ provenìens ex comparatione horarum inter ejuſdem appulſum ad meridianum, & appulſum Solis, & Lucidæ Arietis, eſt graduum 13. 5. Declinatio verò Borealis ex arcu diſtantiæ à vertice per tangentes definita eſt grad. 0. min. 19.

XXXX. Aliquanto minor eſt conſenſus obſervationis & Ephemeridum circa Saturnum & Jovem, eâdem nocte ſpectatos. Conſtat enim ſubducenti calculos ex horâ excurſûs eorum per meridianum, ac ex tangentibus diſtantiæ à vertice eodem tempore diligen-

ligenter exceptis per tubum opticum, à nobis antea deſcriptum numero XXIII., fuiſſe aſcenſionem rectam

Saturni	6.	19.	8. declinationem	0.	11.	57.	Auſtr.
Jovis	9.	15.	38.	2.	6.	34.	Bor.

Unde elicitur longitudo				& latitudo			
Saturni 5.	42.	30.	Arietis	2.	41.	20.	Auſtr.
Jovis 9.	23.	40.	Arietis	1.	44.	15.	Auſtr.

At Ephemerides aſſignant

	Longitudinem	Latitudinem
Saturno	5. 31. Arietis	2. 35.
Jovi	9. 6. Arietis	1. 38.

Experiri facilè poterit unuſquiſque ſubductas rationes, hæc duo ſi teneat: nempe, horologii differentiam à motu Solis in dies ſingulos (ex obſervationibus enim ita cognoſcitur) eſſe minutorum ſecundorum 12. Quare ſingulis horis ab horologio indicatis intelliget fluere per meridianum gradus æquatoris 15. cum min. 2. 16. 30., ſive, quod idem eſt, addi oportere horis ſingulis horaria ſecunda 9. ac tertia 6., ut per tabulas conſuetas in gradus & minuta æquatoris horæ vertantur. Alterum verò animadvertendum ſpectat ad refractionum & parallaxium tabulas, quarum ope ex elevatione viſa colligi debet vera. Nos utimur ea, quam condidit & confirmavit præclariſſimus D. Caſſinus diligentia ſua diuturna & Academicorum ſolertia, quos Ludovicus Magnus felici expeditione, & regio commeatu inſtructos dimiſit in diverſas globi terreſtris Zonas, ipſamque adeò ſub torridam, ut obſervationum collatione utiliſſima Geographiæ, Aſtronomiæ, ac Nauticæ problemata ſolverent, & hos etiam canones refractionum vero quamproximos ſtabilirent. Inſertos eoſdem videmus deſcriptioni lineæ Meridianæ Bononienſis anno 1695. typis editæ: neque ullas æquationes hoc menſe cenſemus addi oportere iiſdem refractionibus; cùm pateat ex iis, quæ ſupra obſervavimus numero XXXI., circa Octobrem refractionum differentiam æquari: quæ per quinque ſuperiores menſes erat minuenda per $\frac{4}{9}$; & per menſes hybernos uſque ad Martium augenda eſt $\frac{1}{9}$: ut appetente Martio iterum evadat æquata; & Aprilis fine, ac ſub initium Maii ſenſim imminuatur, donec Junius referat æſtivam jam indicatam.

Methodo planè ſimili rationem ſubduxeris aſcenſionis rectæ ac declinationis fixarum, ut inde colligas earundem longitudinem, ac latitudinem. Utramque illam ad aſteriſmum Arietis pertinentem quum eadem nocte obſervaverimus; colliges indicio horarum

rarum prodere differentiam aſcenſionis rectæ cum gradu eclipticæ à Sole indicato, & ope tangentium definire declinationem ſingulis reſpondentem, ſcilicet:

	Aſcenſio recta	Declinatio	Longitudo	Latitudo
Arietis ſecunda in cornu	24. 35. 25.	19. 21. 6. B.	29. 50. 12.	8. 29. 15.
Arietis lucida	27. 38. 40.	22. 1. 46. B.	3. 32. 49.	9. 54. 26.

XXXXI. Vides hujuſmodi obſervationibus me feciſſe gradum ad eas utilitates percipiendas, quæ præter Kalendarii ordinationem, reliquis etiam vitæ artiumque commodis promovendis tribuere plurimum poſſunt, & in meridiana Clementina obtinentur. Quanquam & iſtæ ſerviant rationi temporum & luminarium motibus demonſtrandis. Ut enim fixarum loca in Zodiaco aſſequi facilè licet hac methodo explorandæ aſcenſionis rectæ, ac declinationis ſtellæ cujuslibet; ita earundem catalogus abſolutiſſimus conſtrui poſſet: cujus deinde præſidio, & Lunæ, & reliquarum inerrantium ſtellarum loca fermè dietim obſervaremus, compendioſa ſuppellectile ſolius tubi optici micrometro inſtructi, & horologii ſecunda diſtinguentis oſcillationibus numeratis, quotis quiſque Planetarum præcederet vel ſequeretur: quod in ſua machina parallactica pridem invenit Aſtronomiæ amplificator Caſſinus; ac in minutiſſimis Zodiaci ſtellulis induſtria eximia ferè perfecit gloriæ ac ſcientiæ ab illo perceptæ conſors Vir Clariſſimus Jacobus Philippus Maraldi, ejuſdem ſororis filius, inter præcipuos Academicos à Chriſtianiſſimo Rege cum avunculo Caſſino adlectus, & à Sanctiſſimo Domino Noſtro ſumma cum laude adhibitus ad res Kalendarii in Congregatione pertractandas: cui quantum debeam, hæc ipſa linea meridiana demonſtrat, communi utriuſque noſtrum labore ac ſtudio curata.

Potiſſima verò utilitas, quæ ex meridianæ tangentis conſtructione, ad eamque exactis obſervationibus proficiſcitur in alios vitæ uſus, pertinet ad Geographiam. Comparatâ enim differentiâ meridianorum, & paralleli latitudinis, (quorum utrumque præſtari per meridianam hanc poteſt) eâque ſervata differentiâ in deſcriptione globi terreſtris & mapparum, vides rei Geographicæ, & Nauticæ quantum perfectionis accedat. Nè verò quidquam à nobis deſideretur hoc in ſpecimine obſervationum, recenſere placet eclipſes aliquot primi ſatellitis Jovis, menſibus proximis inſpectas, ut earundem comparatione Aſtronomi ac Geographi poſſint aptare tabulas, & conferre cum noſtra longitudines meridianorum, quibus utuntur. Addemus etiam illarum eclipſium obſervationes, Bononiæ habitas à ſæpe laudato

Pro-

Profeſſore Mathematicarum D. Euſtachio Manfredo, atque ad nos benignè tranſmiſſas.

Immerſiones primi Satellitis Jovis, obſervatæ anno 1702.

		Romæ			*Bononiæ*			
Menſe	Die	Hora	Min.	Sec. p. merid.	Hora	Min.	Sec. p. merid.	Differ.
Julii	8.	14.	9.	18.				
Auguſti	9.	10.	39.	57.	10.	35.	39.	4. 18.
	16.	12.	35.	9.	12.	30.	36.	4. 33.
	23.	14.	30.	17.	14.	26.	27.	3. 50.
Septembr.	1.	10.	56.	20.				
	8.	12.	51.	55.	12.	47.	49.	4. 6.
	15.	14.	48.	44.				
	17.	9.	17.	50.	9.	13.	52.	3. 58.

Ex obſervationibus iſtarum eclipſium, inſpectarum per tubos opticos palmorum 15. tam Bononiæ quàm Romæ, elicitur differentia meridianorum, attingens quamproximè minuta horaria 4. cum ſecundis 10. Refundi enim debet in aeris conſtitutionem, & in aciem oculorum diverſam, ea differentia aliquot ſecundorum, quæ ab hoc diſcrimine aliquando parumper variat.

XXXXII. Appendicis loco liceat adnectere obſervationes nonnullas, quæ libenter, ut ſpero, ab Aſtronomis excipientur; quum raro admodum contingant intra diuturnum ſpatium ætatis; eòque infrequentiùs detur iis uti præſidiis, quæ nobis miniſtravit in tubo quinquaginta palmorum, optimæ notæ vitris inſtructo, utpote à ſe elaboratis, eximius D. Joſephus Campana, ſummo loco ab omnibus habitus inter eos, qui dioptricen perfecerunt. Præmonuerat antea laudatus D. Maraldi, Jovem modò verſari circa perigæum excentrici: cum verò Soli opponeretur ſub initium Octobris, eoque nomine reperiretur etiam in perigæo epicycli, futurum Planetam ita nobis proximum, ut totis octoginta & quatuor annis conſecuturis nunquam vicinior ſpectari debeat. Hoc itaque tempus opportunum eſſe maximè ad obſervandam illius diametrum, & ad inſpiciendas ſatellitum umbras ſupra ejus diſcum, quas ante annos ferme quadraginta tubo ſimili Domini Campani Clariſſimus Caſſinus omnium primus Romæ detexerat. Inſtare etiam phænomenum attentè perſpiciendum circa tempus eclipſeos quarti ſatellitis, in cujus inſpectione omnibus pariter præivit D. Caſſinus, & ſemel tantùm obſervare hactenus potuit. Referebat enim, orbitam ejus ſatellitis circa Jovem ita inclinari, ut certam annorum periodum ſequantur nodi cum ipſo mobiles. Hoc igitur menſe reperiri ſatellitem in ea inclinatione latitudinis, quæ in eclipſi vel totum non oc-

cul-

cultaret, vel tegeret per intervalla. Viſum enim ſemel à ſe, ut antea ſemel ab Avunculo ſatellitem, ſtatim ac in umbram inciderat, latère per quatuor aut ſex minuta prima horaria, tum rurſus abſcondi per totidem, ut iterum appareret, denuo occultandus ac retegendus, donec extra umbræ limites progrederetur. Arguebat verò acutiſſime, ut ſolet, D. Caſſinus, eas vices occultationis, & emerſionis deberi diſco Jovis, non lævigato, ſed aſpero, & quidem majoribus molibus, quàm in Luna ſint, etiam relatis ad ſuam diametrum. Fieri enim poterat, ut cacumina molium illarum umbrâ ſua inficerent diſcum ferè totum ſatellitis: qui propterea non apparebat, niſi cùm extra umbram unius molis poſitus, nondum incurriſſet in proximam: à qua rurſus prærepto Sole languebat. Hujus obſervationis præmonitos etiam voluimus Aſtronomos Bononienſes, datis ad antea memoratum D. Euſtachium Manfredum literis; quò diligentiùs poſſemus unâ (licet ex diverſis terræ locis), in Jovem intendere. Incidebat obſervatio in noctem poſt Kalendas Septembris proximè ſequuturam: quæ nitido aere omninò ſerena contigit, nulloque vento inquieta, adeò ut optici tubi nec fluctuarent, nec tremerent. Romæ hora 10. 56. 20. poſt meridiem obſervabatur à D. Maraldi per tubum opticum conſuetum 15. palmorum immerſio primi ſatellitis in umbram Jovis: quæ mihi per tubum 50. palmorum intendenti ex alia ſpecula minuto ſeriùs circiter contigit. Eodem tempore lumine minui cœpit quartus ſatelles: qui poſt minuta ſeptem adhuc languidiùs lucebat. Sed quarto ab his minuto elapſo viſus eſt pauliſper inclareſcere, nempe circa horam 11. 8. Ab hora 11. 11. ad 11. 14. apparebat obſcurior, ita adnotante D. Maraldi per tubum palmorum 15. Mihi verò per tubum palmorum 50. ab hora 11. 18. ad 11. 26. non modò languidiori luce illuſtrari, ſed aliquando etiam per ſeptem, aut decem ſecunda temporis inconſpicuus judicabatur. Quod cùm attendi à D. Campana, & ab eruditis viris præſentibus poſtulaſſem (dum D. Maraldi in alia ſpecula tubo 15. palmorum ſolus obſervabat), & ipſi per breviſſima illa intervalla aſpectum ſatellitis amittere, ac rurſus recuperare fatebantur. Bononiæ D. Manfredi idem fermè obſervavit. Verùm definire verebatur, an ſatelles omninò diſpareret per adeò exigua intervalla; quum ſupponeret occultandum (uti aliàs contigiſſe diximus) per aliquot minuta prima. Apices fortaſſe molium illarum extantium in diſco Jovis, paululum inficiebant umbrâ ſatellitem: qui in prænarratis obſervationibus ab earundem molium baſe ampliori diuturniùs in umbra detinebatur. Phænomeni raritatem à D. Maraldi benignè traditam lubenter Aſtronomis communicamus; ut poſt annum tertium, quando idem ſatelles ad eam orbitæ inclinationem proximè revertetur, experiri, & ipſi poſſint ea, quæ deſcripſimus, ſatis idonea ad judicandum de aſpera ſuperficie Jovialis globi.

Altera

Altera obſervatio, quæ ad diametrum ejuſdem Jovis definiendam pertinet, tentata à nobis fuit nocte ſequenti diem VI. Octobris. Licet verò tubus opticus plerumque non-nihil tremeret; quum tamen per intervalla pauliſper conquieſcebat, excipiebamus micrometro amplitudinem imaginis: eamque tubi extenſioni ſubinde comparatam invenimus ſubtendere particulas tres cum $\frac{82}{100}$ qualium particularum tubi longitudo à vitro obiectivo ad locum imaginis, ſeù ad micrometrum implebat numerum 14650. Inde per auream regulam inſtitutâ proportione, invenimus angulum eſſe min.0.53. $32\frac{1}{2}$. Sunt enim 14650.ad $3\frac{4}{5}$ ſive 73250. ad 19. uti 100. mil. ad 25 $\frac{69}{73}$ nempe ut ſinus totus ad ſinum minutorum 0. 53. $32\frac{1}{2}$ quæ Jovis diameter in maxima terræ vicinia ſubtendit. Dum verò in Planetam dirigeremus obtutum in tubo palmorum 50. circa horam 7. 30. poſt meridiem, vidimus umbram tertii ſatellitis prope limbum diſci conſpicuam, eâdem planè ſpecie, quam delineaverat D. Campanus anno 1664.

Ne quid ſuperſit inexplicatum, quod referri debeat ad hiſtoriam numiſmatis, ſcias, à Pontifice Optimo permiſſum, ut aliquot hujuſmodi ectypo percuſſi numi hoc anno reconderentur ſub ornamentis marmoreis, quæ adiecta ſunt Ellipticæ deformationi diurni circuli à Cynoſura deſcripti circa polum mundi. Incluſis candido marmori operculum æreum fuit impoſitum, in quo cælata legitur inſcriptio ſequens:

CLEMENTE XI. PONT. MAXIMO
jubente
Curatores Kalendarii
Franciſcus Blanchinus Veronenſis
Baſilicæ S. Laurentii in Damaſo Canonicus
ALEXANDRO PP. VIII. à domeſtica Bibliotheca
S. D. N. CLEMENTI XI. ab honore Sacri Cubiculi
&
Jacobus Philippus Maraldi Ligur
à Chriſtianiſſimo Galliarum Rege LUDOVICO XIIII.
cum Avunculo Caſſino
inter Regios Academicos adlectus
Gnomonem Aſtronomicum, ac Stellæ Polaris Orbitam
elaborarunt
Anno Æræ Chriſti MDCCII.

Ornamenta, quæ indicaveram, referunt, in Ellipſi quidem Polari ſtemma gentilitium CLEMENTIS XI., cujus Aſtrum aptè reſpondet Polo, ut docent inciſæ literæ POLUS MUNDI; circa lineam verò meridianam Zodiaci ſigna duodecim, coloratis ſegmentis marmorum ita compacta, ut muſiva opera, imò & picturam ipſam æmulari videantur. Exempla operis antiqui ſcitè imitatus eſt Franciſcus Tedeſchi, in hoc (ſculpendine dicam an pingendi?) genere nulli ſecundus.

XXXXIII. Cumulatè feciſſe videor, tùm pro epiſtolæ modo, tùm pro nummi expoſitione, quam popoſceras, tùm etiam pro Gnomonum deſcriptione, quam ſpondideram. Jejunè tamen ſcripſiſſe me judica de obſervationibus in meridiana Clementina peractis: quum è meſſe illarum, quæ ſingulis fermè diebus inſtitutæ a nobis ſunt hiſce annis, & in juſtum volumen excreſcerent, ſi omnes deſcriberentur, hunc velutì manipulum decerpſerim, ad declarandum, quàm opportunis Aſtronomiæ præſidiis conſulum eſſe voluerit negotio Kalendarii Sanctiſſimus Pater CLENENS XI., cùm Gnomones antea deſcriptos munificentiâ ſuâ conſtitueret: & quàm liberaliter ſcientiarum augmentis curandis inſtrumenta conquirat Optimus Princeps, diſciplinarum tutelæ pariter, ac religionis incremento à Deo datus. Utinam illi maturè, utinam diu liceat, uti ſacra omnia, ita & pacis artes confirmare præſidio publicæ tranquillitatis: ut ſantiſſimas humanæ mentis dotes, DEI ſcilicet cultum, ac ſcientias, quibus tuendis ac dilatandis etiam privatus incubuit, tanto uberiori populorum utilitate promoveat, quanto illas ampliori poteſtate, majori exemplo, ac ſollicitudine in hoc faſtigio dignitatis procurat. Dabam Romæ poſtridie Eidus Quinctilis MDCCIII.

Obſervatio Æquinoctii Autumnalis 1703.

Prælo dum committerem, quæ ad te perſcripſeram, appetiit Æquinoctium Autumni. Rarò admodum contigit, ut affulgeret in obſervando tam nitida aeris conſtitutio per plures dies, quantam experiebar ex die 18. ad 28. Septembris. Penſum Aſtronomicum iſtius temporis de more abſolutum excipies in numeris ſubſequentibus.

Anno 1703. Die 18. Septembris aere nitidiſſimo.

H.	*M.*	*S.*	
			Horologii incitati ante duos dies, cujus motus nunquam ceſſavit ad dies proximos infra notatos.
18.	55.	52.	Sirius ad meridianum circulum pertingit.
0.	2.	23.	Præcedens limbus Solis ad meridianum adlabitur.
0.	4.	39.	Subſequens limbus ad merid.
0.	3.	31.	Ergo notante horologio 0. 3. 31. meridies fuit. Tangentes obſervatæ in meridiano.

Limbi Solis Sup. 82495. Inf. 84148. & ſine penumbra 82545. 84098.

Die 19. Septembris nitidiſſimo aere.

18.	51.	47.	Sirius ad meridianum.
0.	1.	53.	Præcedens limbus Solis ad merid. } 0. 2. 1. meridies.
0.	4.	9.	Subſequens limbus ad merid.

Tangentes cum penumbra 83657. 85320. ſine penumbra 83707. 85270.

Die

H. M. S. Die 20. aere clariſſimo.

18. 47. 40. Sirius ad meridianum.
0. 1. 23. Limbus Solis præcedens ad meridianum } 0. 2. 30. meridies.
0. 3. 40. Limbus Solis ſequens ad meridianum }

Tangentes cum penumbra { 84824. 86500. ſine penumbra { 84874. 86450.

Die 21. aere nitidiſſimo.

0. 1. 58. Ex limborum Solarium excurſu per merid. hora meridiei.

Tangentes { 86010. 87680. ſine penumbra { 86060. 87630.

Die 22. aere nitidiſſimo.

18. 39. 22. Sirius ad meridianum.
0. 1. 26. Ex limbis Solaribus meridies.

Tangentes { 87197. 88900. ſine penumbra { 87247. 88850.

Die 23. nitidiſſima ex hora altera poſt Solis ortum.

0. 0. 54. Meridies ex utriuſque limbi Solaris excurſu per meridianum.

Tangentes { 88392. 90138. ſine penumbra { 88442. 90088.

Die 24. aeris conſtitutio varia.

18. 31. 8. Sirius ad meridianum. Paulò poſt ſubortis nubilus largiter pluit. Per intervalla laxatis nubilus meridiem obſervavimus nitidè, licet horis ſequentibus rurſus pluerit.
0. 0. 20. Meridies ex obſervatione limborum Solis in meridiano.

Tangentes { 89630. 91374. ſine penumbra { 89680. 91324.

Die 25.

23. 59. 47. Meridies.

Tangentes ab alio obſervatæ { 90862. 92625. ſine penumbra { 90912. 92575.

Die 26. nitidiſſimo aere.

23. 59. 14. Meridies.

Tangentes { 92116. 93910. ſine penumbra { 92166. 93860.

7. 20. 26. Aquilæ lucida ad meridianum.

Die 27. nitidiſſimo aere.

18. 18. 44. Sirius ad meridianum.
23. 57. 34. Præcedens limbus Solis ad meridianum.
23. 59. 49. Secundus limbus Solis ad meridianum.
Ergo meridies hora horologii 23. 58. 42.

Tangentes { 93380. 95210. ſine penumbra { 93430. 95160.

7. 20. 37. Aquilæ lucida ad meridianum.
14. 49. 46. *Eclipſis primi Satellitis Jovis: hoc eſt hora vera* 14. 51. 25. *poſt merid.*
Ex obſervatis apparet, contigiſſe Æquinoctium die Dominica 23. Septembris horis 9. & minutis 4. circiter poſt meridiem.

Obſervationes hiberni Solſtitii & Eclipſium Lunæ quas anno 1703. conſpeximus Romæ.

DAbo etiam obſervata circa Solſtitium hibernum, hoc anno potiſſimè attendendum, cùm Romæ contingeret paucis minutis ante meridiem. Quare ad maximam declinationem eclipticæ cognoſcendam plurimum conducebat. Accedit quoque ad illuſtrandam Epocham ejuſdem Solſtitii character inſignis motuum Lunarium, per Eclipſim cognoſcendorum nocte proxima poſt diem Solſtitii. Obſervata verò ſunt circa utriuſque ſideris motum ea, quæ ſubdam, ad Meridianam Clementinam in Thermis Diocletiani cum Admodum Reu. Patre Franciſco Noel Soc. JESU, cujus Aſtronomica ſtudia eruditis jam pridem nota commendant obſervationes, Macai in Sinis habitæ, & Pariſiis editæ anno 1688. cum aliis plurimis, ad Regiam Scientiarum Academiam inde tranſmiſſis. Obſervavit quoque nobiſcum Cl. Vir. Gabriel Manfredus Bononienſis, in Aſtronomicis rebus apprimè probatus ab eximio Viro Euſtachio, ejus germano fratre, Patrium Archigymnaſium illuſtrante, quî cum exegit complures obſervationes ex iis, quas ad maximam Meridianam, à Cl. Viro Caſſino S. Petronii in templo conſtructam, & in domeſtico obſervatorio peractas, ad eandem Regiam Academiam frequenter miſit.

Horologio utebamur, pendulo & cycloide inſtructo, quod ſupra deſcripſimus pag.35.: & tubis opticis præſtantis notæ palmorum 15. 10. & 7.

Die 15. Decembris aere clariſſimo.

H. M. S. ab horologio indicata: cujus motus nunquam ceſſavit uſque ad diem 26. Decembris.

11. 55. 25. Præcedens limbus Solis attingit lineam meridianam.

57. 51. Subſequens limbus ad eandem appellit.

Centrum Solis verſatur in merid. dum horol. notat h. 11. m. 56. 30.

Tangentes limborum Solis cum penumbra erant { ſup. 213320. inf. 218690.

Die 16. Decembris aere nitidiſſimo.

11. 55. 21. Limbus præcedens Solis ad Meridianum circulum

57. 48. Subſequens limbus ad eundem circ. Ergo meridies h. 11. 56. $34\frac{1}{2}$

Tangentes { 214560. 220000.

Die 21. aere claro.

H. M. S.		
11. 55. 13.	Præcedens limbus Solis ad merid.	ergo meridies 11. 56. 27.
57. 41.	Subſequens limbus ad merid.	

Tangentes { 215153. / 220598.

Sabbato die 22. Decembris.

Solem in meridie obſervare non licuit, à nubibus interceptum. Sub Veſperam ſerenitate reſtituta plurium ſtellarum, tum fixarum, tum inerrantium appulſus ad meridianum obſervavimus per machinulam optico tubo inſtructam, de qua egimus pagina 30. & 31.: horologii motu numquam impedito ex die 15. Decembris. Ex fixarum autem tranſcurſu per Meridianum, potiſſimè verò Sirii ex appulſu, diligentiſſimè explorato, Solis locus in meridie præcedenti potuit definiri.

Nocte igitur ſequenti diem Sabbati 22. Decembris hæc obſervavimus.

8. 32. 42. Jupiter ad meridianum circulum pertingit.
Tangens diſtantiæ ejus centri à vertice fuit 52360.
10. 54. 48. Orionis pes Rigel ad meridianum.
11. 40. 24. Præcedens Lunæ limbus ad meridianum.
42. 39. Subſequens Lunæ limbus ad meridianum.
Tangentes diſtantiæ à vertice limborum Lunæ in Meridiano exceptæ per machinulam optico tubo inſtructam, quæ penumbra carent { 34053. / 35066.
12. 26. 21 $\frac{1}{2}$ Sirius ad meridianum appellit.
Hìc eſſet recenſenda obſervatio Lunaris Eclipſeos: ſed ejuſdem phaſes differam poſt reliquas obſervationes, à ſuperioribus non disjungendas, ut facilior ſit comparatio.
19. 2. 39 $\frac{1}{2}$ Spica Virginis ad meridianum.
Diebus conſequentibus præ incuria ejus, qui in ſe receperat horologii pondera quotidie elevare, motus ceſſavit.
Die 26. ante meridiem rurſus incitavi pendulum horologii, à loco ſuo nunquam dimoti ex diebus Solſtitii æſtivi, Junio præcedenti à nobis hìc obſervati: quare obſervationes conſequentes utiles erunt ad præcedentium confirmationem, necnon ad Solis apogæum declarandum.

Die 26. Decembris aere ſubobſcuro.

11. 58. 48. circiter, præcedens limbus Solis attingebat meridianum.
0. 1. 16. Solis limbus alter in meridiano.

Tangen-

Tangentes limborum eadem fermè loca obtinebant, quæ obſervata & in lapidibus adnotata fuerant die 18. Decembris.

Verùm hodie non ſatis evidenter defininiebantur extrema penumbræ.

Meridies igitur fuit, notante horologio h.0. min.0. ſec.2.

Die 29. Decembris aere nitidiſſimo.

H.	M.	S.	
0.	1.	12.	Secundus limbus Solis ad meridianum.
			Meridies itaque erat notante horologio h.11. m.59. ſec.59.
			Tangentes { 213310. 218680.

Nocte ſequenti diem 29. Decembris.

8.	3.	57 $\frac{1}{2}$	Jupiter ad meridianum. Ejus diſtantiæ à vertice tang. eſt 52470.
10.	27.	7.	Pes Orionis Rigel ad meridianum exactiſſimè.
11.	58.	41.	Sirius ad meridianum exactiſſimè.
			Tangens diſtantiæ à vertice Sirii in meridiano fuit 161290.

Die 30. Decembris aere clariſſimo.

11.	58.	40.	Præcedens limbus Solis ad meridianum } ergo merid. h.11.
0.	1.	6.	Subſequens limbus Solis ad meridianum } m.59. ſec.53.
			Tangentes diſtantiæ à vertice limborum Solis { 212107. 217423.

Innotuerunt ex obſervationibus ea, quæ ſequuntur.

Primò ex duplici tranſcurſu Sirii per meridianum noctibus inſequutis poſt dies 29. & 30., conſtat, horologium metiri converſionem integram Cæli horis 23. minut. 55. ſecund. 32 $\frac{1}{2}$. Quare 24. horæ horologii ſupra 24. ſidereas addunt horaria minuta 4., & ſecunda 28. Et hora una horologii dat horam ſideream, & præterea minuta horaria ſecunda 11. cum tertiis 10. Minuta verò quinque horologii dant ſiderea minuta quinque, & ſecundum unum quamproximè.

Secundò ex iiſdem appulſibus Sirii ad meridianum, comparatis cum Solis appulſu diebus 29. & 30., conſtat, in media nocte poſt diem 29., quando horologium notabat h.11. m.59. ſec.56., Sirium jam prætergreſſum fuiſſe planum circuli meridiani ante minutum 1., & ſecunda 15. horaria: quare diſtabat eo tempore locus Soli oppoſitus ab aſcenſione recta Sirii horario 1. ſec. 15., nempe arcu Æquinoctialis circuli gr. 0.

m.18. ſec.45. Aſcenſio recta Sirii, aliàs explorata eſt modo grad.98. m.2. ſec.o. Erat igitur aſcenſio recta Solis in media nocte grad.278., minut.20., & ſecund.45.: quam obtinet gradus 7. cum minut.36., & ſec.13. Capricorni.

Tertiò colligitur, Solem attigiſſe perigæum intra dies 29. & 30. Decembris; cùm horologium à primo ad ſecundum meridiem prodat differentiam ſecùndorum ſex, ob mutatam proſtaphæreſim detractiuam in adjectivam: & diebus proximè præcedentibus à 26. ad 29. differentiam indicet 3. ſecundorum, & tria retardaret à die 30. ad 31. Fixarum enim excurſus, æquabilitatem horologii demonſtrans in minutis, ac ſecundis,& hanc differentiam in appulſu Solis, perſpicuum reddit argumentum mutatæ proſtaphæreſeos in tranſitu Solis per lineam abſidum in perigæo.

Quartò cognoſcitur, contigiſſe Solſtitium, ſive ingreſſum Solis in Capricornum unico circiter horæ quadrante ante meridiem diei 22.: quod colligitur ex obſervatione Sirii nocte ſequenti, ejuſque aſcenſione recta comparata cum intervallo horarum, quæ numeratæ obſervando ſunt ex meridie diei 21., quando Solem nitidè vidimus, ad appulſum Sirii ad meridianum nocte inſequuta diem 22. Conſtat enim Sirii tranſitum per meridianum quotidie prævertere in horologio minuta horaria 4., & ſecunda 28$\frac{1}{2}$. Quare, cùm nocte ſequenti diem 22. eſſet in meridiano hora horologii 12. minut.26. ſecund.21.$\frac{1}{2}$, fuerit ejuſdem adlapſus ad meridianum nocte præcedenti hora 12. m.30. ſec.40. Sol attigerit meridianum die 22. notante horologio h.11. m.56. ſec.25., & mediam noctem inter dies 21. & 22. dederit hora horologii noſtri 11. m.56. ſec.26. Punctum Soli oppoſitum in media nocte obtinet Aſcenſionem rectam minorem Aſcenſione recta Sirii horariis 34., & ſecundis 14. noſtri horologii: quæ ſunt horæ ſidereæ minuta 34., & ſecunda 20. Hæc reſoluta in gradus, & min. Æquatoris erunt gradus 8. minut.35. ſecund.o.

Ex aſcenſione recta Sirii	gr.98.	2.	o.
detrahe differentiam obſervatam	8.	35.	o.

Supereſt Aſcenſio recta gr.89. 27. o. tribuenda loco, Soli oppoſito in media nocte poſt diem 21. Nocte autem proxima poſt diem 22. Sol ſubiiſſet oppoſitum meridianum horologio indicante h.11. 56. 24. Sirius meridiani planum attigit hora 12. 26. 21$\frac{1}{2}$. Differentia eſt minut. horolog.29. ſec.57$\frac{1}{2}$, & ſidereorum 30. 3., ſeu graduum æquatoris 7. m.30. ſec.45. qui ſubducti ab Aſcenſione recta Sirii, dant Aſc. rectam loci Soli oppoſiti in media nocte poſt diem 22. grad.90. minut.30. ſecund.15.

ſecund. 15. Quare in meridie diei 22. Aſcenſio recta Solis erat grad. 270. minut. 0. ſecund. 52. Attigerat igitur Sol initium Capricorni horariis minutis circiter 12. antequam meridianum Romanum ſubiret die 22. Decembris anni 1703.

Quinto loco percipitur maxima declinatio Tropici ex tangentibus utriuſque limbi Solaris in meridiana radiorum projectione diei 21. Licet enim declinatio maxima foret obſervanda die 22. in meridie, quando Sol tenebat minutum primum Capricorni (quam cupientibus tunc excipere nubes non conceſſerunt); attamen conſtat, tum ex rationibus trigonometricis, tum ex obſervationibus aliàs peractis, differentiam declinationis gradûs 29. completi in ſigno Sagittarii à declinatione gr. 30. completi ejuſdem ſigni, ſive ab ea quam obtinet initium Capricorni, Tropicum hybernum deſcribens, eſſe quatuordecim ſecundorum. Porrò declinationem gr. 29. completi in ſigno Sagittarii perſpicuè excepimus die 21. Decembr. in meridie, cùm uteremur aere nitidiſſimo, & imago Solis in pavimento eſſet illuſtris. Ex tangentibus utriuſq; Solaris limbi cum pe-

numbra { 215153. / 220598. ſine penumbra { 215203. / 220548.

	gr.	65.	4.	36.
	gr.	65.	36.	35.
			32.	0.
			16.	0.
		65.	4.	36.
erat diſtantia à vertice centri Solis viſa		65.	20.	36.
addita refractione Caſſiniana augenda $\frac{1}{9}$ per hyemem, uti monuimus pag. 46.			2.	13.
Erat diſtantia vera centri Solis à vertice	gr.	65.	22.	49.
Inde ſi ſubducatur latitudo Urbis	gr.	41.	54.	27.
Cognoſcitur declinatio gr. 29. 0. Sagittarii		23.	28.	22.
Additis verò ſecundis 14. diff. inter 29. ♐ & 0 ♑		0.	0.	14.
Declinatio maxima Tropici colligitur	gr.	23.	28.	36.

Vides, hanc non abludere ab ea, quam ſtatuebamus ex aliis obſervationibus pag. 48. recenſitis gr. 23. minut. 28. ſecund. 35.

His circa Solem perpenſis, expediam ea, quæ in Lunari Eclipſi adnotavimus nocte ſequenti diem 22. Decembris.

Horæ ab horologio indicatæ redigentur ad veras, ſi teneas, in meridie diei 21. numeratam fuiſſe horam 23. m. 56. ſec. 27. & in meridie diei 22. (qui tamen obſervari non potuit) horo-

horologium indicarurum fuiſſe horam 11. 56. 24., ut ex motu dierum præcedentium colligitur. Præterea horas veras colliges ex tranſitu fixarum per meridianum ante & poſt eclipſim obſervato.

Obſervatio Eclipſeos Lunæ.

Nocte ſequnti diem Sabbati 22. *Decembris* 1703.

H.	*M.*	*S.*	indicata ab horologio, quod in meridie præcedenti notaſſet hor. 11. 56. 24.
12.	26.	21 $\frac{1}{2}$	Sirius ad meridianum.
17.	20.	0.	Initium eclipſis Lunæ, umbrâ verâ nunc primùm attingente limbum inter maculas Ariſtarchi & Ricciolii.
17.	20.	30.	Grimaldus attingitur.
	22.	30.	Grimaldus totus latet.
	26.	0.	Penumbra ad Ariſtarchum.
	27.	40.	Ariſtarchus in umbra.
	31.	20.	Umbra ad limbum priorem maris humorum.
	33.	20.	Harpalus & Hercules in umbra.
	35.	35.	Immergitur limbus alter maris humorum & Lansbergius.
	36.	50.	Penumbra ad Copernicum.
	37.	50.	Umbra ad priorem limbum Copernici.
	39.	10.	Immergitur totus Copernicus.
	44.	40.	Obſervavi differentiam aſcenſionis rectæ inter ſtellulam, quæ una cum Lunari diſco conſpiciebatur in tubo, & limbum proximum Lunæ, necnon differentiam declinationis limbi Lunæ Auſtralis, & Stellæ per micrometrum. Ad circulum aſcenſionis rectæ primùm appellebat limbus Lunæ præcedens in revolutione diurna: tum Stella poſt minuta temporis ſecunda 51. Platonis macula poſt limbum Lunæ ad eundem circulum deferebatur ſecundis horariis 77. Differentia declinationis Stellæ & limbi Auſtralis Lunæ fuit min. 5. & ſecund. 20. circuli maximi. Stella erat Auſtralior.
	47.	0.	Plato ab umbra attingitur.
	49.	50.	Platonis macula tota latet.
	50.	10.	Prior Thyconis limbus attingitur.
	51.	25.	Thyco totus latet.
	54.	24.	Præcedens Lunæ limbus ad circulum aſcenſionis rectæ in micrometro. Stella ad eundem poſt ſecunda 90. Alter Lunæ limbus obſcurus poſt Stellam ſecund. 43.
	57.	40.	Menelaus in umbram incidit.
	59.	30.	Præcedens Lunæ limbus ad circulum Aſcenſionis rectæ in micrometro. Stella poſt eundem ſecundis 72. Limbus alter Lunæ poſt alia ſecunda 55.
18.	4.	50.	Maris nectaris limbus prior, & S. Catharina in umbram incidunt.

Stel-

H.	M.	S.	
	8.	0.	Stellula ad circulum Aſcenſionis rectæ. Limbus Lunæ præcedens ad eundem pertingit ſecundis 4. poſt Stellam. Prior limbus Maris Criſium ſecundis 11. poſt Stellam: Limbus alter Maris Criſium ſecund 22. poſt Stellam.
	14.	0.	Prior Limbus Maris Criſium in umbram incidit.
	19.	40.	Limbus alter Maris Criſium umbræ immergitur.
	22.	50.	Totalis immerſio Lunaris diſci nitidiſſimè ſpectata.
19.	2.	33.	Spica Virginis ad meridianum.

Colliges ex Eclipſeos obſervatione Lunares motus: quos ut evidentiùs percipias per triplicem Eclipſim, duas præcedentes adnectam, hoc anno conſpectas in horizonte Romano.

Obſervatio Eclipſeos Lunæ, quam una cum Cl. Viro Jac. Philippo Maraldi, è Regia ſcientiarum Academia, Romæ habui in Palatio Cancell. Apoſtolicæ nocte ſequenti diem Martis 2. Januarii 1703.

H.	M.	S.	correcta ex Meridiana Solis obſervatione.
6.	14.	0.	Initium umbræ in limbo circa Ariſtarchum ſpectabatur tubo optico palmorum 6.
	15.	30.	Initium umbræ veræ lunæ diſcum inficere judicatur ſpectatum tubo palm. 15.
	25.	30.	Promontorium acutum in umbra.
	26.	30.	Latent Lunaris diſci digiti duo.
	28.	15.	Umbra ad marginem Ariſtarchi.
	30.	0.	Ariſtarchus latet. Umbra ad Platonem.
	39.	15.	Umbra ad Eratoſthenem. Latent Lunaris diſci digiti quatuor.
	49.	50.	Latent Lunaris diſci digiti quinque & min. 14.
	56.	0.	Grimaldus non conſpicitur. Umbra ad Manilium. Nubes obſtant, quo minus obſervatio certa habeatur.
	58.	30.	Grimaldi medium extra umbram. Non conſpicitur Menelaus, nec Plinius.
7.	4.	0.	Umbra in medio Meſſalæ.
	11.	30.	Limbus Lunæ præcedens occultari incipit à Vaticano clivo circa horizontem.
	14.	30.	Limbus alter ibidem abſconditur.

Lunæ diameter ſæpius explorata ante initium Eclipſis hora una, ſubtendit partes micrometri 44., hoc eſt minuta 30. & ſecunda 45. circuli maximi. Nam Solis diameter quæ

modo

modo eſt min, 32. 40, die ſequenti ſpectata ſubtendit micrometri partes 46 $\frac{3}{4}$. Per excurſum limborum ad fila micrometri, diſpoſita juxta planum circuli aſcenſionis rectæ, impendere obſervabatur minuta horaria duo & ſecunda 17.

Obſervatio Eclipſis Lunæ, Romæ habita ad Meridianam Clementinam, cum Cl. V. Gabriele Manfredo nocte ſequenti diem 28. Junii 1703.

Horas horologii redegimus ad veras ex inſpectione Meridiana Solis diebus infra recenſendis.

H.	M.	S.	veri temporis poſt meridiem diei 28. Junii.
			Initium Eclipſeos notare non licuit, ex interpoſitione nubium.
12.	37.	15.	Cum nubeculæ nondum ſinerent maculas evidentiùs diſcerni, Lunaris diſci ab umbra non occupati ſagittam adnotavi: quæ modò erat part. microm. 30., ſeu min. circuli maximi 20. ſec. 36.
	45.	15.	Diameter Lunæ ſubtendit partes micrometri 49. qualium Solis diſcus implet 46. Eſt itaque Lunæ diameter minut. circ. max. 33. ſec. 44.
	53.	15.	Dionyſius & Helicon in umbram incidunt: ſed Helicon ante duo minuta horaria latêre cœpit.
	57.	35.	Platonis limbus prior, & Plinius in umbram incidunt.
13.	0.	45.	Plato in umbra totus latet.
	9.	15.	Prior limbus Maris Criſium in umbram incidit.
	14.	15.	Limbus alter Maris Criſium ab umbra inficitur.
	18.	15.	Totalis immerſio Lunaris diſci in umbram. Duæ Stellulæ viſebantur una cum diſco Lunæ per opticum tubum: quarum una declinationem eandem ſortiebatur cum diſco Lunæ Auſtrali per parallaxim depreſſo. Alia verò Stella minutis 8. circuli maximi, & ſecundis 35. Borealior apparebat: & limbum proximum Lunæ præcedebat in revolutione diurna ſecundis horariis 17.: & Stellam alteram pariter præcedebat ſolido minuto primo.

Dum Lunæ diſcus in umbra latebat, viſebatur illuſtratus ſubobſcura luce. Portio diſci proximior extremo umbræ limiti apparebat candidior: pars verò interior umbræ terreſtris rubicundiori luce perfundebatur.

Ante

Ante emerſionem diameter Lunæ iterum explorata viſa eſt paullò amplior, quàm in obſervatione ſuperiori ſecundis circiter 7. circuli maximi.

Phaſes emerſionis.

H.	M.	S.	
14.	38.	15.	Initium recuperationis lucis.
	43.	45.	Prior Grimaldi limbus exit ab umbra.
	45.	25.	Alter Grimaldi limbus illuſtratur.
	45.	45.	Ariſtarchus exit ab umbra nitidiſſimè.
	52.	0.	Keplerus extra umbram.
	59.	45.	Copernicus exit, ſed nubeculæ tranſcurrentes non ſatis evidentem reddunt obſervationem.
15.	1.	45.	Copernicus modò extra umbram clarè conſpicitur.
	3.	45.	Eratoſthenes extra umbram.
	5.	15.	Nubes intercipiunt adſpectum Lunæ.
	18.	45.	Menelaus ab umbra emergit.
	21.	15.	Dionyſius, & Plinius extra umbram.
	28.	15.	Promontorium Maris tranquillitatis illuſtratur.
	32.	0.	Prior limbus Maris Criſium extra umbram prodit.
	36.	0.	Limbus alter Maris Criſium extra umbram.
	41.	15.	Emerſio totalis è puncto diſci, à quo diameter ducitur per maculam Copernici.
	45.	15.	Diameter Lunæ, denuò explorata per micrometrum, paullò minor eſt part.49., nempe qualis obſervata fuerat horis 8. 0. poſt meridiem.

Eclipſis iſtius obſervatio tanto eſt utilior ad motus medios colligendos, quanto proximiora erant luminaria lineis abſidum. Sol enim in apogæo verſabatur; & Luna non multum fuerat progreſſa ultra perigæum. Obſervationem præſentiâ ſuâ decoravit Illuſtriſs., & Excellentiſs. D. Vzedæ Dux, Sereniſs. Hiſpaniarum Regis Catholici PHILIPPI V. ad Sanctiſſimum Dominum Noſtrum CLEMENTEM XI. Orator. Pro illo enim ſtudio, quo diſciplinas ſolidiores proſequitur, exemplo eorum, quos Tullius commendat, illuſtrium Romanorum, Catonis inquam, Luculli, & Africani, eaſdem habuit in ampliſſimis Magiſtratibus, & in Legatione iſta Regia retinet perpetuas comites, Philoſophiam, Matheſim, Hiſtoriam, optimarum denique artium ſtudium, tum omnem liberalem, & dignam homine nobili ab eo perceptam doctrinam. Ut verò aliàs contulerat cum obſervatis in Hiſpania, & Italia Eclipſibus accuratiſſimas Tabulas cæleſtium motuum, à ſe olim elaboratas, quas plurium Ephemeridum calculis præſtare experiebamur;

mur; ita nunc excitare præſentia voluit rei Aſtronomicæ curam: quam nec abeſſe à cauſa publica ſinit Paſchalium controverſiarum cum hiſce ſtudiis contracta ſocietas. Ejuſdem Eclipſeos obſervationes ſubindè recepimus à Clariſs. Viris Jacobo Philippo Maraldi, & Euſtachio Manfredi: quorum primus Genuæ inſpexit in ædibus Ill. Marchionis Salvago, omni Aſtronomica ſuppellectile inſtructis; alter Bononiæ in Marſiliano obſervatorio nuper excitato: & ab Reu. Adm. Patre A. Laval Soc. JESU, Maſſiliæ matheſim profitente plurima cum laude doctrinæ. A ſingulis verò peracta cùm fuerit accuratiſſimè phaſium deſcriptio, confirmat eandem differentiam meridianorum, quam ex immerſionibus, & emerſionibus intimi ſatellitis Jovis præciſiùs definire jàm poſſumus.

Ex Eclipſi Lunæ meridianus Romanus oſtenditur orientalior

Bononienſi minutis horariis 4. ſecund. 10. circiter
Genuenſi min. hor. 12. ſecund. 30. circiter
Maſſilienſi min. hor. 26. ſec. 40. circiter

Huc etiam pertinent

Obſervationes Solſtitii æſtivi anno 1703.

Die 21. Junii Feria V. aere clariſſimo.

H. M. S.	
6. 5. 32.	Præcedens limbus Solis ad meridianũ } ergo meridies 0. 6. 47.
8. 2.	Secundus limbus Solis ad meridianũ
	Tangentes diſtantiæ à vertice limborum Solis cum penumbra { 33875. 32782. abſque penumb. 33825. gr. 18. 41. 17. 32832. 18. 10. 37.

Die 22. Junii aere clariſſimo.

0. 5. 48.	Præcedens limbus Solis ad merid. } ergo meridies 0. 7. 6.
0. 8. 20.	Subſequens limbus Solis ad merid.
0. 7. 6.	Tangentes limborum 33868. 32775. ſine penũb. 33818. gr. 18. 41. 4. 32825. gr. 18. 10. 20.
0. 38. 34.	Sirius ad meridianum pertingit.

Die 23. aere claro.

0. 7. 24.	Ex limborum excurſu per meridianum meridies erat, indicante horologio h. 0. m. 7. ſec. 24.

Tangen-

H. M. S. Tangentes 33876. ſine penumbra 33826. gr.18. 41. 19.
32781. ſine penumbra 32821. gr.18. 10. 32.

o. 34. 46. Sirius ad meridianum appulit exactiſſimè.
Ejus diſtantiæ à vertice tangens obſervata fuit 161380.

Feria III. Die 26. horologium rurſus incitatum fuit.

o. o. 5. Præcedens limbus Solis ad meridianum } meridies o. 1. 20.
o. 2. 35. Subſequens limbus Solis ad meridianum }

Merid. o. 1. 20. Tangentes { 33984. 32896.

o. 16. 15. Sirius meridianum attingit exactiſſimè.

Die 28. aere claro.

Merid. o. 1. 41. Ex tranſcurſu limborum Solis meridies. Tangentes { 34120. 33024.

Nocte ſequenti Eclipſis Lunæ obſervata eſt.

Die 29. aere claro.

Merid. o. 1. 51. Ex limbis Solis meridies.
o. 4. 19. Sirius ad meridianum.

Die 30. aere claro.

o. o. 26. Sirius ad meridianum.
Merid. o. 2. 3. Ex appulſu limborum Solis meridies. Tangentes { 34308. 33210.

Ex obſervationibus Solis, & Sirii anno 1703. colligitur

Æquinoctium Vernū	*Solſtit. Æſtivum.*	*Æquinoct. Autumn.*	*Solſtit. Hibern.*
Feria IV. die 21. Martii h.2. m.57. ante merid. ſive hor.9. min.3. poſt med. noctem.	Fer. VI. die 22. Junii hor.3. min.15. ante merid. ſive h.8. m.45. poſt med. noctem.	Die Dominica 23. Septembris hor.9. min.4. poſt meridiem.	Sabbato die 22. Decembris h.o. m.15. ante meridiem ſive h.11. min.45. poſt med. noctem.

FINIS.

ADDENDA.

IN prima diſſertatione *pag.*2. ubi affirmabam cum Eminentiſsimo Card. Noriſio (quem die 23. Februarii 1704. placidiſſima morte functum ante dies quatuor publico funere extulimus maximo cum damno rei literariæ) nonnulla veterum Romanorum ſacrificia ad certam Lunaris ætatis diem fuiſſe relata, addi poſſet Dionyſii Halicarnaſſei locus de Feſto *Argeorum*: quem locum ita reddidit Latinus interpres. Fridericus Sylburgius editionis Francofurt. *pag.*30. *Id Romani factitant paullo poſt Vernum Æquinoctium Idibus Maiis: quo die volunt Lunam eſſe dimidiam*. Licet verò vis Græcæ dictionis æquè poſſit ſignificare diem illam, *quæ menſem bifariam ſecat*, nempe *Idus Maii*; attamen ante Cæſarem, quando Lunaris menſis Numæ obſervatio vigebat, Plenilunio convenit, ut reddit interpres.

In eadem diſſertatione Cap. VII. *pag.*75. initium Imperii M. Aurelii Antonini ſtatuebatur ex Panvinio die 7. Martii anno Æræ vulg. 161. Mirificè illuſtratur Epocha ex nummo rariſſimo Muſæi Fucaldiani indicante Cl. V. Nicolao Toinardo: ubi pars adverſa muliebrem figuràm exhibet cum ſpica & cornucopiæ, literis verò ornatur TR. POT. XIX. TR. P. VI. IMP. II. COS. III. S. C.

In diſſertatione ſecunda *pag.*107. 114. & 166. ubi annus Dominicæ Paſſionis ex noſtra ſententia dicitur vulgaris Epochæ 28., & componitur cum Conſulatu duorum Geminorum, cui etiam anno conveniunt characteres Paſchatis, & Feriæ, ab Evangeliſta, & à Patribus recenſiti, indicabo loca veterum Scriptorum ſæculi primi, quibus evincitur, Conſulatum Geminorum, quem plerique recenſent anno vulgaris Æræ 29., eſſe tribuendum anno præcedenti. Loca ſunt Paterculi *lib.*2. *num.*65. *pag.*205. editionis Varior. in Conſulatu Vinicii cum primo Auguſti connectendo, Taciti in exordio hiſtoriæ, Frontini de Æquæductibus in Conſulatibus C. Sentii & Sp. Lucretii poſt annos XIII. quàm Agrippa Ædilis, Auguſto & M. Lælio Volcatio Coſs. anno poſt Urbem conditam DCCXIX. aquam Juliam duxerat; & in Conſulatu Sullæ & Tutiani cum anno Urbis DCCC. componendo; tum ex Tacito in recenſenda ætate Neronis ac Britannici, cum Suetonii locis ſi conferantur invicem; denique ex ipſius Tranquilli hiſtoria in Vita Caii Cap. LIX.; in Vita Galbæ Cap. IV., & in Vita Othonis Cap. II. & XI., & ex aliis Auctorū teſtimonii, alibi recenſendis.

Corrigenda.

PAg.5. *verſ.*5. conſpicua. *pag.*6. *verſ.*30. Mart. *pag.*8. *verſ.*2. eam diem. *pag.*16. *verſ.*10. E 3. *verſ.*24. hybernis. *verſ.*27. anni 7. *verſ.*28. anno 9. *pag.*18. *in columna Menſis Aprilis* 2. D 1. *pag.*32. *verſ.*21. κέντρον δὲ ἔχον, κέντρον *pag.*37. *in margine* Suidas in voce γεννῆται *pag.*43. *verſ.*13. ſublatam. *pag.*44. *verſ.*13. Therinæorum. *pag.*48. *verſ.*8. denique. *pag.*63. *verſ.*28. miſſeis, aut miſſubus. *pag.*72. AVGVSTVS ET. *pag.*74. *verſ.*24. Antii. *pag.*79. *verſ.*26. autumo. *pag.*80. *verſ.*9. vivos. *pag.*82. *verſ.*9. & Pyrrhicam. *pag.*90. *verſ.*36. ſupplices. *pag.*94. *verſ.*24. inciderat. *verſ.*21. annus 784. *pag.*95. *verſ.*35. Gradus 1. *pag.*98. *verſ.*37. anno Chriſti 47. *pag.*107. *verſ.*42. S. Hieronym. in cap. IX. Danielis. Vide *pag. ſequenti*. *pag.*121. in tab. in margine 30. 31. &c. *pag.*129. *verſ.*17. diſſerverit. *pag.*130. *verſ.*13. Alexandri. *verſ.*35. omnes anni. *pag.*133. *verſ.*36. 343. vel 455. vel 567. vel 679. *verſ.*37. demum 791. *pag.*135. *verſ.*28. intelligitur. *pag.*138. *verſ.*22. præterquàm in poſtrema. *verſ.*28. ferent. *pag.*139. *verſ.*9. Præmiſeram. *pag.*144. *verſ.*30. teſtamenti. *pag.*151. *verſ.*29. die decima.

In diſſertatione de Nummo & Gnomone Clementino.

PAg.5. *verſ.*36. ſtedicatis. *pag.*6. *verſ.*15. edicta. *verſ.*42. celebrationem. Ut &c. *pag.*7. *verſ.*9. duodecimum. *pag.*8. *verſ.*6. quam. *verſ.*44. ut Apoſtolus. *pag.*10. *verſ.*32. *offerrent*. *pag.*11. *verſ.*33. exſcripſerunt. *pag.*24. *verſ.*12. Seſquialteri. *pag.*32. *verſ.*30. anno 1682. *pag.*45. *verſ.*10. 161380. *pag.*53. columna *Semis* verſu primo 41910. *pag.*54. columna *Chorda &c.* verſ. primo 83820. *ſemiſſis chordæ* 41910. *pag.*72. Die 26. inter obſervationes hora 7. 24. 43. Aquilæ lucida ad Meridianum. Sequuntur Tabulæ *fol.*LXV.

SOLUTIO
PROBLEMATIS
PASCHALIS.

Ad eos, qui judicaturi de Cyclo ſunt, adhortatio.

DUM Cyclum à ſe conſtructum proponit Auctor Mathematicorum cenſuræ, hoc unum poſtulat; ut ſi ullius anni Paſcha minùs rectè ordinari cognoverint per numeros ejuſdem Cycli; id velint liberè arguere, ac diſtinctè notare. Eadem libertate, ac diſtinctione ipſe utitur circa Tabulas vulgares Feſtorum Mobilium, quæſtionem inſtituens per eos annos, ſuper quibus cadit controverſia rectæ diſpoſitionis: ut Sedis Apoſtolicæ definitio certa impetretur, ubi difficultas in aperto ſit, & citra omnem ambiguæ propoſitionis aleam conſtituta. Quæ ratio deferendæ, & exponendæ dubitationis ut exemplo reddatur clarior, in Paſcha illud inquiret, quod primum occurret ad Canonicas leges exigendum poſt ea, quibus remedia tempeſtiva non forent: ut Pontificis Maximi providentia, atque auctoritas, per eos ad quos pertinet implorari poſſit concordi ſuffragio.

Neque tamen idcircó quis putet, ad unicum Paſcha referri controverſiam circa vulgares Tabulas Feſtorum Mobilium; cùm ex impreſſis huic opuſculo inſertis perſpicuum ſit, hoc uno labente ſæculo XX. Paſchata in dubium revocari.

Neque etiam quis autumet, unius, aut alterius Paſchatis dubium eſſe negligendum; cùm S. Innocentius I. ejus rei ergo literas dederit anno 414.; & S. Leo Magnus complures epiſtolas miſerit ad Marcianum Auguſtum, ejuſque conjugem, & ad Epiſcopos, quum duplici tantùm de Paſchate difficultas ætate ſua immineret.

Methodus itaque dubitandi de recta Paſchatis indictione ad annum 1707. hæc illi eſt propoſita. Præmittit *Data*, veluti *Factum*; & *Axiomata*, veluti *Jus*.

D A T A.

Datum I. Anno 1707. Plenilunium medium committitur horis 15. minutis 19. poſt Meridiem Sabbati 16. Aprilis ad Meridianum Romæ: nempe horis tribus, min. 19. poſt mediam noctem, unde trahetur exordium diei Dominicæ 17. Aprilis, Stylo Eccleſiaſtico. Conſentit P. Clavius in expoſitione Kalendarii Gregoriani pagina 424. editionis Romanæ.

Datum II. In hoc Plenilunio tempus oppoſitionis juxta motus medios non differt ab oppoſitione juxta motus veros, niſi per horam unicam, & minuta circiter decem: idque evidenter oſtenditur ex Lunari Eclipſi fermè centrali, quæ ſpectari poterit à primo horæ quadrante poſt mediam noctem, Sabbati ac Dominicæ diremptricem, ad horas quatuor proximas in eodem meridiano Romano: prout Ephemeridum Bononienſium & Cordubenſium, omniumque Tabularum conſenſus docet. Toti ergo Europæ, Africæ, Americæ, & pleriſque Aſiæ partibus evidenter conſtabit per Lunarem Eclipſim, cum præcedentibus comparatam, juxta Demonſtrationes Ptolemæi Almageſti lib. 3. & 4., Plenilunium verum ac medium in eam noctis partem incidere, quæ pertinet ad initium diei Dominicæ in Meridianis Europæ, Aſiæ, & Africæ; atque in Meridianis Americæ refertur ad ſupremas horas noctis, claudentes diem Sabbati, & aperientes Dominicam.

AXIOMATA.

Axioma I. *Dies Plenilunii medii, quando oppoſitio media non accidat poſt horas octodecim à media nocte, ſed in aliquo ex tribus diei quadrantibus, qui præcedunt, ſcilicet à media nocte ad veſperam ſubſequentem per horas* 18., *legitimè vocanda eſt dies decimaquinta Lunæ.*

Axioma deducitur ex tribus illis aſſumptis, ſive hypotheſibus, à Congregatione Kalendarii ſub Gregorio XIII. conſtitutis omnium conſenſu tamquam legibus, & criteriis, ad quæ exigi debeant Cycli impoſterum proponendi. Earum hypotheſum partem edidimus ſupra pag.xvj. in ſolutione problematis: hic veró ex integro repetemus. Præmittere tamen liceat teſtimonium unum, aut alterum explicatione indigens apud Reu. P. Clavium in expoſitione Kalendarii Gregoriani Cap. XVIII. num.2., ubi hæc leguntur pagina 380. editionis Romanæ. „ Cùm igitur Paſcha celebrari debeat neceſſarió die Dominico, qui proximè Lu„ nam XIIII. primi menſis inſequitur, atque adeo in ipſa Luna XV., ſi tunc ſit „ Dominicus dies; exponendum jam eſt, quænam ſit illa XIIII. Luna, & quo „ pacto ſecundum antiquiſſimum Eccleſiæ uſum inveſtiganda ſit in Kalendario: „ ne in tanta celebritate error aut diſſenſio ulla oriatur. Neque enim deſunt hoc „ tempore qui non rectè hac de re ſentiant. Opinantur nonnulli, Lunam XIIII. „ eſſe ipſum diem oppoſitionis Solis, ac Lunæ. Verùm hi toto (quod ajunt) „ Cœlo aberrant. Nam cùm Paſcha in Plenilunio celebrari poſſit, ut uſus Ec„ cleſiæ docet, & Patrum, Conciliorumque decreta, quod ſupra oſtendimus; „ cautum veró ſit ab eiſdem, ne umquam Paſcha die XIIII., ſed ſemper poſt „ eam celebretur: quis tam cęcus eſt, qui non videat, præter paucos iſtos, qui „ tamen hoc in negocio haberi volunt lyncei, idem non eſſe Lunam XIIII. & Ple„ nilunium? Lege diligenter, quæ cap.1. num.7. ſcripſimus: ubi plures auctores „ & graves & doctos, tam antiquos, quàm recentes adduximus, qui apertè Pleni„ lunium appellant Lunam XV., non autem XIIII. Hæc ibi Clavius, diſertè aſſerens, diem Plenilunii habendam eſſe XV. non veró XIIII. Lunæ. Vide, quæ ſupra obſervavimus Appendice altera pag.xxiv. & ſequentibus.

Verum quidem eſt, eodem loco alia ſubdi ab ipſomet Clavio: quæ turbant paulìſper præcedentia: ſed perſpicuè confirmata univerſa forent, atque diſtincta invicem, ſi hypotheſes illas protuliſſet, à Congregatione Kalendarii approbatas. Ait enim: „ Alii concedentes, Paſcha celebrari poſſe Luna XV., ſive in Plenilu„ nio, propter uſum Eccleſiæ perpetuum, & teſtimonia, à nobis cap.1., prolata, „ nimis pertinaciter affirmant, Lunam XIIII. eſſe eum diem, qui oppoſitionem ve„ ram proximè antecedit. Sed ne hoc quidem verum eſt; cùm Eccleſia veros mo„ tus nunquam conſideret, imó nec medios, ſed Cyclos tantùm, ut cap.4. abun„ dè copioſèque demonſtravimus. Profectó, ſi hæc ſententia eſſet vera, actum „ foret de omnibus Cyclis; cum nullus reperiri poſſit, ut poſtea dicemus, qui ita „ in Kalendario diſponatur, ut ejus Lunæ XIIII. uno die *veram* oppoſitionem, „ vel etiam *mediam* ſemper perveniant.

Plura hic affirmat P. Clavius: quorum aliqua concedenda, aliqua neganda eſſe puto. Affirmat, Eccleſiam non conſiderare motus *veros*, ita ut dies, quæ oppoſitionem *veram* proximè antecedit, non ſit pertinaciter habenda XIIII. Id tranſmitto lubens, ne tricari videar, potiſſimè circa Solem: in quo tamen potiùs dicerem, Eccleſiam conſiderare ſimul & veros & medios motus, quàm neutros attendere. Cauſa enim corrigendorum Cyclorum ea ſemper in Eccleſia fuit, quód Cyclares numeri ritè non accederent ad medios, aut veros motus. Sed hoc traſmittamus. Partem aliam propoſitionis conſtanter nego: qua ipſe in conſideratione Lunæ excludit cum *veris* motibus etiam *medios*. Dico, Eccleſiam in Luna ita conſiderare motus medios, ut ex Sententia Gregorianæ Congregationis, dies, quæ præcedit proximè oppoſitionem mediam, incidentem in tres priores diei civilis & Eccleſiaſticæ quadrantes, haberi jure debeat XIIII.: quemadmodum antiquitùs ita obſervavit medios in Novilunio, ut poſt Decretum Nicænæ Synodi, non eſſet tantummodo deducenda ætas Lunæ ex parapegmate

vulgaris

vulgaris Cycli, ſed diligenter conferenda cum legibus Aſtronomicis per Alexandrinos Præſules in Metropoli omnium Romani Orbis ſcientiſſima: atque ita Cyclus ſerviret, ac duceretur ab illa ratione mediorum motuum, quam Theophilus, & S. Cyrillus diligenti computatione per certos numeros duxerant iis legibus, quæ ſupra indicabantur à nobis in Appendice altera ad ſolutionem Problematis. Quare apud Bedam lib.2. hiſt. Eccleſiaſticæ cap.19., productum in recenſione, ſeu notis ad Epiſt. Romani Cleri ad Clerum Hebernicum, ſiue Hibernicum, quæ IX. eſt in Sylloge veterum Epiſtolarum Hibernicarum, antiquum decretum legitur, præfixo nomine Vitalini (haud dubie Vitaliani) Papæ: in quo Paſchatis ordinandi ratio exigitur poſt Nicænas regulas juxta *computum* Sancti Cyrilli, & Dionyſii; *computum* inquam, non vulgaris numeri in civili anni parapegmate forte proſtantis, ſed ejus numeri, qui ad computum eſſet exactus per eoſdem Alexandrinos Antiſtites, demandata ſibi à Nicænis Patribus cura: poſt quam curam Romani deinde Pontifices, totius Eccleſiæ Catholicæ Epiſcopi, univerſis fidelibus obſervandum proponerent. Verba decreti ſunt. „ Nunquam enim celebrare (*debemus*) Sanctum Paſcha, niſi ſecundum Catholi- „ cam, & Apoſtolicam Fidem, ut in toto Orbe celebratur à Chriſtiana plebe; „ ideſt ſecundum Apoſtolicam regulam CCCXVIII. Sanctorum Patrum, ac Com- „ putum Sancti Cyrilli & Dionyſii. Obſervavit igitur Eccleſia medios Lunæ motus ad Paſchales Cyclos corrigendos poſt Nicænam Synodum. Obſervavit in Gregoriana emendatione Kalendarii: in qua ſi judicatum fuiſſet, nullam rationem mediorum, aut verorum motuum habendam eſſe, ſed tantum Cyclaris numeri; non erat cur de correctione quidquam meditarentur Concilia, Conſtantienſe præſertim, ac Lateranenſe, Summique Pontifices, & inprimis ipſe Gregorius XIII., eorundem ſententiam ſequuti; cùm Paſchata nunquam recederent à Cyclaribus numeris, ſed tantùm ab iis, qui deſcendunt ex veris, ac mediis motibus Luminarium. Verùm, quæ ſit habenda ratio mediorum Lunæ motuum in Paſchalibus Cyclis, nitidè explicuerunt hypotheſi ſecunda & tertia Mathematici Gregoriani; quos inter Clavii nomen legitur, Auctoris manu ſignatum, Hypoth. ſecunda *Si Plenilunium in aliquo ex primis tribus diei quadrantibus eſſe contingat; in eandem diem incidere dicatur. Si verò in poſtremo quadrante id accidat; ſequentis diei eſſe intelligatur*. Et hypoth. tertia, ubi definitur Luna XIIII., hæc habentur. *Hujuſmodi autem Luna* (XIIII.) *proximè antecedit Plenilunium ſive Lunam* XV.

Rurſus negandum eſſe puto quod P. Clavius affirmat, & infert, dicens: „ *Si hæc* „ *Sententia eſſet vera, actum foret de omnibus Cyclis; cùm nullus reperiri poſſit, ut* „ *poſtea dicemus, qui ita in Kalendario diſponatur, ut ejus Lunæ XIIII. uno die ve-* „ *ram oppoſitionem, vel etiam mediam ſemper præveniant*. Si de Luna Paſchali quæritur, cujus gratia Cycli ordinantur; pace tanti Viri dixerim, hoc ab ipſo nimis confidenter aſſumptum; cùm nihil ejuſmodi occurrat in Bulla Gregoriana, ſive etiam in Canonibus à Gregorio editis cum Kalendario. Dixerat quidem Gregorius Canone ſecundo, *Nullum Cyclum Lunarem poſſe ad unguem reſpondere calculo Aſtronomico* (quod verè dictum fatemur) ſed nunquam dixerat id, quod Clavius ait: *nullum Cyclum Lunarem poſſe ita diſponi in Kalendario, ut ejus Lunæ XIIII. uno die veram oppoſitionem, vel etiam mediam ſemper præveniant*. Hoc poſtremum à Clavio dictum, ſaltem de Luna Paſchali negabo. Illud primum aſſeram cum Gregorio; qui veluti explicans ait: *idcircò majorem rationem habendam eſſe Lunæ XIIII., vel Plenilunii, quàm Novilunii propter celebrationem Paſchæ*. Rurſus Congregatio Kalendarii ſub Gregorio, diſcrepantiam veluti indigitans, quæ inter numeros Cycli & medios motus evitari non poteſt, ſaltem in Luna Paſchali, ad horas aliquot, non ad ſolidas dies extendit. Ait enim de locis conjunctionis & oppoſitionis Luminarium in Cyclo aſſignatis, cum referantur ad ipſas conjunctiones & oppoſitiones, *ab ipſis diſcrepent aliquot horas neceſſe eſt*. Operæ pretium facturus eſſe videor, ſi partem aliquam exiguam eorumdem decretorum produxero, à Congregatione firmatam omnium conſenſu die 14. Septembris anno 1580., cum univerſis tamen hypotheſibus: quas Gre-

gorius XIII. in Canone ſecundo, cum Bulla Kalendarii edito, afferendas eſſe promiſit in libro novæ rationis reſtituendi Kalendarii Romani. Ita enim concluſit §. *Quod ſi quando &c. Sed de his plura in libro novæ rationis reſtituendi Kalendarii Romani: ubi etiam hypotheſes, quæ in hac correctione Kalendari aſſumptæ ſunt, in medium afferentur*. Promiſſas à Gregorio Hypotheſes dabo: quæ in Vaticana Bibliotheca aſſervantur. Hæc iiſdem præmiſſa lego.

„ De recta examinandorum Cyclorum ratione

„ Cycli Lunares in Kalendario ad Sacrum diem Feſtum Paſchatis perpetuó inveniendum, conſtitui ſine errore nequeunt; propterea quod non ad veros Luminarium motus, qui inæquales ſunt, accommodari poſſunt; ſed tantùm diriguntur ad normam illorum motuum, quos Aſtronomi ſibi aſſumunt æquales, vocantque medios motus, quaſi ſolos idoneos ad inquirendum veros motus. Accedit etiam, quod cum Lunaris menſis XXIX dies, & horas 12., minutaſque aliquot horæ particulas contineat; minorque ſit Lunaris anno Solari diebus ferè XI., fieri non poteſt, ut Solaribus menſibus in ipſo Kalendario diſtributis Lunares aptentur menſes inter ſe æquales, verum alii XXX., alii XXIX. dierum ſibi invicem ſuccedentes continuato ferè ordine collocantur. Ex XI. autem diedus, quibus Solaris annus Lunarem ſuperat, interdum binis, interdum ternis quibuſque annis unus conficitur menſis, qui Lunari anno interjectus appellatur Emboliſmicus. Hæc veró ſic inter ſe componi nequeunt, ut loca conjunctionis & oppoſitionis Luminarium in Cyclo aſſignatæ, Noviluniis, Pleniluniiſque mediis ex amuſſi reſpondeant; quin ſæpe numero ab ipſis diſcrepent aliquot horas neceſſe eſt.

„ Quum igitur duorum, vel plurium inter ſe Cyclorum rationem expendere volumus, ea tantùm regula utendum eſt; *Ut Cyclus qui ad ipſius medii motus numerum propriùs accedit; is minora contineat errata, idemque præ ceteris ſit eligendus*. Ad id autem judicandum has hypotheſes aſſumere oportet.

HYPOTHESES.

I. Dies, qui XXIIII. horis finitur, juxta veterem Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ „ conſuetudinem à media nocte incipiat, ac doctrinæ cauſa in quatuor (ut olim „ apud Hebræos) dividatur partes, ſive quadrantes: quorum quiſque ſex horas „ complectitur.

II. Si Plenilunium in aliquo ex tribus primis diei quadrantibus eſſe contingat, in „ eandem diem incidere dicatur. Si veró in poſtremo quadrante id accidat, ſequentis diei eſſe intelligatur. In Novilunio autem ratio tam exquiſita non eſt „ exigenda.

III. Sacri Concilii Nicæni decreto ſtatutum eſt, ut die Dominico qui proximè ſuccedit Lunæ XIIII. primi menſis, Paſcha celebretur. Is veró apud Hæbræos vocatur primus menſis, cujus Luna XIIII. vel attingit, vel propriùs ſequitur Vernum Æquinoctium. Hujuſmodi autem Luna proximè antecedit Plenilunium, ſive Lunam XV. Ex his perpicuum eſt, Paſcha, niſi intra XV. & XXI. Lunam primi menſis, ritè celebrari non poſſe.

IV. Quoniam autem veterum, ac recentiorum obſervatione compertum eſt, Æquinoctia intra aliquot annorum intervalla integrum diem anticipare, neceſſarium omninó eſt, duorum dierum numero Vernum Æquinoctium concludi, nempe XX., & XXI. die Martii; ita ut n Æquinoctii anteceſſione, ſi Luna XIIII. quandoque incidat in XX. diem Martii, & ad primum menſem attinere quoque dicatur; ante tamen XXII. diem Martii Paſcha celebrari nequaquam debeat.

V. In Paſchatis celebratione minus erratum eſt, ſi in ſecundo menſe, quàm ſi in duodecimo menſe dies Feſtus celebretur: quoniam in ſecundo menſe lex Moyſis id fieri aliquando permittebat; duodecimo autem menſe nunquam.

VI. In XIIII. Luna propter Quartadecimanorum hæreſim omninó prohibetur Paſchatis celebratio; idcircó majus erratum eſt, ſi in XIIII., quà ſi poſt XXI. Lunam dies Feſtus hujuſmodi agatur.

I. Si

I. Si igitur erratum committitur in Cyclo: deterius eſt, ſi locus conjunctionis,
„ atque oppoſitionis Luminarium antecedat, quàm ſi conſequatur Novilunia,
„ ac Plenilunia media.

Hiſce hypotheſibus præmiſſis, omniumque ſuffragio comprobatis, alia deinde ſequuntur decreta, nempe:

„ Cyclum Epactarum Cyclis omnibus, qui ad hunc uſque diem editi ſunt, ante-
„ cellere exiſtimamus; cum inter ceteros ſolus ſit perennnis, adhibita interdum
„ æquatione, ut in explicatione Kalendarii declaratur. Quocirca niſi alius Cy-
„ clus perennis inveniatur, qui Novilunia, Pleniluniaque veriùs oſtendat; is
„ Summi Pontificis decreto pro correctione Kalendarii promulgandus eſt.

„ Æquinoctium Vernum reducendum eſt ad diem XXI. Martii, ubi nimirum con-
„ tingebat tempore Concilii Niceni &c.

„ Quo dies Feſtus Paſchatis ritè celebretur, nimirum poſt XIIII. Lunam, non au-
„ tem in ipſa XIIII. Luna, aut ante; Epactæ in Kalendario, quæ in locum Au-
„ rei numeri ſuccedunt, ita diſpoſitæ ſunt, ut Plenilunium, ſeu dies XV. Lunæ
„ in Kalendario potius ſequatur, quàm antecedat Plenilunium medium Aſtro-
„ nomicum juxta hypotheſes paulo ante conſcriptas, & à nobis omnium cal-
„ culis receptas, & aſſumptas: quæ examuſſim debent obſervari.

„ Jam veró ſecundum has hypotheſes examinavimus Epactarum Cyclum ad Ple-
„ niluniorum Paſchalium inventionem per annos ferè 3000. Cyclumque rectè
„ indicare hujuſmodi Plenilunia invenimus. Nunc tantùm ſupereſt, ut propter
„ Martyrologium perpendantur Novilunia aliorum menſium, ſaltem ad 1000.
„ annos. Id quod jam cœptum eſt, & intra paucos dies, Deo dante, finietur.

Si quis nouus perennis Cyclus à quopiam proponatur, ille per eaſdem hypothe-
„ ſes diligenter examinandus eſt: qui ſi Cyclo Epactarum verior aptiorque fue-
„ rit, eum ipſi Epactarum Cyclo anteferendum exiſtimamus.

Hæc mihi viſa ſunt memoratu digniora, quæ tranſcriberem, ad hujus Axiomatis declarationem ſimul, & auctoritatem aſſerendam, ex opuſculo in Vaticana Bibliotheca aſſervato, cui præfigitur titulus: *Ratio corrigendi Faſtos confirmata; & nomina omnium, qui ad Kalendarii correctionem delecti ſunt, oblata Sanctiſſimo Domino Noſtro Gregorio XIII.* poſtquam die XIIII. Septembris anni 1580., nempe triennio poſt Lilianum Syſtema Epactarum ad Principes & Academias tranſmiſſum, Octo Viri dignitate ac ſcientia præſtantes infra numerandi convenerant, & ſubſcriptione ſua conſtitutas hypotheſes firmaverant, earumque criterio non modó exploraverant Epactas Lilianas, verùm etiam Paſchata juxta hypotheſium ductum exegerant ad annos termille: nempe ad eum terminum, quem Paulus de Middelburgo in celeberrima ſua Paulina pridem elegerat, licet ſecundis curis alii fortaſſe aliter Pauli computum longiùs producere dum volunt, malè luxaverint.

Hiſce legibus obtemperans Auctor Cycli Octagrammi, majorem rationem habendam eſſe XIIII. & Plenilunii, quàm Novilunii affirmavit in primæ Appendicis reſponſione ad dubium primum: eaſque leges in Cycli expanſione conſtanter à ſe obſervatas fuiſſe profitetur. Affirmat veró etiam cum Gregorio XIII., *nullum Cyclum Lunarem reſpondere poſſe ad unguem calculo Aſtronomico*; nam & ipſe agnoſcit per unam aut alteram horam eſſe aliquando laxiùs accipiendam extenſionem diei Lunæ ultra vel citra Meridianum Romanum, etiam in XIIII. & Plenilunio ita conſtituto: quod ipſum eſſe videtur, non poſſe *ad unguem* calculo Aſtronomico reſpondere uti alios Cyclos, ita etiam Cyclum Epactarum. Affirmat inſuper cum Sententia Gregorianæ Congregationis, eſſe reliquis Cyclis præferendum Cyclum Epactarum, *adhibita*, ut Congregatio neceſſarium cenſuit, *interdum æquatione*. Harum æquationum methodum à ſe productam digeſſit ipſe in Cyclum Octagrammum: cujus propterea acceſſione non modó nihil deperit Cyclo Epactarum, à Congregatione primùm, deinde à Gregorio reliquis prælato; verùm & illa ſe putat addidiſſe, quæ in Epactarum Cyclo deſideraverant Octo illi Viri & ipſe Gregorius, nempe ut ab omnibus ac ſingulis indictionibus Paſchæ citra vel ultra XV. & XXI. Lunam liberaretur: &

neceſ-

neceſſitas attingendi quidpiam ætatis Lunæ extra hoſce terminos utiles Paſchati, ultra horam unam, aut alteram (idque raró admodum) non excurreret iis in Lunationibus, quæ Paſcha transferrent.

Non ergo ſequitur ex hac diligentia ſectandi medios motus, *actum fore de quolibet Cyclo Lunari*, ut intulit P. Clavius: cujus, licet egregii Auctoris, computus, aut rationes, me nondum retrahunt ab affirmando: *Poſſe aliquem Cyclum Lunarem per numeros Epactarum ita diſponi in Kalendario, ut eius Lunæ XIIII. uno die, non equidem VERAM, quam Eccleſia exactè non ſequitur*, ſed *MEDIAM oppoſitionem juxta Congregationis Gregorianæ hypotheſes, unius vel alterius horæ ampliationem non reſpuentes, ſemper præveniant*. Quin illud à Mathematicis petam, ut ex hujuſmodi hypotheſibus, per Gregorianos Canones indicatis, propoſitum Cyclum Octagrammum, & ſingula ejus Paſchata diligenter explorent.

Ratum itaque ſit hoc in Axiomate, confirmato per hypotheſes Congregationis Gregorianæ, *habendam eſſe legitimè Lunam XV. ſeu diem Plenilunii eam diem Eccleſiaſticam, cujus in aliquam horam ex octodecim primis à media nocte numeratis (quæ tres priores diei Eccleſiaſticæ ac civilis quadrantes conſtituunt), incidat punctum Novilunii medii: & Lunam XIIII. jure habendam eſſe eam diem Eccleſiaſticam ac civilem, quæ Lunæ XV. ſive Plenilunio ita incidenti proximè præcedat in Kalendario.*

AXIOMA II. *Si dies Quintadecima Lunæ menſis primi, ſeu dies Plenilunii ita explicata, incidat in diem Dominicam; eadem die celebrari Paſcha debet, neque differri poteſt ritè ad Dominicam ſubſequentem.* Axioma colligitur ex præcedentibus regulis, præcipuè veró ex decretis Gregorianæ Congregationis antea recenſitis, inter quæ legitur: *Ex his perſpicuum eſt, Paſcha niſi intra XV. & XXI. Lunam primi menſis ritè celebrari non poſſe.* Hoc veró traditum omnes norunt à Sacroſancta Nicæna Synodo, jubente (uti Gregorius in Bulla, & Canone ſexto Kalendarii aſſerit) primum quemque diem Dominicum, qui proximè ſequitur Lunam XIIII. primi menſis, habendum eſſe Paſchalem. Hiſce *Datis & Axiomatibus* præmiſſis, ita procedendum puto ad examen Paſchatis, anno 1707. à vulgaribus Tabulis enunciati ad diem 24. Aprilis.

PROPOSITIO PRIMA.

Paſcha anni 1707. indici deberet juxta regulas præcedentes ad diem 17. Aprilis in Kalendario Gregoriano.

DEMONSTRATIO. Dies 17. Aprilis anni 1707. Stylo Gregoriano eſt dies Dominica ſeu princeps in hebdomada, & ſimul eſt dies XV. Lunæ menſis primi, quæ proximè ſequitur diem XIIII. Lunæ, legitimè numeratam juxta regulas præcedentes. Nam dies 17. Aprilis eſt ea, quæ primo ſui quadrante continet Plenilunium tum MEDIUM, tum VERUM: primo inquam ſui quadrante, ſive horis ſex prioribus, à media nocte fluentibus, juxta numerationem indicatam à Congregatione Gregoriana in hypotheſibus prima, ſecunda, ac tertia. Igitur ex prædictis Decretis, ex Bulla Gregorii, & ex Nicænis legibus eadem dies Dominica XVII. Aprilis habenda eſſet XV. Lunæ, ac dies Paſchalis.

Porró Plenilunium medium cadere intra horas illas ſex poſt mediam noctem Romæ, demonſtrant, uti diximus in *dato primo*, omnes Tabulæ Aſtronomorum: juxta quas etiam P. Clavius, Epiſcopum Foroſempronienſem ſequutus, rectè indicat pagina 424. editionis Romanæ Plenilunium medium hora 15. poſt meridiem diei Sabbati 16. Aprilis ad meridianum Urbis.

Plenilunium *Medium & Verum* cadere intra eaſdem ſex horas demonſtrat Eclipſis totalis Lunæ, eodem tempore obſervanda juxta omnium Aſtronomorum calculos: quæ ſi comparetur cum duabus aliis (puta cum iis, quæ hoc anno 1703. ſpectatæ jam ſunt diebus 2. Januarii, & 28. Junii more Aſtronomico) per Theoremata, & Problemata, à Ptolemæo demonſtrata in libris Almageſti, potiſſimè lib.4. cap.6. oſtendit evidenter, uti diximus *Dato ſecundo*, non

tantùm,

tantùm, motus *veros*, ſed etiam *medios*: ad quos Eccleſia Cyclos ſuos exigit, cum Paſchale feſtum ritè indicari curat per Cyclos juxta Nicænam & Gregorianam ordinationem.

PROPOSITIO SECVNDA.

Paſcha anni 1707. indici deberet die 17. Aprilis Gregoriano juxta ſententiam Auctorum præſtantiorum, qui emendationem Kalendarii promoverunt.

DEMONSTRATIO. Paulus de Middelburgo Epiſcopus Foroſempronienſis, Auctor Tabularum Lunarium juxta motus medios, quas meritó ſequutus eſt P. Clavius, annum 1707. ita diſponit ſub anno primario 1555., ut ordinem ſecundum Cycli Methonici annorum 76. ab illo teneat: hoc eſt: annus 1707. in ſerie Juliana revehit Novilunia horis XI. minutis 44. ſecundis 26. ante horam Noviluniorum anni 1555. à quo diſtat per annos 152., ſive per duplicem Cyclum Methonicum. Cùm igitur ex Pauli ſententia Novilunium medium Paſchale anni 1555. conſignatum fuerit die 22. Martii Juliani hora 9. minut.11. ſec.57. poſt Meridiem; neceſſarium eſt, Novilunium medium Paſchale anni 1707. juxta eundem Auctorem referri ad horas 21. minut.27. ſec.31. poſt Meridiem diei 21. Martii ſtylo Juliano. Cui ſi addatur tempus dimidiæ Lunationis, nempe dies 14. horæ 18. min.22. ſec.1.; provenit tempus oppoſitionis mediæ horis 15. min.49. 32. poſt Meridiem diei 5.: quæ ſunt horæ 3. m.49. 32. poſt mediam noctem, unde incipiet dies 6. Aprilis in Kalendario Juliano, quæ in Gregoriano dicetur 17. At Epiſcopus Foroſempronienſis ita ſupputans, eadem quoque die 6. Aprilis ſtylo veteri, quæ erit 17. ſtylo novo, ſtatuit juxta decreta Patrum eſſe Paſcha noſtrum legitimè celebrandum, uti diſertè ſcribit libro duodecimo ſuæ Paulinæ, inter alia Paſchata ſingulorum annorum, quæ ad annum Chriſti termilleſimum computavit. Igitur ejuſdem ſuffragio indicendum eſſet Paſcha in Kalendario Gregoriano ad diem Aprilis XVII., quæ ipſiſſima dies eſt 6. Aprilis ſtylo Juliano.

Præterea Aloyſius Lilius in Compendio Kalendarii, quod Gregorius XIII. anno 1577. ad Principes & Academias præcipuas tranſmiſit, unde etiam recepit laudibus cumulatum, & præferendum eſſe reliquis ex omnium ferme ſententia cenſuit, ad annum 1707. notavit Epactam XXVII.: quæ indicat Novilunium Paſchale die 2. Aprilis, & XIIII. Paſchalem exhibet 16. Aprilis Sabbato, adeoque Paſcha refert ad diem ſequentem 17. Aprilis: motibus mediis ſimul ac veris per conſpicuam Eclipſim in Cælo ſuffragantibus.

Denique Octo illi Viri, dignitate, ac ſcientia præſtantes, à Gregorio delecti ad curandum Kalendarium, nempe *Gulielmus Card. Sirletus*, *Ignatius Patriarcha Antiochenus*, *Vincentius Laureus Epiſcopus Montis Regalis*, *Seraphinus Olivarius Auditor Rotæ*, *P. Chriſtophorus Clavius*, *Petrus Ciacconius*, *Antonius Lilius Aloyſii frater*, *& F. Ignatius Dantes*, ſubſcripti in decretis, omnium conſenſu firmatis anno 1580. die 14. Septembris, in Hypotheſibus, quas aſſumendas cenſuerunt ad judicandum de præſtantia plurium Cyclorum, conſtituunt præferendum eſſe Cyclum, qui velit diem Plenilunii medii habendam eſſe Paſchalem, quoties Plenilunium medium incidat in primum, ſecundum, aut tertium quadrantem diei Dominicæ; tunc enim Sabbatum præcedens eſt dies legitima XIIII. Iidem negant, ultra Lunam XXI. poſſe Paſcha ritè produci. Atqui, ſi anno 1707. Paſcha indiceretur die 24. Aprilis, uti ferunt vulgares Tabulæ, non veró die 17., uti ex potiori Cyclo, & ex Pauli, ac Lilii ſententia contendimus, Paſcha excurreret ad Lunam XXII.; quin etiam attingeret complures horas Lunæ XXIII. (quod S. Innocentius I. in Epiſtola ad Aurelium tantopere averſabatur, ut pote nullis majorum exemplis probatum) uti facilè demonſtrari poſſet ex calculo; nam ſolida dies XXII. à jugo medio Lunæ Paſchalis

deſinet

deſinet in horam 9. poſt illam mediam noctem, unde auſpicanda erit dies Dominica 24. Aprilis: cujus propterea horæ 15. pertinent ad Lunam XXIII. Igitur ex Auctorum præſtantiorum ſententia, qui Kalendarii emendationem promoverunt, conſtat, indicendum fore Chriſtianum Paſcha anno 1707. non ad diem 24., ut communes Tabulæ ferunt, ſed ad diem 17. Aprilis.

Eodem planè examine, quo expendebamus Paſcha proximum anni 1707., poterunt Mathematici, quos conſulit Auctor Cycli Octagrammi, etiam reliqua comparare, tum XX. labentis ſæculi, tum alia plurima totius Periodi annorum 1184.: ut expenſis ſingulis, in quibus eſt diſcrepantia Cycli à vulgaribus Tabulis, indicare liberè poſſint, utra illis ordinatio præſtantior, & quotiès alterutra peccare in regulas videatur..

Interim Auctor exhibet ſchema Eclipſeos Lunaris, ejuſque Epilogiſmum è propriis Tabulis collectum in Plenilunio Paſchali, quod expectamus anno 1707.: ut maturè unuſquiſque poſſit oculorum, ac mentis aciem intendere ad *veros* ſimul, ac *medios* motus Luminarium, hac in oppoſitione conſpicuos: per quam *Luna perfecta in æternum*, ut ſacræ loquuntur paginæ, tum divinorum Chriſti Sacramentorum, tum legitimi temporis ad eadem in Paſchate celebranda ſit *teſtis in Cœlo fidelis*.

Supputatio iſta præ ceteris evadit facilior, quód tempus medium cum vero concurrat, & medio Eclipſeos tempore tam nodi, quàm Luminaria ſint in eodem gradu, ac ferme in eodem Eclipticæ minuto; cum ſeſquialtero tantùm minuto diſtent nodi à centris Luminarium oppoſitis. Rationes initæ ſunt ad Meridianum Romanum.

Supputatio Solis.

	Elongatio Solis ab ♈ S. G. M. S.		Agogæum Solis ab ♈ S. G. M. S.	
Anno 1700. completo	9. 10. 50. 44		3. 8. 7. 30	
Annis 6. completis	11. 29. 33. 11		6. 9	
Martio completo	2. 28. 42. 30		15	
Diebus 15. completis	14. 47. 5		3	
Horis 14. completis	34. 30	Summa	3. 8. 13. 57	Subtrahenda
Minutis 11 $\frac{1}{5}$ horariis	28	Ex	12. 24. 28. 28	Loco Solis medio.
Locus Solis medius	0. 24. 28. 28	Prodit	9. 16. 14. 31	Anomalia Solis media.
Adde æquationem centri	1. 50. 16	Cui debetur	1. 50. 16	Æquatio centri add.
Locus Solis verus ♈	26. 18. 44		9. 18. 4. 47	Anom. Solis æquata.

Supputatio Lunæ.

	Luna ab ♈ S. G. M. S	Apogæum Lunæ ab ♈ S. G. M. S.		Nodus aſc. ab ♈ S. G. M. S.	
Anno 1700. completo	6. 3. 7. 48	11. 6. 53. 32		4. 27. 8. 57	
Annis 6. completis	2. 9. 28. 40	8. 4. 5. 55		3. 26. 1. 54	
Martio completo	3. 15. 52. 32	10. 1. 37		4. 45. 59	
Diebus 15. completis	6. 17. 38. 45	1. 40. 17		51	
Horis 14. completis	7. 41. 10	3. 54		2	
Minutis 11. horariis	6. 3	3	Summa	4. 0. 48. 46	Subtrahenda.
Secundis 12. horariis	6	0	Ex	4. 27. 8. 57	Radice 1700.
Locus Lunæ medius	18. 23. 55. 4	7. 22. 45. 18	Locus	0. 26. 20. 11.	nodi Aſc.
Subſtrahe Apogæum	7. 22. 45. 18				


Supereſt ☽ anomal. 11. 1. 9. 46. cui debetur 2. 23. 40. æquatio centri ſeu proſtaph. add.
addenda loco medio 23. 55. 4. ♎

Locus Lunæ verus gr. 26. 18. 44. ♎ } Oppoſitio vera
Locus Solis verus gr. 26. 18. 44. ♈ }

Hora

Hora igitur 14. cum minutis 11. ſec.12. poſt Meridiem Sabbati 16. Aprilis anni 1707. Æræ Chriſti vulgaris ad merid. Romanum Sol & Luna juxta motus veros opponuntur in gr.26. 18. 44. ♈ & ♎. Nodus Aſc. in gr.26. 20. 11. ♈ Anomalia Lunæ ſign.11. gr.1. m.9. ſec.46. Ejus diameter horiz. 29. 45. Sol ab Apog. ſign.9. gr.16. m.15. Ejus diameter 32. 0. Motus horarius Solis 2. 26. Lunæ horarius verus 30. 9. & à Sole 27. 43. Parallaxis horiz. Lunæ, ſeu terræ ſemidiam. 54. 30. Semid. Solis 16. 0. umbræ ſemid. 38. 30. cum penumbra 40. 0. ſemid. Lunæ 14. 52. Aggregatum ſemidiametrorum 54. 52. Tempus totius durationis Eclipſis hor.3. m.59. ſec.12.

	H.	M.	S.
Erit igitur initium	12.	11.	35.
Totalis immerſio	13.	15.	
Medium Eclipſis	14.	11.	12.
Initium emerſionis	15.	6.	
Totalis emerſio ſeu finis Eclipſeos	16.	10.	47.



Hæc de proximo Paſchate anni 1707. exempli cauſa proponere contueram. Si quis veró cupiat conferre invicem reliqua Paſchata labentis Sæculi, quibus diſcrepant communes Tabulæ à Cyclo Octagrammo; exploret annos ra notatos: quos hic ſingillatim referre placet, ut faciliùs obſervari poſſint à Mhematicis.

Sæculo ſecundo Cycli Octagrammi, nempe eo, quod labitur ab aD 1700. ad 1799., in Paſchate indicendo communes Tabulæ differunt à Paſate ejuſdem Cycli ſpatio unius hebdomadæ ad annos 1700. 3. 7. *10. 204. 27. 34. 44. 47. 54. 74. 78. 81. 98. : & ſpatio unius Lunationis entiunt annis 4. 23. 42. 61. 80. 99. Ex his annus * 10. aſteriſco notatusdicat, utrolibet modo Paſcha legitimè poſſe celebrari, quia diſcrepantia ucorum minutorum ancipitem reddit uſum hypotheſeos Congregationis egorianæ in Luna XIIII. vel Plenilunio tribuendo diei Dominicæ 13. April

Advertendum veró eſt in examine Tabularum communium, nm rationem haberi à nobis illorum annorum, in quibus numeratio Epactommunis lo-

co

co quidem movet quartamdecimam Paſchalem, in aliam diem transferens ab ea, quæ illi deberetur juxta hypotheſes Gregorianæ Congregationis: ſed legitimum Paſchatis diem idcircò non turbat. Si ratio iſtorum habenda foret; ex centum Epactis totidem annorum labentis Sæculi, totæ 95. eſſent notandæ tamquam repugnantes hypotheſi ſecundæ Gregorianorum VIII. Virùm; & quinque tantùm anni, quartaſdecimas Paſchales legitimè exhibentes, declarandi eſſent ab errore immunes, nempe anni 11. 31. 50. 71. 87. Verùm quartædecimæ Cyclares, quæ Paſcha non vitiant (cui rectè ordinando Epactæ ac Cycli deſerviunt) culpandæ non videntur, etiamſi aliquot horis diſſideant à ſecunda hypotheſi Gregoriana, nulla cum Paſchatis jactura. Quemadmodum igitur vitio id non vertimus vulgaribus Epactis; ita nolim Cyclo Octagrammo litem quis intentet, ſicubi negligat horas nonnullas aliquot annis, quibus nihil Paſcha mutatur, utrolibet modo numeret. Hoc enim in ſolutione Problematis profeſſus eſt Auctor, *Poſſe Cyclum Octagrammum diſponi ex annis Gregorianis, qui Paſcha ſemper indicat tempore congruo, hoc eſt menſe primo intra hebdomadam tertiam Lunæ*. Poſſent etiam anni, qui Paſcha non variant, licet utantur licentiori numeratione decimæquartæ, incidente Plenilunio ultra horas 18. à media nocte, ſingillatim corrigi, & æquari per angulos cellularum, ut Cycli ſtructura declarat. Verùm quæ nihil Paſchati derogant, & cæteroqui rectam Lunæ numerationem inſtituunt juxta morem SS. Patrum, ea non ducimus indigere caſtigatione. Idcircò nec anno 5. hujus Sæculi æquandum eſſe cenſemus numerum Epactæ, aut Literam, quæ decimamquartam diem Lunæ aſſignat diei 7. Aprilis, & XV. ſeu Plenilunium attribuit octavæ menſis ejuſdem, quando Plenilunium medium non ſolis 18. ſed ferme 21. horis poſt mediam noctem committitur ad Meridianum Romanum: atque adeò ex hypotheſibus Gregorianorum Plenilunium referri potius debeat ad diem 9. Utrolibet enim modo numeraveris Plenilunium die 8. vel 9. Paſcha ſemper indicendum eſt ad diem 12. Aprilis. Negligi ergo poteſt horarum trium differentia in termino Plenilunii, quæ nec diſcrepat à Nicænilegibus, nec mutationis quidpiam inducit in Paſchatis diem legitimam, juxta quaſcumque Tabulas ſemper incidentem in XII. Aprilis. Sed ſi quis mallet hanc etiam differentiam tollere, facilè poſſet in angulis cellulæ Literam congruam aſſignare; prout bis in tota Periodo monuimus eſſe præſtandum, quando neceſſitas legitimi Paſchatis poſtulabat.

Auctoris adnotatio ad paginam XXXiij.

Quæ ſupra dixeram pag. xxxiij. *aliquos admonuiſſe de concordia, Græcos inter ac Latinos inita, ex quo Victorius rationem utriuſque praxis mollire, & ad conſenſum veluti adducere viſus fuit, non ita Lector accipiat velim; ut intelligat, illos, aut me affirmare, Victorii Canonem à Græcis, aut à Latinis omnibus concordi ſtudio fuiſse receptum. Demonſtravit pridem P. Bucherius cap. x., Ægyptios, ſive Alexandrinos Victorii Canoni ſemper infenſos; quin etiam oſtendit, Occidentales ipſos, ſeu Latinos non inter ſe minùs quàm Græcis inter fuiſſe commiſſos poſt Victoriani Canonis editionem. Oſtendit quoque Eminentiſſimus Card. Noriſius diſſert. 2. de Cyclo Paſchali Ravennati, etiam Romanos Pontifices, quamvis Cyclo Victorii uterentur, nonſemel de legitimo die Paſchatis dubitaſſe. Non itaque opinantur qui illa monuerunt, neque ipſe affirmare intendo, à Victorii Cyclo dirempta omnia litigia de Paſchate Græcorum ac Latinorum. Hoc tantùm deinde à nobis aſſeri, ex invento ac ſyſtemate Victorii, quo Paſchales Latinorum rationes (ut cum Bucho loquar) utcumque mollitas effingere inſtituit ad enneadecaeteridas Alexandrinas, rudimentum quoddam mutuæ acceſſionis ita fuiſſe profectum, ut perfici ſaltem inter Latinos paulo poſt à Dionyſio potuerit. Quin etiam aſſero, diſſenſionem à Græcis per Victorii Canonem fuiſſe contractam ex menſtrua in hebdomadicam, & ex frequentiori in eam, quæ totis 532. annis bis ac tricies tantùm occurreret, juxta Bucherii calculos cap. 8. Quare etiam Eminentiſſimus Noriſius loco adnotato obſervavit, anno 520., quo Ioannes Patriarcha Conſtantinopolitanus ad Hormiſdæ Romani Pontificis conſultationem reſpondit ſuper dubio Paſchis tunc imminentis, ſolum Victorii Canonem cum Alexandrinis & Græcis in eo Paſchate conſenſiſſe, diſſonantibus reliquis omnibus Cyclis Latinorum.*

Hoc itaque ſenſu ta eſſe intelligant ea, quæ nobis indicata monebamus de concordia, ex Victorii ſtudio olim inita vel inchoata; ut oſtenderemus, nunc etiam conferre plurimum ad conciliandum conſenſum in quartædecimæ putatione, ſi praxis rationes ex Tabulis SS. Patrum, & ex hypotheſibus Gregorianis adducerentur ad poſtremum terminum horarum 24., quibus elapſis nihil de quartadecima ſupereſſe omnes conſentiant.

Errata corrige.

Pag. XLIII. circa m 215188. quibus reſpondet arcus 65. 4. 30.
220512. ——————— 65. 36. 40.
Pag. XLV. verſu grad. 58. 11. 58. & verſ. 35. grad. 58. 12. 55.
Pag. LXIV. verſ. lege: ex libro explicationis lineæ merid. Bononienſis tranſcripſimus Tabulam V. arcuum circuli reſpondentium tangentibus ad centenas & millenas radii partes.
Pag. LXV. verſ. 1. Parallaxium Solis. verſ. 4. Academia, verſ. 8. Gr. M. &c. M. Sec.
0. 0. 0. 0.

DUBIUM
SEU
PROBLEMA
SOLVENDUM.

An diſponi poſsit Cyclus Paſchalis, conſtans annis Gregorianis, qui Paſcha ſemper indìcat tempore congruo, hoc eſt menſe primo, die Dominica intra hebdomadam tertiam Lunæ?

RESPONDEO POSSE.

Demonſtrationis locum obtineat ipſa conſtructio Cycli. Præmittere tamen debemus, quid ſit menſis primus; quid tertia Lunæ hebdomada; imò & unaqueque Lunȩ dies, juxta motus medios computata.

POSTULATUM PRIMUM.

QUOCUMQUE temporis puncto novilunium medium contingat, petimus inde computari, tamquam ab Epocha, initium Novilunii medii: itaùt circulus ille horarius, in quo tunc Sol verſatur, ſit limes & initium numerationis horarum 24., quæ conſtituent ſingulos dies Lunæ juxtà motus medios.

Explicatio poſtulati. Supponamus tempus, quo hæc ſcribo, eſſe diem Kalendarum Januarii, & horam tertiam poſt meridiem, Feriam verò ſextam. Supponamus pariter, hoc temporis momento Solem ac Lunam jungi juxta motus medios. Sol ex ſuppoſitione verſatur in circulo horæ tertiæ pomeridianæ. Vi hujus poſtulati

peto, ut ſpatium temporis horarum 24. nunc incipiens, hoc eſt Kalendis Januarii die Veneris ſeu Feria ſexta, Sole verſante in circulo horæ tertiæ pomeridianæ, & complendum cras die Sabbati, ſecunda Januarii, quando Sol reſtituetur ad eundem circulum horæ tertiæ pomeridianæ, hoc inquam ſpatium horarum 24., hiſce terminis incluſum, dicatur prima dies Lunæ juxta motus medios. Craſtina verò die, ſtatim ac Sol prætergreſſus fuerit eundem circulum horarium horæ tertiæ pomeridianæ, incipiat numerari alia periodus horatum 24., quæ dicatur dies ſecunda Lunæ juxta motus medios, complenda dum Sol attinget poſt meridiem diei Dominicæ ſequentis, (quæ tertia appellabitur dies Januarii) eundem circulum horæ tertiæ: & ita petimus procedi per dies 29. completos, & inſuper per horas 12. minuta 44. ſecunda 3.: quo tempore complebitur integra Lunatio juxta motus medios, Sole verſante in alio circulo horario, unde ſimiliter numerabitur tamquam à nova Epocha unaquæque dies Lunæ ſubſequentis. In hac hypotheſi circulus horarius, in quo abſolveretur primus ille menſis Synodicus Lunæ juxta medios motus, & unde ſubſequens exordium caperet, eſſet circulus definiens horam 15. cum min. 44. & ſecund. 3. poſt meridiem; nam iniret nova Luna horis 15. min. 44. ſec. 3. poſt meridiem diei 29. Januarii, ſiue horis 3. 44. 3. poſt mediam noctem illam, quæ ducebat diem ciuilem 30. Januarii cum Feria VII, ſive Sabbato.

DEFINITIO PRIMA.

Dies prima Lunæ, ita numerata, uti conſtituimus in poſtulato, dicatur *dies prima Lunæ juxta motus medios,* ſive *prima dies media* Lunationis: quod etiam dicendum erit de qualibet alia die lunaris ætatis: adeoque etiam de *quartadecima media*, *decimaquinta media*, *vigeſimaprima media*, *vigeſimaſecunda media &c.* hoc eſt *juxta motus medios*: nempe ut earum Lunæ dierum epocha inchoetur & abſolvatur verſante Sole in circulo horario, in quo contigit Synodus media, ſeu Novilunium juxta motus medios.

DEFINITIO SECUNDA.

Hebdomada prima Lunæ juxta motus medios eſt intervallum temporis fluens à jugo Luminarium medio, ſive ab initio horæ & diei primæ Lunaris juxta motus medios, ita numeratæ, ut in poſtulato præcedenti, & deſinens cum extremo ſeptimæ diei juxta eandem numerationem.

DEFINITIO TERTIA.

Hebdomada ſecunda Lunæ juxta motus medios eſt intervallum temporis æquale priori, ſepties continens horas 24., numerandas à circulo horario Novilunii medii, ut ſupra &c. adeoque ſeptem diebus

bus conſtans proximè ſequentibus primam hebdomadam: itaut hujus hebdomadis ſecundæ exordium capi debeat ab exordio octavæ diei mediæ Lunationis ita numeratæ, & finis habeatur in extremo quartædecimæ ita numeratæ: hoc eſt, ut initium, & finis, ac veluti limes & horizon cujuſcumque diei Lunæ ſit circulus ille horarius, in quo Sol verſabatur tempore Novilunii medii: quem circulum ubi Sol denuò attingit, novum Lunæ diem auſpicatur.

DEFINITIO QUARTA.

Hebdomada tertia Lunæ juxta motus medios eſt interuallum temporis æquale priori, conſtans diebus ſeptem proximè numerandis poſt completam eo, quo diximus, modo Lunæ diem quartamdecimam, quouſque per regreſſum Solis ad eundem circulum horarium compleatur ſimili modo dies 21. Lunæ: unde ſtatim fluere incipiet dies 22. eiuſdem Lunationis juxta motus medios, & cum illa exordium capiet hebdomas quarta Lunæ.

POSTULATUM SECUNDUM.

Hebdomadis Feriæ, & anni dies civiles, juxta receptum Eccleſiæ morem, numerentur à media nocte in mediam noctem ſequentem per Solis regreſſum poſt horas 24. ad inferiorem partem ejuſdem circuli meridiani.

POSTULATUM TERTIUM.

Dies anni Gregoriani, quæ in Cyclo dicenda erit 21. Martii, haberi jure poſſit æquinoctialis.

Explicatio poſtulati. Cum novilunia, & reliquos Lunæ dies computari dixerimus tantummodò per motus medios; Æquinoctialem diem è contra haberi volumus partim per motum Solis medium, partim per verum. Supponimus alibi demonſtratum, non poſſe ità diſponi dies civiles anni Juliani, aut Gregoriani, ut dies quæ nomen obtineat 21. Martii ſemper contineat *Æquinoctium verum*, aut ſemper contineat *Æquinoctium medium*. Supponimus tamen alibi demonſtratum, poſſe ità diſponi annos civiles Gregorianos (ſaltem per aliquem certum Cyclum), ut dies, quæ quotannis dicetur in eo Cyclo 21. Martij, ſemper intra ſuas 24. horas, quibus conſtat, contineat punctum *veri*, aut *medii* Æquinoctij. Hanc diſpoſitionem ſupponentes demonſtratam, poſtulamus, diem 21. Martii Gregoriani haberi jure Æquinoctialem (ſaltem per annos ſingulos Cycli ità diſpoſiti), ſive per Æquinoctium verum; ſive per medium; ſive etiam per utrumque; ſi forte aliquando contingat utrumque Æquinoctium medium, & verum eadem die naturali, uti nunc eadem die naturali contingit ſolſtitium verum, & medium.

POSTULATUM QUARTUM.

Præter decimamquartam diem Lunæ mediam, hoc eſt computatam ex circulo horario novilunii medii juxta primam definitionem, petimus numerari aliam decimamquartam, quæ dicatur Civilis; & aliam, quæ dicatur Cyclaris: quas modò exponemus.

Per poſtulatum ſecundum, anni dies civiles, & hebdomadis Feriæ juxta receptum Eccleſiæ morem numerantur exordio deſumpto à puncto mediæ noctis. Per primum verò poſtulatum dies Lunæ medii non numerantur neceſſario à circulo horario mediæ noctis, ſed à quolibet alio circulo, in quo contingat Solem verſari, dum committitur novilunium medium. Petimus itaque, ut ea Feria, & dies civilis, in cuius partem aliquam incidat finis primæ diei Lunaris juxta motus medios, dicatur *Lunæ die dies prima civilis*: & eodem modo dies illa civilis, & Feria Eccleſiaſtica, in cujus partem aliquam ex 24. horis quibus conſtat, incidit momentum illud temporis, quod complet diem decimamquartam Lunæ juxta motus medios, vocetur dies Lunæ *decimaquarta civilis*: itaùt dies *decimaquarta civilis* non incipiat à circulo horario, unde incipit *decimaquarta media*, ſed incipiat ſemper à media nocte cum initio Feriæ illius, in quam deſinet extrema hora *decimæquartæ mediæ*.

Exemplum erat poſtulati primi, ut ſupponeremus, nunc eſſe Kalendas Ianuarij, & nunc eſſe horam tertiam pomeridianam, & nunc committi novilunium medium, Sole verſante in circulo horæ tertiæ poſt meridiem. Definitione prima conſtituimus, primam diem Lunæ juxta motus medios non cœpiſſe hodie numerari à media nocte præcedenti, neque compleri media nocte ſubſequenti (unde dies civiles, & Feriæ incipiunt) ſed incipere numerari nunc ab hora tertia promeridiana huius diei civilis, quam dicimus Kal. Ianuarij, & extendi per 24. horas ſolidas ad horam tertiam poſt meridiem diei craſtinæ, quæ in hac hypotheſi diceretur ſecunda Januarii. Alitèr verò conſtituimus de prima die Lunæ civili. Hujus initium petimus quidem à media nocte; non tamen ab illa media nocte, quæ hunc diem præceſſit (licet olim Romani, & Ægyptij, & cum iis Patres Alexandrini communem praxim civilis computationis ſequuti ità rectè uſurparent, ut alibi oſtendemus); ſed petimus ejus initium deſumi ab illa media nocte quæ proximè ſequetur hanc diem civilem Kalendarum Januarii, unde incipiet numerari dies ciuilis 2. Januarii: cum qua junctim fluet Lunæ dies prima civilis per horas 24. uſque ad terminum mediæ noctis, quæ claudet diem ſecundam Ianuarij, & aperiet tertiam eiuſdem menſis. Quod diximus de prima die Lunæ civili, intelligi volumus etiam de civili decimaquarta, & de alia quacumque civili die Lunationis: ut ſcilicet habeatur *decimaquarta civilis* illa dies anni civilis, cujus *in aliquam partem incidit* non quidem initium, ſed *finis decimæquartæ mediæ*, computatæ juxta poſtu-

latum

latum primum, & definitiones indè pendentes. Patet ergo, tunc ſolummodo exactè congruere initia, & fines dierum mediorum, & civilium Lunæ, quando novilunium medium committi accidat in puncto mediæ noctis. Quando verò novilunium medium contingit ante punctum mediæ noctis, tunc Patres Alexandrini habuiſſent pro die civili novilunij eam diem, quæ claudebatur per mediam noctem proximè inſecutam punctum novilunii, ex uſu ſcilicet Romano, de quo *Macrobius primo Saturn. cap.3.*, *& Aulus Gellius noct. att. lib.3. cap.2.* Nos verò ex uſu recenti eam diem civilem, qua prima hora novilunii medii cœpit, non dicimus diem novilunii; ſed diem civilem novilunii dicimus eſſe ſequentem, intra cujus horas 24. reperitur hora illa, quæ claudet primam diem mediam Lunæ: adeòque præceſſio tanta hodie non eſt decimæquartæ civilis relatæ ad plenilunii punctum medium, quanta olim fuerat Alexandrinis. Utrique tamen uſui rectæ numerationis ratio conſtat, quia uſui civili tunc reſpondebat initium, nunc verò finis diei mediæ Lunæ, nempe diei juxta motus medios numeratæ.

DEFINITIO QUINTA.

Dies quartadecima civilis Lunæ eſt dies illa civilis, & Eccleſiaſtica anni Gregoriani, aut Juliani, à media nocte incipiens, & deſinens in mediam noctem, quæ hoc ſpatio temporis non includit neceſſariò totas 24. horas decimæquartæ mediæ ſupra expoſitæ, ſed includit poſtremum terminum earundem.

DEFINITIO SEXTA.

Dies vigeſimaſecunda Lunæ civilis eſt dies illa civilis, & Eccleſiaſtica, à media nocte incipiens, & media nocte deſinens, quæ hoc ſpatio temporis non includit neceſſariò totas 24. horas vigeſimæſecundæ mediæ ſupra expoſitæ, ſed includit poſtremum terminum earundem.

DEFINITIO SEPTIMA.

Quartadecima Lunæ dies civilis incidens in diem Æquinoctialem 21. Martij ſupra definitum, vel proximè poſt ipſum, eſt quartadecima Paſchalis.

DEFINITIO OCTAVA.

Dies Cyclaris Lunæ dicatur ea dies anni civilis, in quam Cyclus præſumit cadere finem diei Lunaris juxta motus medios, ſive revera cadat, ſive non cadat in eandem diem.

COROLLARIUM PRIMUM.

Tres itaque ſpecies ſunt dierum Lunæ, hoc eſt *mediæ, ciuiles*, & *Cyclares*.

clares. Lunæ dies prima iuxta motus medios, quam dicimus *primam Lunam mediam*, ſeù *diem novilunii medii*, dicuntur horæ 24., computatæ à tranſitu Solis per circulum horarium, in quo verſatur eo temporis momento, quo contingit conjunctio media Solis & Lunæ. *Luna prima civilis*, ſeù dies civilis novilunii medii dicitur dies illa civilis, *in quam incidit poſtrema pars Lunæ primæ mediæ* iàm definitæ. Hujus diei limes, ac veluti horizon, eſt circulus meridianus inferior, diſcriminans mediam noctem. Denique *Luna prima Cyclaris* eſt dies illa civilis, cui præſumptione Cycli tribuitur novilunium medium: cujus diei horizon, & limes paritèr eſt idem circulus meridianus, infima ſui parte diſtinguens mediam noctem. Si Cyclus eſſet omnibus numeris abſolutus, deberet dies Lunæ Cyclaris perpetuò concurrere, & coaleſcere cum die Lunæ civili. Sed etiamſi non concurrat perpetuò, non indè ſemper conſequitur turbatio legitimi Paſchatis. Nàm quando dies Dominica non adhæret diei civili Lunæ decimæquartæ, ſed dies plures intermedios admittit; tunc etiamſi dies *quartædecimæ Cyclaris* poſterior eſſet *quartadecima civili*, non deturbaret è loco diem Dominicam legitimi Paſchatis Chriſtiani. Quando autem admitti poſſit legitimè dies Cyclaris, licet diverſa à ciuili, dicemus infra in Axiomatibus 1. 2. 3.

COROLLARIUM SECUNDUM.

Tres paritèr ſunt ſpecies hebdomadum Lunarium, nempe *mediæ*, *civiles*, & *Cyclares*. Mediæ conſtant ſeptem diebus medio motu definitis, & ſupra explicatis: quorum dierum numeratio fit à tranſitu Solis per circulum horarium novilunij. *Civiles* conſtant ſeptem diebus civilibus, earundem extrema continentibus: quorum exordia ducuntur à media nocte, ut ſupra diximus. *Cyclares* denique conſtant ſeptem diebus civilibus, à Cyclo præſumptiuè deſignatis, ducto exordio à media nocte, ut in ſuperiori Corollario explicuimus.

DEFINITIO NONA.

Lunatio illa, cuius *quartadecima dies civilis* iuxta definitionem ſeptimam ſit Paſchalis, dicitur *menſis primus*, ſeù *menſis novorum*.

DEFINITIO DECIMA.

Hebdomada tertia Lunæ, ſive hebdomada Paſchalis Canonicè, ſeù legitimè nobis Chriſtianis, dicuntur *ſeptem dies civiles Lunæ*, *qui continuò ſuccedunt quartædecimæ civili uſque ad vigeſimamprimam civilem incluſivè*.

AXIOMA PRIMUM.

» Ad Paſcha Chriſtianum ritè celebrandum, non ſufficit Domini-

cam

„ cam eligere, quæ ſit in tertia *hebdomada Lunæ Cyclari*, niſi „ etiam ſit in tertia *hebdomada civili* ſupra definita. Demonſtratio Axiomatis eſt ipſa Bulla correctionis Gregorianæ: quæ idcircò ſuſtulit uſum Aurei Numeri antiquorum in Paſchate definiendo, non quia Paſcha eius ductu unquam celebraretur extra tertiam hebdomadam Lunæ Cyclarem (in ea enim ſemper reperiebatur) ſed quia cadebat extra tertiam *Lunæ hebdomadam mediam*, *& extra tertiam Lunæ hebdomadam civilem*.

AXIOMA SECUNDUM.

„ Paſcha Chriſtianum haberi legitimum debet, ſeù juxta Canones, „ quando dies Dominica Paſchalis continetur in *tertia Lunæ hebdomade civili*, ità definita, uti ſupra expoſuimus Coroll. 2.

Expoſitio Axiomatis; Cautum eſt Nicænis Canonibus, & Bulla Gregorij XIII. ne Paſcha celebremus Luna quartadecima, neve ante quartamdecimam. Cautum paritèr eſt, ne ſit extra diem Dominicam, & ne ſit extra tertiam hebdomadam, non utcumque *Cyclarem* (ex Axiomate præcedenti) ſed *civilem*. Quando igitur Dominica Paſchalis continetur *tertia Lunæ hebdomade civili menſis primi* juxta definitionem ſextam; neceſſariò quartadecima jàm præceſſit ante ingreſſum mediæ noctis, unde incipit dies Dominica; & quidem quartadecima tàm *media*, quàm *civilis*: adeòque omnimodè cavetur Lunæ dies quartadecima.

Rurſus ſi Dominica Paſchalis continetur *tertia hebdomade civili*; neceſſariò Paſchalis dies complectitur extremum ſaltem diei 15., vel 16. 17. 18. 19. 20., aut 21. juxta motus medios: & conſequentèr integram diem civilem Lunæ 15., vel 16. 17. 18. 19. 20., aut 21. Igitur Paſcha illud, quod continetur tertia Lunæ hebdomade ſupra definita omnes conditiones refert Chriſtiani Paſchatis, ibi recenſitas, adeòque extra omnem controverſiam haberi debet legitimum, hoc eſt juxta Nicænos Canones, & Bullam Gregorianam.

His definitionibus, Poſtulatis, Corollarijs, & Axiomatibus præmiſſis, procedendum eſt ad ſolutionem Problematis præcipui per ſequentes propoſitiones.

PROPOSITIO PRIMA.

„ Annis centum Gregorianis labentis Sæculi, hoc eſt ab anno 1700. „ ad 1800. Æræ communis, ita diſponi poſſunt Novilunia, & „ Quartædecimæ Cyclares per enneadecaeteridas, ut Dominica „ Paſchalis proximè ſequens eam quartamdecimam Cyclarem ſit „ intra hebdomadam tertiam civilem Lunæ menſis primi.

Demonſtrationis vicem ſuppleat ipſa conſtructio Cycli decemnovennalis, ad annos centum repetendi. Diſponatur columna dividenda in cellas novemdecim. Unicuique cellæ aſſignetur Epacta aliqua, indicans diem primam Lunæ cyclarem, de qua egimus. Poſtu-

0	19	38	57	76	95		
1	20	39	58	77	96		
2	21	40	59	78	97		
3	22	41	60	79	98		
4	23	42	61	80	99		
5	24	43	62	81			
6	25	44	63	82			
7	26	45	64	83			
8	27	46	65	84			
9	28	47	66	85			
10	29	48	67	86			
11	30	49	68	87			
12	31	50	69	88			
13	32	51	70	89			
14	33	52	71	90			
15	34	53	72	91			
16	35	54	73	92			
17	36	55	74	93			
18	37	56	75	94			

Columna diviſa in cellas novemdecim.

lato quarto. In eadem cellula notetur per literam reſpondentem (de qua paulò poſt agemus) dies decimaquarta Cyclaris. Ut verò ictu oculi perſpici poſſint anni omnes quibus Epacta illa & litera recurret eodem Sæculo, producantur ſiniſtrorſum diviſiones jam peractæ inter cellas columnæ, quæ erunt novemdecim: & fiant alia novemdecim ſpatia traſuerſa per ſectiones ipſas columnæ ulteriùs productas, ut in appoſita figura. Deinde facto initio à cifra o, quæ indicabit annum ſæcularem, ſingulis ſpatiis in deſcenſu aſſignetur annus proximus Sæculi juxtà ſeriem naturalem numerorum 1. 2. 3. 4. &c.

Poſt priores octodecim annos Sæculi decimusnonus repetet eandem Epactã, & literam, quam obtinuerat ſæcularis; cum lunationes Cyclares poſt annos Gregorianos novemdecim eodem anni die inſtaurentur intra idem Sæculum. Epactæ cellularum quinque priorum in columna occurrentes ſex vicibus inſtaurabuntur. Reliquarum verò cellularum Epactæ vicibus tantum quinis intra idem Sæculum repetentur; nam annus 99. in quintam cellam ſextæ columnæ ſive enneadecaeteridis incidens, ſeriem ibidem concludet. Sæcularis enim ad aliam columnã refertur, propterea quod ad ſæculares omiſſio vel inſertio biſſextilis pertineat in annis Gregorianis, & ad eoſdem æquationes Solares, ac Lunares referri ſolemne ſit in methodo Liliana, & in communi. Cellæ, in quas diuiſa eſt columna, vocentur decemnovennales.

Dico primò: In unaquaque cella decemnovennali deſcribi poſſe Epactam Novilunii, & Literam indicem decimæquartæ Paſchalis, ut ſingillatim inſerviant ſingulis annis Sæculi. Cum enim quælibet cella ſex tantùm annis debeat inſervire, juxta tot vices, quotis repetitur Cyclus decemnovennalis intra idem Sæculum; ſex loca diſtingui poſſunt in unaquaque cella, quæ reſpondeant totidem vicibus reſtitutionis Cycli, & Epactæ, ac Literæ. Sint ea loca, ut in figura marginali deſignata numeris 1. 2. 3. 4. 5. 6. In prima cella, quæ imminet ceteris in columna, locus 1. denotat Epactam & literam decimæquartæ reſpondentem anno ſæculari, qui habetur primus in ſerie. Angulus 2. denotat

1.	3.	5.
2.	4.	6.

notat annum 19. poſt ſæcularem. Locus 3. indicat annum 38. à ſæculari: ita etiam 4. ſignificat annum 57. & angulus 5. annum 76. denique angulus 6. deſignat annum 95. itaut ſex iſti anni ad primum ſpatium tranſverſum pertinentes, ſuas Epactas, ac Literas obtineant in cella prima. Si ergo in ſex hiſce locis totidem Epactæ, ac Literæ deſcriberentur in eadem cella, quarum ſingulæ exactè reſponderent annis quibus obtingunt ſpatia illa in area cellæ deſignata; certum eſt, poſſe ita diſponi Paſchata, & quartaſdecimas Paſchales totius ſæculi, ut nullum Paſcha ſit extra hebdomadam tertiam civilem Lunæ ſupra definitam. Nam cum anni ſint centum, & loca cellularum decemnovennalium plusquam centum Epactas admittant ac Literas (nempe ſingulæ cellæ ſenas) ſingulis annis ſingulæ Epactæ ac Literæ aſſignari exactè poſſunt in novemdecim areis cellularum, iiſdem annis ſingillatim aptatæ, ac reſpondentes.

Secundò. Si eadem Epacta ac Litera, quæ inſervit anno ſæculari notando in cellæ angulo, adhiberi poſſet citra errorem etiam quinque annis pertinentibus ad idem ſpatium tranſverſum, hoc eſt ab eo diſtantibus per interualla annorum novemdecim; dico tunc poſſe per unicam Epactam, & per unicam Literam in medio cellæ conſignandam exhiberi ſex illas Epactas, & Literas, quæ forent ſingillatim deſcribendæ locis 1. 2. 3. 4. 5. 6.

Tertiò. Si unus tantùm annus, vel duo, ex illis ſex, qui pertinere poſſunt ad eandem cellam, deſideret Epactam, & Literam diverſam; reliqui verò eandem Literam, & Epactam abſque luxatione, ſive errore Paſchatis admittant; dico poſſe Literam, & Epactam pluribus communem deſcribi in medio cellæ; reliquis verò annis, qui communem cæteris Literam, & Epactam non admittunt, poſſe locis congruentibus in cella ſuam peculiarem Epactam, & Literam aſſignari.

Dico quartò: Hoc Sæculo Æræ Chriſti XVIII. labente poſt Sæcularem 1700. ad proximum Sæcularem 1800., poſſe quotannis Paſcha legitimum juxta Canones deſignari per novemdecim tantummodò Epactas, ac Literas, quarum ſingulæ ſingulis aptentur cellis columnæ decemnovennalis; itaùt nunquam indicamus Paſcha extra hebdomadam tertiam civilem Lunæ.

Demonſtrari hoc debet ex computo ſingulorum annorum, & ex diſpoſitione Epactæ, ac Literæ cellis aſſignandæ. Id præſtitimus folio peculiari: in quo diſpoſuimus annos centum, nempe Sæcularem 1700. & 99. ab eo proximos, per columnas ſex, quarum ſingulæ continent annos undeviginti ad normam Cycli decemnovennalis. Singulis annis deſcripſimus diem, horam, & minutum poſt meridiem Romæ, quo contingit Pleni lunium medium Paſchale. Ab hora Plenilunii medii ſubductis horis 18., & minutis 22. habetur poſtremus terminus horarum 24. perti-

nentium

nentium ad diem Lunæ decimamquartam mediam : unde conſtat etiam, quænam Feria Eccleſiaſtica & dies civilis ſit ea, quæ intra ſuas 24. horas à media nocte in mediam noctem computatas, complectitur poſtremum illum terminum diei decimæquartæ mediæ. Prima dies Dominica, quæ occurret poſt mediam noctem ab eodem poſtremo termino decimæquartæ proximè conſequùtam, erit proculdubio legitima dies Paſchatis Chriſtiani juxta Axioma ſecundum. Hanc diem legitimè Paſchalem in folio ſupra deſcripto appoſuimus annis ſingulis. Deinde ex Cyclo Octagrammo, per nos excogitato, ſelegimus Literam, quę indicaret talem Quartamdecimam; ut cum ea conſentiret poſitio Paſchatis legitimi jam reperti. Denique præter Literam Indicem quartædecimæ civilis, occurrit animo ſeligere ex Kalendario Gregoriano Epactam, ante dies tredecim præcedentem eidem quartædecimæ ciuili jam conſtitutæ: ut ſcilicet per Kalendarii Epactas rectè colligeremus Novilunium eidem quartædecimæ connexum (quod Gregorius ita jubebat in Bulla) & cum legitimo Paſchate ita compoſitum: eamque Epactam ſuæ cellæ aſſignavimus cum Litera quartædecimæ. Vidimus cellis unde viginti poſſe inſcribi totidem Epactas, & Literas totidem, ſingulis ſingulas: & nullam ex his Epactis aut Literis deturbare Paſcha legitimum ex certa ſede iam deſignata. Quare dicimus, annos centum Sæculi XVIII. Æræ Dionyſianæ, ſeu Communis, per novemdecim tantummodò Epactas ac Literas in cellis columnæ diſpoſitas, poſſe citra luxationem aut errorem indicare Paſcha legitimum. Epactæ verò ac Literæ ſunt hujuſmodi: Epacta X. & Litera Quartædecimæ L 4 aſſignata anno ſæculari 1700. adhibetur etiam annis 1719. 1738. 1776. 1795. Epacta X dat Novilunium die 21. Martij: & Litera L 4 dat decimamquartam Cyclarem die 3. Aprilis. Ut igitur dies 3. Aprilis, aſsſumpta in Cyclo pro Quartadecima die Lunæ, non deturbet Paſcha legitimum è propria ſede annis 1700. 1719. 1738. 1776. 1795. quibus aſſignatur; neceſſe eſt Paſchata legitima eorundem annorum cadere in aliquem ex diebus ſeptem, qui proximè ſequuntur diem tertiam Aprilis, nempe à die 4. ad diem 10. incluſis extremis. Tabula, & computatio mediorum motuum ibidem expanſa, demonſtrant ita contingere; nam Paſchata legitima eiſdem annis attingunt hos dies 4. 5. 6. 7. 9. 10. Aprilis. Eodem planè modo comperimus, etiam in ſequenti cella, quæ ſecunda eſt in columna, per unicam Epactam, & per unicam Literam deſignari poſſe diem Novilunii & diem quartædecimæ Cyclaris, quæ non deturbet unquam Paſcha legitimum jam repertum ex Pleniluniis mediis annorum ſex pertinentium ad eandem cellam. Id etiam tentavimus in unaquaque cella ex iis novemdecim, quibus columna Sæculi conſtat.

	Epacta	Litera
1700	X.	L 4
1	XXI	Q 3
2	II	L 5
3	XIII	Q 4
4	XXIV	S 6
5	VI	P 4
6	XVI	N 3
7	XXVII	Q 6
8	VIII	N 4
9	XX	R 3
10	I	M 5
11	XI	S 4
12	XXII	P 2
13	IV	R 5
14	XIV	P 3
15	XXVI	R 6
16	VII	O 4
17	XVIII	L 3
18	XXIX	O 5

Jure

Jure igitur affirmo, ſingulos annos labentis Sæculi XVIII. in cellis novemdecim conſignatos per unicam Epactam & unicam Literam in cellis ſingulis, immunes eſſe à cenſura Paſchatis Chriſtiani indicendi extra tempus à Sacris Canonibus definitum, quod eſt intra hebdomadam tertiam civilem Lunæ menſis primi.

PROPOSITIO SECUNDA.

Annis centenis Sæculi præcedentis XVII. Æræ communis, & annis 984. proximè numerandis poſt præſens Sæculum Æræ Chriſti „ XVIII. idem præſtari poteſt, quod in præſenti: hoc eſt, ſin- „ gulis Sæculis attribui poteſt peculiaris columna, undeviginti cel- „ lulis compacta: & in unaquaque cellula poteſt peculiaris Epacta „ & Litera ſcribi; itaut Epactis ac Literis novemdecim centenarius „ annorum numerus cum ſuis Paſchalibus Feſtis legitimè in dictis „ contineatur: ex duodecim verò columnis decemnovennalibus ita „ ordinatis ſtatui poteſt Periodus annorum 1184. diſtributa in duo- „ decim Sæcula: ex quibus undecim priora conſtent annis centum „ Gregorianis; poſtremum verò Sæculum Periodi compleatur an- „ nis 84.

Breviſſima erit conſtructio. Nam, ſeruatâ diſpoſitione annorum cujuſcumque Sæculi per ſpatia novemdecim transverſa, ſiniſtrorſum poſita in Tabula Sæculi labentis, iàm deſcripta ſuperiori propoſitione, producantur dextrorſum lineæ cellarum decemnovennalium, quæ dum pervadunt columnas duodecim ſibi adhærentes (pro numero Sæculorum Periodi) in ſingulis columnis diſtinguent cellulas undeviginti. Apponantur ijſdem cellis Epactæ Novilunij ac Literæ indices decimæquartæ Paſchalis, à nobis conſignatæ folio, quod inſcribimus CANON PASCHALIS, ſeu Tabula prima. Dicimus, per has Epactas, & literas deſignari Paſchata ſingulorum annorum totius Periodi: itaùt nullum Paſcha legitimum ab iiſdem Epactis, ac Literis loco ſuo dimoveatur. Duos tantum annos excipio, unum in columna ſexta, cella tertia, loco ſeu angulo 1. (ſupra §. Dico primo) hoc eſt annum Periodi hujus 503., alium verò annum in columna XI. cella 4. angulo 6., hoc eſt annum Periodi 1098. quibus annis Epacta ac Litera peculiaris eſt aſſignanda, quæ locis iiſdem inſcripta legitur.

Demonſtratio exhibenda eſſet per extenſionem XII. Sæculorum in totidem folijs. Verùm contenti erimus primo ac poſtremo Sæculo cùm expanſionem quoque labentis Sæculi (quod ſcilicet ſecundum eſt in Periodo) jàm protulerimus propoſitione præcedenti. Ad iſtorum exemplum computare unuſquiſque poterit etiam Secula intermedia, uti nos præſtitimus: comperientes ubique, ab Epactaac Litera Canonis, per nos producti Tabula prima, ritè cuſtodiri diem legitimam Paſchatis Chriſtiani, medijs Lunæ motibus certòdefinitam.

Duo tantùm anni, uti diximus, intra ſpatium totius periodi poſtulant in cella peculiarem Epactam, & Literam diverſam ab ea, quæ communis

munis eſt reliquis annis ad eandem cellulam pertinentibus; nempe annus 503. & 1098. hujus Periodi. His propterea addiximus peculiarem Epactam, & Literam, in angulo cellæ conſignatam. Anno 503., cui media cellæ area daret Epactam XII. & Literam quartædecimæ R 4 tribuimus Epactam XI. & Literam S 4 in angulo cellæ 1. Similiter anno 1098. cui cella daret Epactum XXVI. & Literam R 6, aſſignamus in angulo cellæ 6. Epactam XXVII. & Lit. Q 6

PROPOSITIO TERTIA.

„ Poſt abſolutam Periodum Paſchalem annorum 1184. inſtaurari poteſt eadem Periodus exhibens caſtigatè ſingulis annis Paſcha legitimum die Dominica intra tertiam hebdomadam menſis primi.

Conſtructio talis habetur. Completis annis 1183. ordine Gregoriano, (numerandis ab anno 1600. completo) hoc eſt, ut ſæculares Æræ Chriſtianæ, ab eodem Pontifice conſtituti biſsextiles, conſtent diebus 366., reliqui verò ſæculares, quos juſſit eſſe communes, concludantur diebus 365.; his, inquam, annis 1183. completis, poſtremus Cycli, qui erit 1184., & in Æra Dionyſiana, ſeu Communi Chriſti Domini dicetur 2784. & haberetur dierum 366. minuatur die biſſextili, & fiat annus communis dierum 365. Dico inſtaurari Cyclum: itaùt annus, qui ab eo erit proximus, futurus ſit primus Sæculi primi eiuſdem Periodi inſtauratæ: & exhibeat Novilunia, decimaſquartas, Plenilunia, Paſchata iiſdem plane diebus anni civilis, eodemque modo, quo exhibuit anno 1601. Æræ Chriſti, ejuſdem Periodi primo.

Demonſtratio. Poſt annos 1183. Gregorianos, & proximum non biſſextilem 1184. hebdomadis Feriæ, & Lunationes mediæ exactiſſimè reſtituuntur ad eandem anni diem, horam, ac minutum, uti conſtat ex Tabulis Aſtronomicis mediorum motuum Lunæ à Sole. Erunt itaque Novilunia, quartædecimæ, Plenilunia media, ac Dominicæ Paſchales ijſdem numeris, Epactis, ac Literis exhibendæ, quibus exhibebantur in prima Periodo.

PROPOSITIO QUARTA.

„ Periodum eandem annorum 1184. inſtaurare etiam quando dies biſſextilis non fuerit omiſſa anno poſtremo Periodi præcedentis: vt nullum Paſcha legitimum per hanc repetitionem è ſede ſua deturbetur.

Si foret ità conſultum diei Æquinoctiali poſt annos 1184. unica die imminutos, quemadmodum conſultum eſt Lunationibus; Periodus, uti eſt à nobis producta, haberetur perpetua. Sed alibi oſtendimus, ad continendum Æquinoctium verum, aut medium intra limitem diei 21. Martii aliquando omittendam, aliquando retinendam eſſe diem biſſextilem anni 1184. in fine Periodi. Quando verò biſſextilis dies retinetur, Lunationes una die aſcendunt ad caput anni civilis. Quæritur modò, an inſtaurari tunc poſſit Periodus iſta Paſchalis annorum 1184.?

Reſpon-

Reſpondeo poſſe.

Conſtructio. Deſignatis columnis, & cellulis, nec non ſpatiis annorum expanſorum cujuſcumque Sæculi ſiniſtrorſum, ut in præcedenti peragebatur; loco ejus Epactæ, ac Literæ, quæ legebatur in prima Periodo, conſignetur in cellis ſingulis Epacta, ac Litera illi præcedens in Kalendario. Quod ſi aſcendendo incidamus ſupra terminos citimos novilunii, ac decimæquartæ menſis primi; loco Epactæ præcedentis 7. Martii aſſumatur Epacta diei 5. Aprilis, quæ poſtremum terminum deſignat novilunii Paſchalis; & loco Literæ decimæquartæ, quæ reſponderet diei 20. Martii, aſſumatur Litera reſpondens diei 18. Aprilis, deſignans poſtremum terminum quartædecimæ Paſchalis. In ea verò cella, ubi hæc mutatio contigerit ex incurſu citimi termini, explorentur per Tabulas mediorum motuum quinque, vel ſex illa plenilunia annorum, quibus eadem cella reſpondet conſtante Sæculo; ut colligi poſſit, an per unicam Epactam, & Literam omnibus peræquè ſatisfiat; an verò ſit potiùs in angulis cellæ peculiaris Epacta conſignanda, uti in prima Periodo contigerat annis 503., & 1098.: & ſi opus fuerit, peculiaris Epacta, ac Litera aptetur. Dico Periodum ſic inſtauratam toties repeti poſſe exactiſſimè etiam quoties in ejuſdem anno poſtremo dies biſſextilis retinetur, citra ullum errorem, aut luxationem legitimi Paſchatis.

Demonſtratio. In priori expanſione Periodi annorum 1184. idcircò declinabatur error in Paſchate, quia dies Lunationis mediæ, & civiles, ac Feriæ hebdomadis diſtabant à Dominica Paſchali ſpatiis exploratis, ac legitimis. Atqui in Periodo ità reſtituta ſervatur eadem diſtantia; nam hora Lunationis, & dierum Lunæ mediorum eadem habetur: Dies civilis præceſſionis tàm inducitur in novilunium, & in XIIII., & in Feriam, quàm inducitur in Epactam, & in Literas indicantes novilunium Cyclarem, & XIIII. Cyclarem, & Feriam. Cum igitur æqualibus temporum ſpatijs æqualia omninò reſtituantur; intervalla eadem reſultant, & explorata, ac legitima, ut ante. Quæ verò Epactæ, ac Literæ immutandæ ſunt ob incurſum citimi termini, illæ ex condicto, ſeù ex conſtructione per calculum explorantur, & legitimè conſignantur, ſicut in prima expanſione Periodi. Igitur etiam poſt biſſextilem in fine Periodi ſuperioris inſertum, nova Periodus ità reſtituta nullum Paſcha legitimum è ſede ſua dimovet: quod erat demonſtrandum.

Praxis verò inſtaurandæ Periodi facillimè traditur. Obſerua cellulas Periodi, quæ notantur Epacta XXIII., & Litera O 2. Quando in fine eiuſdem Periodi biſſextilis annus habetur; iis locis explorandum erit per calculos 5., vel ſex Lunationum, an Litera S 6., & Epacta XXIV. aptetur omnibus annis ad eandem cellam pertinentibus in Periodi inſtauratione. Exemplum. Epacta XXIII., & Litera O2. novem vicibus occurrunt in prima expanſione Periodi;

di ; nempe in columna prima cella 18. ; in col.III. , cella 19. ; col.IV., cella 14.; col.V. , cella 9. ; col.VII., cella 10. ; col. VIII. , cella 5. ; col.IX. , cella 19. ; col.X. , cella 6. ; & col.XI. cella prima . Intelligo igitur, Sæculo primo nouæ expanſionis ſive inſtaurationis Periodi inſtituendum eſſe computum Lunæ Paſchalis annis 17. 36. 55. 74. 93. qui pertinent ad cellam 18. columnæ primæ Sæculo primo deputandæ ; ut conſtet , an ſingulis annis hujuſmodi aptari poſſit eadem Epacta XXIV., & Litera S 6. Computus Pleniluniorum mediorum nullo negocio tranſcribitur ex prima expanſione , diem detrahendo , & addendo Lunationem , ut ſequitur .

	Annus 17.	Annus 36.	Annus 55.	Annus 74.	Annus 93.
Plenil.Mart.	20. 13. 22.	20. 5. 27.	20. 22. 38.	20. 15. 0.	20. 7. 34.
addo Lunam	29. 12. 44.	29. 12. 44.	29. 12. 44.	29. 12. 44.	29. 12. 44.
	50. 2. 6.	49. 18. 41.	50. 11. 22.	50. 3. 44.	49. 19. 18.
Deme	31. Martij	31.	31.	31.	31.
Plenil.April.	19. 2. 6.	18. 18. 41.	19. 11. 22.	19. 3. 44.	18. 19. 18.

Hæc igitur erunt Plenilunia Paſchalia inſtauratæ Periodo aſſignanda annis 17. 36. &c. primi Sæculi poſt inſertum biſſextilem anno poſtremo . Reſtituenda nunc eſt Tabella Literarum Dominicalium , ut aptè reſpondeat . Annus Periodi poſtremus, in prima expanſione non biſſextilis, obtinuit Literam a. In ſecunda expanſione quæ biſſextilem admiſſura eſt, habebitur a g . Quare inſtauratio prima Periodi poſt biſſextilem retentum anno poſtremo ſeriem Literarum in poſtrema columna Tabellæ tertiæ diſpoſitam aptabit Sæculis Periodi I. V. & IX. Ex illa igitur video anno 17. Sæculi primi attribui Literam Dominicalem g. ; anno 36. e d. ; anno 55. b. ; anno 74. f.; & anno 93. Literam c. Idcircò ſub Pleniluniis mediis jàm repertis ità adnotabo Ferias , & Paſcha legitimum .

Plenilun.	Anno G 17.	36. E D	55. B	74 F	93. C
	h m	h m	h m	h m	h m
Aprilis .	19. 2. 6.	18. 18. 4.	19. 11. 22.	19. 3. 44.	18. 19. 18.
Feria	V.	VII. I.	III.	VI.	I. II.
Decima quarta civilis.	18. Apr.	18. Apr.	19. Apr.	18. Apr.	18. Apr.
Paſcha legitimum .	22. Apr.	19. Apr.	24. Apr.	21. Apr.	15. Apr.

Video itaque nullum Paſcha legitimum luxari , aut è ſede ſua dimoueri quando iiſdem annis 17. 36. 55. 74. 93. tribuitur Epacta XXIV. , & Litera quartædecimæ Paſchalis 5. 6. quæ dant decimamquartam Cyclarem 18. Aprilis , & Paſchalem Dominicam à ſede propria non dimovent , ſed eandem conſtituunt intra tertiam hebdo-

hebdomadam civilem Lunæ : quod Axiomate ſecundo requirebatur ad diem Paſchatis juxta Canones indicendum.

Eadem methodo explorandæ ſunt Epactæ, ac Literæ octo cellularum Periodi ſupra recenſitæ : quæ poſt inſertionem poſtremi biſſextilis requirunt Epactam XXIII., & Literam O 2. mutari in XXIV. & S6. Quibus peractis, prodibit nova expanſio Periodi ad annum Chriſti 5152. omnibus numeris abſoluta, & immunis à quacumque luxatione legitimi Paſchatis. Hanc verò expanſionem nos hìc ſubjiciemus. Bis enim uſurpari poteſt prima expanſio Tabulæ ſuperioris ab anno Æræ communis 1601. ad 2784. quæ erit prior abſque biſſextili : & ab anno 2785. ad 3968. quæ erit altera : in cujus fine retinebitur biſſextilis. Tùm verò expanſio nova, quam hìc ſubjicimus, eſt adhibenda, pertingens ad annum Chriſti 5152. Erit itaque duplici folio compendioſiſſimè incluſa Paſchalis Tabula excurrens ultra millenarium quintum Æræ vulgaris : quæ in aliorum libris occupat juſtum volumen. Erit etiam Paſchalis Cyclus hac lege diſpoſitus, & conſtans annis Gregorianis, qui Paſcha ſemper indicat tempore congruo, hoc eſt menſe primo, die Dominica intra hebdomadam tertiam Lunæ: quod in ſolutione Dubii, aut Problematis præſtitum à nobis iri pollicebamur.

Monuit vir doctiſſimus, poſſe etiam diſponi Cyclum per eas Literas, quæ uſurpantur in Martyrologio Romano. Plura etiam alii ſuggerent ad ſolutionem faciliorem Problematis. Nos eas Literas hìc adhibuimus, quas deduximus ex Cyclo Lunari octo Literarum in Kalendario Auguſti, aut Cæſaris extantium apud Gruterum, alioſque veterum inſcriptionum Collectores : propterea quod harmonia quadam, & regula ſuccedant Literæ, ut alibi forſitan demonſtrabimus, opere peculiari exponentes, ad Cyclum Lunæ pertinere eas Literas Kalendarij Juliani, quæ hactenus habebantur Nundinales. Interea monemus, tum in illis legem Cycli elegantiſſimam cuſtodiri ordine nunquam perturbato; tum in Cyclo à nobis propoſito ordinem numeri Literis appoſiti alternis annis ſeruari perpetuum : uti ex comparatione cellularum patebit ſi alternis ſumautur

N 3	R 6		
O 4	———		
N 5	L 3		
———	S 4		
P 2	S 5		
P 3	S 6		
P 4	———		
O 5	M 3		
———	L 4		
R 3	M 5		
R 4	O 2	deinde reperitur	O 2
Q 5 Sequitur	R 6		N 3
			O 4 &c. ut ſupra in eadem columna.

Patet

Patet itaque aliquod indicium cauſæ, cur Cyclus hic Octagrammus à nobis fuerit prælatus reliquis, quæ occurrerant, methodis. In eodem quoque opuſculo quod pollicemur, explicandum erit qua de cauſa, loco Literarum Julii Cæſaris A B C D E F G H aſſumpſerimus L M N O P Q R S, ne ſcilicet cum Dominicalibus confundi poſſent. Hoc verò titulo etiam abſtinendum eſſe ducimus à Literis Martyrologij huic Cyclo adhibendis. Denique oſtendemus, cur Cyclum auſpicemur à Litera O 2. attributa diei 21. Martii potius, quàm ab L 1. quæ eſſet aſſignanda diei 10. Martii. Demonſtrabimus enim, conſultò id à nobis fuiſſe ordinatum; nàm anno 1601. qui primus eſt Cycli, novilunium Paſchale contigit 10. Martii: & quidem aptiſſimè id novilunium aſſumitur tamquam caput Cycli; cum motus veros, ac medios exhibeat fermè congruentes, verſante Luna circa Apogæum ſuæ orbitæ: proùt etiam Cyclus Cæſaris Dictatoris elegit initium Cycli Lunam illam Kal. Januarii attributam, in qua motus veri, ac medii conſentiebant. Verùm hæc poſtulant fuſiorem explicationem, ut ſingulorum aſſumptorum ratio aſſignetur: quemadmodum etiam obſervationibus Aſtronomicis probandum eſt, quod aſſumimus, annum Gregorianum ità attemperatum optimè referre Æquinoctium die 21. Martii, cùm in eam diem civilem in Cycli expanſionibus productis incidat perpetuo verum, aut medium Æquinoctium. Interea proferimus Tabulam expanſionis Cycli ad annum Æræ vulgaris 5152. pertingentem.

Corollarii loco addimus, rationem definiendæ quartædecimæ civilis & Cyclaris, per nos productam in ſolutione problematis, conſentire cum hypotheſibus, quæ aſſumptæ fuerant à Congregatione Kalendarii ſub Gregorio XIII. die 14. Septembris anno 1580. tamquam criteria cujuſcumque Cycli, impoſterum proponendi. Ex iis tranſcribam tres priores, quæ pertinent ad judicium quartædecimæ. Ita verò habent.

Quùm igitur duorum, vel plurium inter ſe Cyclorum rationem expendere volumus, eâ tantùm regulâ utendum eſt; Ut Cyclus, qui ad ipſius medii motùs numerum propriùs accedit; is minora contineat errata, idemque præ ceteris ſit eligendus. Ad id autem judicandum has hypotheſes aſſumere oportet.

HYPOTHESES.

I. *Dies, qui* XXIIII. *horis finitur, juxta veterem Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ conſuetudinem, à media nocte incipiat, ac doctrinæ cauſa in quatuor (ut olim apud Hebræos) dividatur partes, ſive quadrantes, quorum quiſque ſex horas complectitur.*

II. *Si Plenilunium in aliquo ex tribus primis diei quadrantibus eſſe contingat; in eandem diem incidere dicatur. Si verò in poſtremo quadrante id accidat; ſequentis diei eſſe intelligatur. In Novilunio autem ratio tam exquiſita non eſt exigenda.*

III. *Sacri Concilii Nicæni Decreto ſtatutum eſt, ut die Dominico, qui proximè ſuccedit Lunæ* XIIII. *primi menſis, Paſcha celebretur. Is verò apud Hebræos vocatur primus menſis, cujus Luna* XIIII.*, vel attingit, vel propiùs ſequitur Vernum Æquinoctium. Hujuſmodi autem Luna proximè antecedit Plenilunium, ſive Lunam* XV. *Ex his perſpicuum eſt, Paſcha niſi intra* XV. *&* XXI. *Lunam primi menſis ritè celebrari non poſſe.*

APPENDIX
AD SOLUTIONEM PROBLEMATIS
IN QUA
Soluuntur alia dubia, occaſione Cycli Octagrammi propoſita.

DUBIUM PRIMUM.

Auctor Problematis Paſchalis, ejuſque ſolutionis per Cyclum Octagrammum, de pluribus interrogatur. Primo, Num major habenda ſit ratio decimæquartæ diei Lunæ, ac Plenilunii, quàm Novilunii in diſponendis Epactis Cycli?

Reſpondet: habendam eſſe majorem utique rationem decimæquartæ, ac Plenilunii, quàm Novilunii. Ita enim cenſuit ſapientiſſimè Gregorius XIII. in Canonibus additis poſt Bullam Kalendarii, & cum eadem editis: ubi ait Canone ſecundo §. *Quod ſi quando &c.* „ Data eſt diligenter opera in diſtribuendo Cyclo hoc 30. Epactarum in Kalendario, ut potiùs Novilunia ſeriùs aliquando per Epactas demonſtrentur, quàm ut aliquando ſedes ſuas antevertant, ne cum Quartadecimanis Hæreticis Sacroſanctum Paſcha, vel in XIIII. Luna vel ante celebretur: adeo ut propter celebrationem Paſchæ, major ſit habita ratio XIIII. Lunæ, vel Plenilunii, quàm Novilunii &c. Sapienter admodum ſtatuiſſe videtur Pontifex providentiſſimus, ut in Cyclo ratio potior haberetur Plenilunii, ac decimæquartæ, quàm Novilunii. Cum enim Cyclus eſſe debeat menſura quædam, ſive indicatio cæleſtium motuum, populo ita propoſita, ut etiam ii, qui dare non poſſunt operam ſtudiis Aſtronomicis, ſatis proximè accedant ad veros motus per ſimplicem illam ac facilem numerationem, quæ in Cyclo traditur; quò facilior eſt via comparandi; eò excellentiùs per eandem conſequimur finem, nobis in Cyclo propoſitum. Conſtat verò faciliùs comparare nos poſſe numeros à Cyclo traditos cum Luminarium motibus die Plenilunii, quàm Novilunii; nam Plenilunium ſemper conſpicitur, dum nubes non impediant; Novilunium verò, etiam ſereno Cœlo videri nequit, niſi forte fuerit eclipticum: quod perrarò contingit. Rurſus, cùm notum ſit, alios putaſſe Novilunia à phaſi, alios à jugo medio, neque ea de re quidquam lege cautum à veteribus habeamus; in Plenilunio autem medio videantur omnes peræquè conſentire (cùm civili uſu alia hìc non ſtatuatur phaſis,

ut ita dicam, ab oppoſitione media) rectiùs comparamus numeros Cycli cum Pleniluniis mediis, quàm cum Noviluniis. Congruentiùs itaque comparari affirmo, juxta Gregorii monitum, & Cycli naturam, ac finem, numeros Cycli cum Pleniluniis. Dico etiam, rectiùs inſtitui Cyclum, ejuſque numeros, quando in eorundem diſpoſitione ratio potior habeatur coniungendi legitimas dies cum quartadecima & cum Plenilunio, quàm cum Novilunio: ita ut, ſi neceſſitas foret ab alterutro recedendi, ſit potiùs eligendum rectè ponere quartamdecimam ac Plenilunium, & recedere parumper à Novilunio; quàm rectè ponere Novilunium, & recedere à quartadecima, & Plenilunio.

DUBIUM SECUNDUM.

Quæritur ſecundò de criterio rectæ connexionis dierum Cycli cum Plenilunio & quartadecima.

Reſpondeo, diem Lunæ quartamdecimam ex Cyclo, comparatam cum Plenilunio medio, habendam eſſe rectè poſitam, ſi immediatè præcedat diem civilem, in quam incidit oppoſitio media, vel etiam, ſi cum eadem die civili oppoſitionis mediæ aliquando concurrat: dummodo dies 14. Cycli totam non excludat quartamdecimam mediam, definitione prima à me indicatam: hoc eſt complectatur horam decimamnonam ante Plenilunium medium.

Antequam proferam noſtræ reſponſionis momenta, recolendum eſt id, quod amicè & opportunè monuit Vir Doctiſſimus, nempe Sanctum Auguſtinum in Libro de Geneſi ad literam, quem vocant imperfectum, *cap.*13. non obſcurè indicare, diem Plenilunii civiliter computatam, habendam eſſe vel quintamdecimam, vel ſextamdecimam ætatis Lunæ. Id fortè nonnullis durum videbitur: qui attenderint, Plenilunium, ſive oppoſitionem mediam ſemper contingere antequam dies Lunæ decimaquinta ſolida compleatur juxta motus medios, dum adhuc deſiderantur ad eam diem claudendam horæ $5\frac{1}{2}$. Verùm, ſi recolant, uſum fuiſſe Orbis Romani, & Ægyptiorum ætate S. Auguſtini, à pluribus ſæculis inductum, ut diem ſui ortus numeraret primam quidquid ex ea tantillum præriperet naſcendo, antequam ejus diei civilis in mediam noctem propriumque finem vergentis hora ſuprema appeteret; hunc inquam uſum ſi recolant, quem nos alibi fuſius exponimus ex Varrone, Cenſorino Macrobio, Gellio; facilè intelligent, Plenilunium medium contingere potuiſſe in hac methodo computandi Lunæ die civili decimaſexta. Fac enìm Novilunium, ſeu jugum medium, committi hora una ante illam mediam noctem, qua concludemus Kalendas Martii, ut aperiatur dies poſtridie Kalendas, adeoque referri civiliter Novilunium ex more veterum, de quo Varro, Cenſorinus, Gellius, & Macrobius, ad ipſas Kalendas. Certum eſt, oppoſi-

poſitionem mediam commiſſum iri poſtridie Idus Martii, nempe horis $17\frac{1}{2}$ poſt illam mediam noctem, quæ clauſerit diem 15. & aperuerit diem 16. eiuſdem menſis.

Nos verò qui diverſo more utimur in diebus Lunæ civiliter numerandis, ſtatuentes, non initia, ſed fines dierum mediorum dare nomina ætatis Lunæ diebus civilibus, nunquam computare poſſumus diem Plenilunii eſſe Lunaris ætatis decimamſextam, ſed perpetuò eam numerabimus vel quintamdecimam, vel quartamdecimam; cùm horis 24. ſeriùs quàm veteres nominemus primam. Id verò videmur admodum congruenti de cauſa facere. Cùm enim uſu civili Lunationes vel cavæ ſint, vel plenæ; & cum Plenilunium oporteat intelligi medium illud temporis punctum æquo intervallo poſitum inter utramque Synodum præcedentem ac ſubſequentem; neceſſe eſt illud in civilibus Lunationibus plenis afficere horam poſtremam diei decimæquintæ ſolidæ, & in Lunationibus cavis horam 12. poſt quatuordecim ſolidos dies. Vel igitur in fine decimæquintæ, vel in meridie decimæquintæ civilis oportet intelligi Plenilunium. Paſchalem verò Lunam, quæ pro veteri Eccleſiæ inſtituto ſemper habetur cava, dubium non eſt dici congruentiùs plenam & Soli oppoſitam in quintadecima. Nihil igitur obſtat, quo minus aptè conſtituamus, Plenilunium rectè olim fuiſſe definitum à Sancto Auguſtino diem ętatis Lunæ quintamdecimam, vel ſextamdecimam, juxta morem civiliter numerandi, à Romanis ejus ævo uſurpatum; à nobis verò rectè dici Lunæ diem quartamdecimam, vel quintamdecimam (præcipuè in Luna Paſchali deſignanda) juxta civilem computum ætatis noſtræ, quæ à fine, non ab exordio horarum 24. diei mediæ unamquamque diem Lunæ civilem denominat.

Quæ cum ita ſint, nemo ambiget, rectè diſponi dies Lunæ, præcipuè Paſchalis in Cyclo, quando Plenilunium medium, ſeu quintadecima media cadat in quartamdecimam, vel quintamdecimam Cyclarem: & quartædecimæ Cyclaris rectè conſtitutæ indicium eſſe ipſam quintamdecimam mediam, ſeu Plenilunium medium, in eandem, vel in proximam diem incidens. Si verò oppoſitio media cadat in quartamdecimam Cyclarem; neceſſe eſt ſaltèm poſt horas $18\frac{1}{2}$ à media nocte ea die committi Plenilunium; cùm ſtatuerimus definitione 5. eam eſſe civilem quartamdecimam, quæ in ſe continet horam poſtremam diei 14. ætatis Lunæ juxta motus medios, ſive horam 19. ante Plenilunium medium: unde etiam Mathematici Gregoriani rectè ſtatuerunt, Plenilunium, ſeu quintamdecimam referri ad diem ſequentem, quando incidit in poſtremam ex quatuor diei partibus, à media nocte putatis, nempè poſt horam 18. à media nocte. Vide *hypoth.2. ſupra in fine Problematis pag.*xvj. Ex die verò quartadecima ætatis Lunæ, ſi aſcenderimus

 verſus

verſus anni caput, rectè aſſignabimus Novilunium Cyclare illi diei, quæ per tredecim dies civiles præceſſerit decimamquartam ita exploratam per Plenilunium medium, & per incurſum horæ decimænonæ ante idem Plenilunium juxta motus medios. Si ergo neceſſitas foret ſeparandi alterutram diem à motibus mediis, nempe aut decimamquartam Cyclarem ab hora 19. ante Plenilunium medium, aut diem neomeniæ Cyclaris à jugo medio; ſemper videtur eſſe diligentiùs attendenda connexio decimæquartæ Cyclaris cum media, quàm neomeniæ Cyclaris cum media.

DUBIUM TERTIUM.

His ita perpenſis, ab Auctore Cycli quæritur tertio, num rectè poſitâ quartadecima Cyclari (nempe ita, ut in eandem diem civilem, vel in proximè ſequentem incidat hora Plenilunii medii, & dies ipſa mediæ quartædecimæ numquam incurrat diem Paſchatis) ætas Lunæ VERE propoſita videatur ex Epacta illi quartædecimæ reſpondente, adeo ut legi ita poſſit in Martyrologio juxtà antiquum Eccleſiæ morem, & num omnia, quæ Gregorius ſancivit, exactè cuſtodiantur?

Reſpondet Auctor Cycli, affirmando. Duplex enim Gregorii præceptum cùm ſit; aliud, quod vetat aſſumi diem Paſchatis in quartadecima; aliud, quod jubet veram diem Lunæ juxta veterem Eccleſiæ conſuetudinem proponi fideli populo; utrumque ait egregiè præſtari per Cyclum Octagrammum, qui ita diſponat quartamdecimam. Per primum illud præceptum, quod negat, avertere neceſſe eſt à die Paſchatis *quamcumque quartamdecimam*, *cui veræ decimæquartæ* nomen dari jure poſſit à Quartadecimanis, ſeu veteri more, ſeu recenti. Hoc verò per Cyclum fit, cùm initium & finis quartædecimæ juxta motus medios, ejuſque horæ ſolidæ 24. omnes ac ſingulæ excluduntur ab ea die civili, cui Paſcha tribuitur: his enim horis ita excluſis, omnis ratio quartædecimæ, tum mediæ, tum civilis, jam receſſit; ut ex prima & quinta definitione conſtat; atque neutra quartadecima veteris ſcilicet moris, aut recentis in Paſcha incurrit. Secundum verò præceptum Gregorii quo jubemur VERAM ætatem Lunæ fideli populo quotidie proponere juxta antiquum Eccleſiæ morem, impleri cenſetur, ſi Novilunium, & reliquos dies ætatis Lunæ ita numeremus in civilibus, uti more veteri putabantur, nempe vel ab incurſu jugationis mediæ, vel ab incurſu primæ phaſeos ſive accenſionis Lunæ poſt inconſpicuum illud punctum jugationis mediæ, cui phaſis ſeu conſpectus Lunę ſuccedit poſt horas circiter 24. Servatur enim ex ęquo ratio veræ ætatis Lunæ veteri more, cùm quis hodie pronunciat Lunam primam, ſi Aſtronomicæ tabulæ demonſtrent intra has horas 24. committi jugum Luminarium medium; ac ſervaretur veteri

teri

teri more, ſi intras has horas 24. accenſio Lunæ videri primò poſſit ex phaſi; cùm utraque numeratio apud antiquos VERA civiliter haberetur. Neque aliter præcepiſſe videtur in ſua Bulla Gregorius, cum ait XIIII. rectè inveniri oportere, itemque dies Lunæ juxta antiquum Eccleſię morem fideli populo VERE proponi.

DUBIUM QUARTUM.

Quæritur quarto ab Auctore Cycli, num dies Novilunii ex Epacta Cycli Octagrammi conſtanter inveniatur, ut vera dici poſſit ex veteri more vel à jugatione media, vel à prima phaſi? Videtur enim aliquando numerus Cycli utramque excludere, jugationem ſcilicet & phaſim. Exemplum ſit anno 1724. in Luna Februarii. Epacta Cycli Octagrammi VI. dat Novilunium die 23. Februarii; cùm tamen Novilunium medium non reperiatur, niſi ſequenti die civili jam inchoato, nempe horis 6. & min. 18. à media nocte, qua deſinit dies 23. & aperitur 24.

Reſpondet Auctor Cycli, verè dici eodem anno diem 23. Februarii diem Novilunii, quia in pluribus terræ locis Eccleſia adhuc numerabit civilem diem 23. Februarii, quando Luna jugum medium ſubierit. Dies enim 23. Februarii non ſtatim ubique terrarum expirat, ut media non appetit Romæ; ſed numeratur adhuc per horas ferme duodecim, primò ab occidentalibus Europæ regnis, deinde ab America univerſa, demum & ab Inſulis Philippinis, approbante Eccleſia Catholica. Cùm igitur in propoſito exemplo ubique terrarum legendum ſit in Martyrologio, *die 23. Februarii Luna prima*, hoc eſt tam Romæ, quàm in America, & in Inſulis Philippinis; & ibi verè die civili 23. Februarii contingat veteri more Lunæ dies prima juxta motus medios; hoc ipſum ſufficit ad veritatem ætatis Lunæ ea die comprobandam in pronunciando Novilunio, juxta Bullam Gregorii.

Donec igitur in Epactis Cycli nec præceſſio major motuum mediorum occurrat relata ad meridianum Romanum, quàm horarum duodecim, neque poſtpoſito major; quàm horarum 24., quæ ad phaſim pertinent Lunæ primæ, numquam falsò pronunciari dicenda eſt ætas Lunæ juxta morem antiquum Eccleſiæ, ſed VERE proponi fideli populo, prout in Bulla Kalendarii Gregorius fieri conſtituit.

DUBIUM QUINTUM.

Quæritur poſtremò ab Auctore Cycli Octagrammi, num Cyclus, quem ipſe profert, legem Cycli tantummodo ſervet in Literis earumve numeris, uti ſupra explicatum fuit propoſitione ultima; an legem Cycli cuſtodiat etiam in Epactis? Hæc enim ſecunda ratio vix percipitur, cùm ſaltus frequentes fiant.

Reſpondet Auctor Cycli, ſe præcipuam Cycli legem ſervare voluiſſe

 in

in numeris Literarum, qui alternis annis ſuccedunt, ſerie non interrupta eodem conſtante ſæculo, juxta ordinem naturalem, uti ſuo loco exponebat. Quapropter eundem Cyclum ab octo Literis ſe ita conſequentibus appellat *Octagrammum*. In Epactis verò ait ſervari Cyclum decemnovennalem ſucceſſionis inſtauratæ per enneadecaeteridas quocumque ſæculo: quod ſatis videtur ad Cycli nomen etiam Epactis conciliandum; cùm ita fiat, ut Epactæ redeant in orbem. Cyclus Epactarum dicitur etiam Lilianus, ac vulgaris, licet evoluto duplici vel triplici ſæculo immutare oporteat connexiones Epactarum cum Aureo numero. Cyclus habetur etiam Paſchalis illa diſpoſitio Victorii, quam continet lapis antiquus Veſunæ Petrocorionum extans, & apud Gruterum editus folio MCLXI. num.5. licet numeros dierum Paſchatis nulla ſerie naturali ſuccedentes proferat. Ad Cycli enim nomen obtinendum ſatis videtur eſſe, ut per circulum quendam iidem numeri repetantur, atque inſtaurentur ſtatis temporibus. Ceterum ratio Epactarum colligendarum ad annos ſingulos ſi quæratur; nulla expeditior haberi poteſt, quàm ex Cyclo Octagrammo, ejuſque Literis jam ordinatis. Datâ enim Litera quartædecimæ (quam ſuperiùs in problematis ſolutione reperimus) aſſumuntur Epactæ Novilunii, quæ 13. diebus præcurrant Literam decimæquartæ, in Kalendario attributam Lunæ Paſchali in prima enneadecaeteride ſæculi per annos ſingulos, ut hæ in columna diſpoſitæ toties repetantur eodem ſæculo, quoties neceſſe ſit, uſque ad annum proximum ſæcularem: ad quem pertinet ſequentem columnam inchoare, uti ſupra exponebatur.

Hanc dubiorum Appendicem Problemati adiiciendam curavit Auctor Cycli Octagrammi, ut oſtenderet in eodem contexendo Cyclo juxta leges à Gregorio poſitas, tam de cavenda quartadecima, quàm de vera die Lunæ quotidie enuncianda fideli populo ſedulò cogitaſſe; cùm inventum illud proponeret, non modò ut Paſchatis ordinandi methodum cujuſcumque erroris expertem, verùm etiam uti praxim tutiſſimam perficiendi omnia, quæ fuerant à Gregorio conſtituta in Bulla Kalendarii; licet univerſa iſta complecti, & implere quamplures ejus ætatis docti Viri deſperaſſent: quæ Mathematici noſtrorum temporum præſtari poſſe confidunt.

APPENDIX ALTERA
AD SOLUTIONEM PROBLEMATIS
IN QUA
Oſtenditur ratio decimæquartæ Paſchalis numerandæ,
ET
Anni Solaris quantitas ex obſervationibus definitur, ad Sedem Æquinoctii Gregoriani confirmandam.

DUo fuerant præmiſſa in ſolutione Problematis, & ſuppoſita ab Auctore, tanquam alibi demonſtrata; aliud nempe circa Æquinoctii ſedem ritè attributam diei 21. Martii in anno Gregoriano, quod ſupponendum eſſe tradidit poſtulato tertio; alterum verò circa numerationem ætatis Lunæ propoſitam poſtulato quarto, ac definitione quinta. Utrumque id eſſe luculentiùs à ſe declarandum ſtatuit in hac ſecunda Appendice: quam exſcribit ex fuſiori diſputatione, alibi à ſe pertractata. Initium verò faciet ab illa quæſtione, quæ ad Lunam pertinet: ut eâdem abſoluta, ad anni modum, & Æquinoctii ſedem confirmandam pars altera hujus Appendicis procedat.

APPENDICIS
PARS PRIMA.
Oſtenditur ratio decimæquartæ Paſchalis, & cujuſcumque diei Lunæ numerandæ.

DIxeram Poſtulato Quarto, quamlibet Lunæ diem juxta motus medios ſuas 24. horas extendere ad duas diverſas dies civiles, quando punctum Novilunii medii non incidit in punctum mediæ noctis, unde ſumitur exordium diei civilis juxta receptum Eccleſiæ morem. Hinc verò oriebatur quæſtio, num

 ſcili-

ſcilicet tribuenda eſſet Novilunio dies prima civilis, in quam incidit initium horarum 24., an verò dies ſubſequens, in quam finis earundem 24. horarum incurrit. Præterea dixeram, Patres Alexandrinos proximè poſt Nicænam Synodum appellaſſe diem Novilunii eam diem civilem, in quam incideret initium horarum 24., communem praxim ſequutos Romanorum, & Ægyptiorum, apud quos inoleverat uſus à pluribus Sæculis ita numerandi ætatem Lunæ. Deinde addideram, nos è contra auſpicari nomen dierum Lunæ juxta praxim recentiorem, non à primo illo termino horarum 24., ſed à poſtremo: ita ut appellemus Lunam primam eam diem civilem, qua complentur 24. horæ à puncto Novilunii medii numeratæ; non verò diem præcedentem, quæ continet initium earundem 24. horarum. Denique affirmo, etiam Patres Alexandrinos hanc ſecundam praxim aliquando ſecutos fuiſſe, potiſſimè verò ætate S. Cyrilli. Hæc omnia, quæ poſtulati loco aſſumebamus, erunt hìc exponenda nitidiùs, & antiquorum teſtimoniis confirmanda. Quæ ut ordine percipiantur, tranſcribam ad verbum partem diſputationis de cavendo concurſu Paſchatis Chriſtiani cum quartadecima, alibi à me pertractatam. Ea verò eſt hujuſmodi.

Lunatio ſolida juxta medios motus (de quibus eſt ſermo cùm ætatem Lunæ ad Paſcha referimus) ex omnium Aſtronomorum ſententia ab Hipparchi ſæculo ad noſtrum extenditur ad dies ſolidos 29., horas 12. minuta 44. ſecunda 3. Hujuſmodi periodi Synodicæ initium ſeu Epocha deſumitur à jugo ſeu coniunctione Luminarium media: ita ut dies prima Lunæ conſtet horis 24., numeratis ab illo temporis exordio, quo jungebantur per medios motus lineæ, in eodem plano circuli, Zodiaco inſiſtentis ad rectos angulos, ductæ ad utrumque ſidus ex centro motuum eorundem. Abſolutis horis 24., quibus prima illa dies Lunæ conſtat, continenter fluunt 24. horæ diei ſecundæ: poſt hanc totidem tertiæ diei: donec ea ſumma horarum 24., quæ occurrit loco quartodecimo, dum init hora ejus prima, ferat decimamquartam Lunæ diem ineuntem, & hora ejus 24. concludat eandem quartamdecimam deſinentem: unde continenter trahitur hora prima diei illius XV. à jugo Luminarium: cujus diei horæ 18., & min.22. referunt Plenilunium, ſive oppoſitionem, mediis pariter motibus definitam.

Jam verò, cùm expanſio illa horarum 24., quibus conſtat dies quartadecima menſis Synodici ſeu Lunationis, diverſimmodè poſſit incidere in horas 24., quibus unaquæque dies civilis, & Eccleſiaſtica conſtituitur; vario etiam modo accipi poteſt concurſus illius Lunaris diei cum civili Romanorum, ſeu communi, & Eccleſiaſtico. Quod ut nitidiùs exponatur; recolendum

eſt,

eſt, diem civilem, à Romanis, imò & ab Ægyptiis olim, nunc verò ab Eccleſia uſurpatum, exordium nanciſci in mediæ noctis articulo, unde jejuniorum, & Feſtorum, ac Feriarum Epochæ deſumuntur; & produci per horas 24. ad mediam noctem ſubſecuturam. Quod ſi Lunationis ſeu menſis Synodici periodus conſtaret diebus ſolidis, nulla horarum aut minutorum fractione interciſis; eſſentque dies omnes æquabiles; ut Luna ſemel ſupponeretur jugum ſubiſſe in articulo mediæ noctis; dies prima Lunæ cum die civili, & Eccleſiaſtica conſentiret adamuſſim; ſecunda cum ſubſequenti; & decimaquarta dies Lunæ iniret pariter ineunte Eccleſiaſtico die: cum quo ſimiliter abſolveretur in mediæ noctis articulo. Neque aliter eveniret in Lunæ renovatione; ſi unaquæque periodus menſtrua, uti ante diximus, diebus ſolidis perficeretur. Verùm quia menſis, ſive periodus Lunæ Synodica, præter dies ſolidos 29. numerat etiam horas 12. cum minutis 44., & ſecundis 3.; neceſſe eſt quamcumque diem Lunæ modò cum hac, modò cum illa parte diei Eccleſiaſticæ componi: atque adeò & primam, & ſecundam, & quartamdecimam diem Lunæ, ut plurimum, ex horis 24., quibus conſtat, aliquot habere communes cum iis, quæ ſuperſunt uſque ad mediam noctem unius diei Eccleſiaſticæ; ceteras verò extendere poſt mediam noctem ad diem Eccleſiaſticam ſubſequentem. Quæ cum ita ſint; nemo non videt, oriri ſtatim dubitationem, num concurſus Quartædecimæ Paſchalis cum die Eccleſiaſtica, vetitus auctoritate Pontificum & Conciliorum, utramque illam afficiat diem, quæ inficitur horis ad quartamdecimam pertinentibus, aliis quidem ante mediam, aliis verò poſt mediam noctem; an potiùs dicendum ſit, unam tantummodò iſtarum dierum eſſe à communione Paſchatis ſegregandam. Ut verum fatear, ea de re nihil lege cautum reperimus: Quapropter ex conſuetudine oportet judicare.

Antiquis Patribus Alexandrinis perſæpe placuit, unam tantummodò diem ab incurſu XIIII. inutilem reddi Chriſtiano Paſchati. Cùm enim Ægyptio ac Romano more diem civilem putarent à nocte media in aliam ſubſequentem mediam noctem; quidquid hoc ſpatio temporis contigerat, diem ſui ortus numerabat primam cum horis diei civilis: ita ut, ſi Luna accenderetur horis quatuor, aut ſex poſt noctem mediam, unde civilis uſus numerare incipit Kalendas Januarii, uſque ad proximam mediam noctem, dies prima tribueretur ipſis Kalendis: quibus pariter aſſignabatur, etiamſi poſt meridiem, aut etiam poſt Solis occubitum fuiſſet accenſa. Teſtis eſt Cenſorinus de die Natali Cap. XXIII., id Romanis paſſim fuiſſe uſurpatum. Ait enim. „ *Romani à media nocte ad mediam noctem diem eſſe exi-*

„ *exiſtimaverunt. Indicio ſunt Sacra publica, & auſpicia etiam*
„ *Magiſtratuum, quorum ſi quid ante medium noctis eſt actum,*
„ *diei, qui præcedit, adſcribitur: ſi quid autem poſt mediam no-*
„ *ctem, & ante lucem factum eſt, eo die geſtum dicitur, qui eam*
„ *ſequitur noctem. Idem ſignificat, quod qui à media nocte ad*
„ *proximam mediam noctem, in his horis quatuor & viginti na-*
„ *ſcuntur, eundem diem habent natalem.* Hæc Cenſorinus perſcribebat anno Chriſti 238.: quo ſcilicet Sæculo Latinorum & Alexandrinorum Cycli Paſchales precipui in uſum inducti ſunt: unde apparet, Patres ita ſe conformare voluiſſe Romanis moribus in advocandis dierum initiis à media in mediam noctem; quemadmodum in tribuendo eidem diei civili Romanorum quidquid horis quatuor & viginti contigerat, à media in mediam noctem numeratis. Quare dicendum eſt, etiam Novilunium, ſive primam Lunæ diem fuiſſe à Patribus appellatam eam diem civilem, cujus in horam aliquam ex 24. à media in mediam noctem excurrentibus incidiſſet jugum, ſeu conjunctio utriuſque ſideris juxta motus medios. Sive accenſio Lunæ contingeret hora una poſt mediam noctem, ſive diluculo, ſive meridie, ſive horis pomeridianis, ſive etiam poſt Solis occubitum, dummodo ante horam mediæ noctis conſequutæ; Lunam primam habendam eſſe duxerunt eam diem civilem, quæ communi uſu fluere diceretur horis illis ſpatii νυχθημέρυ horarum 24.; Romanam verò diem ſubſequentem Lunæ ſecundæ tribuerunt, licet aliquot horas complecteretur reſiduas ex 24. primis à jugo medio: eodemque ordine tertiam, quartam, & reliquas Lunæ dies, adeoque etiam quartamdecimam cum civilibus Romanis ita reſpondentibus conjunxerunt.

Quod ex Cenſorino retulimus ætate ſua fuiſſe uſurpatum apud Romanos, conſuetudinem ſcilicet diei putandæ à media in mediam noctem, id à Sacerdotibus ſuis eoſdem hauſiſſe teſtatur Plinius: qui etiam aſſerit, Ægyptiis pariter id fuiſſe conſtitutum, necnon Aſtronomorum principi Hipparcho. Nam libro ſecundo cap.77. hæc apud Plinium legimus: *Ipſum diem alii aliter obſervavere: Babylonii inter duos Solis exortus: Athenienſes inter duos occaſus: Vmbri à meridie in meridiem: vulgus omne à luce ad tenebras: Sacerdotes Romani (& quidem diffiniere civilem) item Ægyptij, & Hipparchus à media nocte in mediam.* Aulus Gellius Noctium Atticarum lib.3.cap.2. non modò Sacerdotum, ſed etiam Mutii Scævolæ, Maximo Romanorum Pontificatu perfuncti, & Juriſconſultorum ſententia idem confirmat. A Varrone verò, ac Virgilio ejus rei luculenta repetit teſtimonia. Jiſdem Teſtibus utitur Macrobius primo Saturnaliorum cap.3. *Populum Romanum*, inquit, *ita*

uti Varro dixit, dies ſingulos annumerare à media nocte ad mediam proximam, multis argumentis oſtenditur. Sacra ſunt enim Romana partim diurna, partim nocturna. Et eis, quæ diurna ſunt, ab hora ſexta noctis præcedentis; ſequentis verò nocturnis Sacris tempus impenditur. Ad hoc, ritus quoque, & mos auſpicandi eandem eſſe obſervationem docet. Nam Magiſtratus, quando uno die eis & auſpicandum eſt, & id agendum, ſuper quo proceſſit auſpicium; poſt mediam noctem auſpicantur, & poſt exortum Solem agunt: auſpicatique, & egiſſe eâdem die dicuntur. Præterea Tribuni Plebis, quos nullum diem integrum abeſſe Roma licet, cum poſt mediam noctem proficiſcuntur, & poſt primam facem ante mediam noctem ſequentem revertuntur, non videntur abfuiſſe diem: Quoniam ante horam noctis ſextam regreſſi, partem aliquam illius in Urbe conſumunt.

Concordi ergo ſuffragio tantorum Virorum ab Hipparcho ad Macrobium, nempe à Sæculo ſecundo ante Chriſtum Dominum ad extremum Sæculi quarti Æræ Chriſtianæ, in Ægypto, & apud Romanos videmus eam conſuetudinem obtinuiſſe, ut à media in mediam noctem dies civiles putarentur: ita ut eidem diei civili tribuendum eſſe ducerent eorum Sacerdotes, & Juriſconſulti quidquid poſt mediam noctem fieri contingeret ad ortum Solis, ad meridiem, ad Solis occaſum, ad primam facem, & nocte intempeſta, modò ne attingeret punctum noctis mediæ proximè ſubſequentis. Hac igitur de cauſa, & Luna, quæ accenderetur poſt occaſum Solis Kalendarum Januarii, ante mediam noctem, unde dies altera captura erat exordium, nomen Lunæ primæ extendere jure poterat civili modo ad horas præcedentes 23.: ita ut ipſa media nocte poſt diem 31. Decembris, quando auſpicamur Kalendas Januarii ineuntis, dici jàm poſſet inire dies Novilunii medii, licet jugum utriuſque ſideris poſt horas 23. ab illa media nocte committi deberet. Eadem verò de cauſa poſt alios dies 12. evolutos à fine Kalendarum Januarii, nempe exacto ſpatio diurno Iduum Januarii, quando media nox jàm appetiit inchoans diem civilem poſtridie Idus appellatam, ea dies civili uſu haberi jure poterat 14. Luna, etiamſi ex horis 24., quibus conſtabat, poſtrema tantùm hora, ſive etiam horæ pars communis eſſet veræ quartædecimæ diei Lunationis mediæ: Quod tunc evenit, quando punctum Plenilunii medii poſt mediam noctem diei XIIII. Januarii per quidpiam temporis minus, quàm per horas 18., & min. 22. ſubſequitur. Manifeſtum id fiet in ipſo annorum Julianorum exordio. Eminentiſſimus Card. Noriſius adnotavit, diſſertatione de Paſchali Latinorum Cyclo pag. 1., Kalendis Januarii, annum primum Julianum aperientibus, qui fuit à Parilibus Urbis conditæ

ditæ 709. eodem Imperatore Cæſare Quartùm Conſule, ante Æram Chriſti 45., accidiſſe Novilunium, uti ſupputat Paulus Middelburgenſis lib.2. Paulinæ hor.7. 6. 35. poſt meridiem; ſive juxta calculos Stoefleri propoſit.34. lit.Ii. hor.6.44. 55., ita ut ab eadem die Kalendarum Januarii tum Solaris anni tunc inſtituti, tum etiam Lunaris antiquitùs ſervati unà duceretur exordium. Erant quidem, quando Luminarium conjunctio contigit, horæ ſeptem à meridie Kalendarum Januarii, & novemdecim à media illa nocte, unde auſpicium ducebatur earundem Kalendarum ineuntium, ita ut horæ tantùm quinque poſt Novilunium ſupereſſent ex iis 24., quibus dies Kalendarum conſtabat. Attamen ipſæ Kalendæ ſunt Novilunio inſcriptæ; & dies anni princeps, eadem & Lunæ prima habita eſt: ita ut horæ illæ novemdecim præcedentis Lunationis poſtremæ civili modo Lunæ primæ nomen à quinque reliquis deſumerent: ex conſuetudine ſcilicet Romanorum, à Varrone, Plinio, Cenſorino, Gellio, Macrobio, ceteriſque Auctoribus confirmata: qua eidem diei tribuebatur quidquid aliqua horarum civilium 24. à media in mediam noctem numerando contigiſſet. Eo igitur anno punctum Plenilunii medii poſt dies 14. horas 18. minuta 22. à Novilunio (in quo Luna apogæum tenens medios cum veris motibus conſerebat) refertur ad diem 16. labentem, hora 13. circiter poſt mediam noctem, unde illa dies cœpit: & civili uſu Romanorum, ac Ægyptiorum dies 14. Januarii fuit XIIII. Lunæ. Cum verò dies 14. Januarii exordium duxerit horis 61. ante ipſam horam tertiamdecimam diei 16. labentis Januarii; neceſſario fatendum eſt, more Romanorum, & Ægyptiorum, initium decimæquartæ civilis eo menſe præcurriſſe punctum Plenilunii medii horis 61. Tanta ferme eſt præceſſio maxima, quam Patres Alexandrini in Cyclo Paſchali, per ipſos edito proximis annis poſt Nicænam Synodum, ferendam eſſe duxerunt, anno præſertim 343., quo Plenilunium incidit in horam meridianam Romæ, ſive ſeſquialteram poſt meridiem Alexandriæ; cùm tamen quartadecima, ex Cyclo attributa diei 25. Martii, punctum Plenilunii præcederet ſuo in exordio à media nocte ſumpto totis 60. horis in meridiano Romano, & pluſquam 61. in meridiano Alexandrino. Hanc enim præceſſionem omninò legitimam reddebat uſus civilis, referens ad diem ſolidam civilem quidquid aliqua horarum 24. diei ejuſdem contingebat.

In hac Ægyptiorum Patrum conſuetudine ſatis cavebatur concurſus XIIII. Lunæ cum die Paſchali, quando dies civilis attributa XIIII. Cycli complectebatur aliquam horam ex pertinentibus ad quartamdecimam diem Lunationis mediæ: & dies illa civilis

civilis

Dies Synodi ex jugo medio Luminarium.

Martij	*Aureus numerus Cycli PP. Alexandrin. juxtà Epiſcopum Foroſempronien.*	*In prima enneadecaeteride ætate Concilii Niceni.*	*In prima enneadecaeteride Cycli Theophili ex motibus mediis.*	*In ſecũda enneadecaeteride Theophili ex motibus mediis.*	*In prima enneadecaeteride Cycli S. Cyrilli ex motibus mediis.*	*Aureus numerus Patrum Alexandrinorum juxta Epiſc. Foroſẽprõ. & P. Bucherium.*
6						
7		XVI	XVI	XVI	XVI	
8	XVI		V			XVI
9	V	V		V	V	V
10			XIII		XIII	
11	XII	XIII	II	XIII		XIII
12	II	II		II	II	II
13		X	X	X	X	
14	X			XVIII		X
15		XVIII	XVIII		XVIII	
16	XVIII	VII	VII	VII	VII	XVIII
17	VII				XV	VII
18		XV	XV	XV		
19	XV				IV	XV
20	IV	IV	IV	IV		IV
21		XII	XII	XII	XII	
22	XII		I		I	XII
23	I	I		I		I
24			IX	IX	IX	
25	IX	IX	XVII			IX
26		XVII		XVII	XVII	
27	XVII	VI	VI	VI		XVII
28	VI			XIIII	VI	VI
29		XIV	XIV		XIV	
30	XIIII			III	III	XIV
31	III	III	III			III
Aprilis 1		XI	XI	XI	XI	
2	XI					XI
3		XIX	XIX	XIX	XIX	
4	XIX			VIII	VIII	XIX
5	VIII	VIII	VIII			VIII

civilis eadem non erat, ac Paſchalis Dominica. Quare in Tabella paulò ante impreſſa, & Patrum Teſtimoniis comprobata (cui etiam non abſimilem edidit Pater Guldinus in refutatione Elenchi Kalendarii Calviſiani cap.7. pag.206.) videmus haberi legitimum tempus decimæquartæ Lunæ eas etiam dies, quarum civile exordium præcedit oppoſitionem mediam horis 60. Conſulantur in eadem Tabula anni præſertim 327. 342. 343. 346. 362. 363. 383. 399. 403. 419. &c.

Poſterioribus tamen ætatibus præceſſio tanta diſplicuit. Altera enim præceſſio Lunaris acceſſerat, qua intra 312. annos Julianos Novilunia prævertunt diem ſolidam. Hæc verò cum Plenilunia admoveret diebus decimæquartæ attributis ex Cyclo, qui perſeverabant immobiles; neceſſariò etiam imminuit intervallum præceſſionis maximæ horarum ſexaginta, quæ priùs numerabantur inter initium quartædecimæ civilis, & Plenilunium. Quum igitur ætate Victorii Aquitani nullum jam ſupereſſet adeò ſegne Plenilunium, ut pluſquam die ſolida diſtaret à decima quarta Cycli; in conſtructione Periodi ſuæ potuit is de Lunæ diebus aliter ſentire, ac Romani illi veteres, & Ægyptii. Potuit negare nomen Lunæ primæ Kalendis Januarii, cum Luminarium conjunctio caderet in horas veſpertinas poſt meridiem Kalendarum. Potuit ad ſequentem diem Lunationis initium referre: & concurſum decimæquartæ cum Paſchate ita cavere, non ut primi Patres Alexandrini horarum paucarum ſpatio; ſed ſolidæ quartædecimæ diei mediæ, ejuſque 24. horarum excluſione à die Dominica Paſchali.

Addidi, *ut primi* Patres Alexandrini, ad indicandam eam differentiam conſuetudinis, quæ in hujuſmodi putatione intercedit inter Priores illos, Nicæno Concilio proximos, & alios poſteriores ſubſequentium ætatum, præcipuè verò S. Cyrillum. Nam ſi diſponantur per Tabellam Aurei numeri Patrum Alexandrinorum, quod præſtitit doctiſſimus Epiſcopus Foroſemproníenſis in ſua Paulina lib.3., ut appareat ad quas dies civiles referrentur ab ipſis Novilunia menſis primi: deinde per medios motus comparentur cum jugo Luminarium medio; nempe cum initio horarum 24., quæ primam diem Lunæ mediam conſtituunt; conſtabit, prima enneadecaeteride, ab anno Chriſti 323. ad 341., quam ſpectare dicimus ad antiquiores illos Patres Ægyptios Concilio Nicæno proximos, nempe Athanaſium, ejuſque æquales; & prima pariter enneadecaeteride Cycli Theophili ab anno 380. ad 399.; conſtabit, inquam, quinque Priores annos Cycli tribuere Lunam primam diei civili, qua commiſſum Novilunium medium duxit initium horarum 24.: prout etiam conſtabit, in primo Cyclo S. Cyrilli, nempe anno

no 418. adſcribi è contra diem primam Lunæ Paſchalis, principis anni in Cyclo non quidem diei civili, qua Luna jugum ſubiens exordiebatur horas 24., ſed ſubſequenti diei, qua eaſdem 24. complevit, juxta eam praxim poſteriorem, quam hodie retinendam cenſemus. Imò cognoſcetur evidenter ex comparatione, in illa enneadecaeteride Cyrilli, ex annis undeviginti, tres tantùm, nempe II. V. VI. ordiri Paſchalem neomeniam à die civili, in quam cadit exordium jugi, ſive horarum 24.; reliquos verò ſexdecim annos Novilunia referre ad diem ſequentem, qua occurrit poſtremus terminus horarum 24.: unico autem anno, nempe XV. Cycli, adverti poterit, Lunam primam etiam ſeriùs adnotari, nempe die altera à puncto jugationis mediæ: ne ſcilicet duplex aureus numerus eidem diei tribueretur; cum præcedens dies, ad quam fuiſſet referendus ex jugo medio ineunte Aureus numerus XV., conſignata jam eſſet aureo numero VII.: quæ omnia licet perſpicere in Tabula adiecta.

Confirmavit poſteriorem hanc methodum numerandorum dierum Lunæ à complemento horarum 24. præceſſio motus Synodici, non ſatis ante explorata. Quin etiam alterius ſententiæ inducendæ apud poſteros occaſionem dedit. Ætate enim Bedæ, quando Lunaris illa præceſſio non diremerat modò intervallum horarum ſexaginta, ſed quartasdecimas Cycli Plenilunio ipſi poſtpoſuerat, viſum fuit comminiſci aliud oportere circa Epochas dierum Lunæ, ut cum Cycli numeris componi poſſent. Maluerunt Chronologi illius ætatis, Lunationis exordium ſumere, non à Synodo Luminarium media; ſed à Lunæ phaſi φάσει, quando ſcilicet Luna extra Solares radios poſita, poſtridie, ſive etiam die altera poſt conjunctionem mediam, fieri poſſet in Cœlo conſpicua: licet huic ſententiæ intercederet tum nomen menſis Synodici, tum Synodus ipſa oculis manifeſta, quoties interpoſita Luna Terram inter & Solem per Eclipſim eandem proderet. Tum verò perſæpe contingebat, ut illa quartadecima Bedæ ac poſterorum, Plenilunio tardior, cujus concurſus cum die Paſchatis cavebatur, incurſum Paſchæ induceret in XXIII. aut XXIV. diem Lunationis mediæ, nullis antiquorum exemplis permiſſum, ut Sanctus Innocentius Papa Sæculo IV. diſertè ſcripſerat in Epiſtola ad Aurelium, quæ numero habetur XI. apud Labbeum.

Hæc diſcrepantia Lunaris motus à Cyclo, irriſione à Judæis excepta, & in Conciliis Conſtantienſi, ac Lateranenſi à doctiſſimis, & religioſiſſimis Epiſcopis propoſita, deteriorem luxationem in dies cum induceret, felici tandem cura Gregorii XIII. ſublata fuit, quando revocari omnia juſſit ad praxim Sanctorum

rum

rum Patrum, potiſſimè Nicænorum. Videbatur itaque non incongruum, ſed Pontificiæ legis inſtituto reſpondens illam ſequi rationem Epactæ, quæ Romano & Ægyptio more pateretur quartasdecimas dies Lunæ ritè appellari poſſe civiles illas ſive Eccleſiaſticas, quarum horæ aliquot eſſent communes initio quartædecimæ, computatæ à jugo Luminarium medio, uti ante diximus perſæpe uſurpatum à Patribus Alexandrinis ævo Niceno. Unde etiam conſequebatur, ſatis caveri concurſum decimæquartæ cum die Paſchali, ſi dies illa civilis, complectens horas nonnullas, ſaltem priores Lunæ XIIII. excluderetur à Feſto Paſchali, etiamſi dies proxima civilis, quæ multo plures horas diei 14. Lunæ habet communes, permitteretur, exemplo Patrum, cum Dominica Paſchatis noſtri concurrere. Id verò præſtat Epacta Tetraeterica ad uſum Chronologorum adinventa ab Adm. Reu. Patre Guillelmo Bonjour Toloſano, edita anno 1702.

Expendere tamen oportet momenta rationum, quibus pertrahitur Auctor Cycli Octagrammi ad aſſentiendum potiùs alteri ſententiæ, quæ tribuit nomen Lunæ primæ diei civili, complectenti ſuo ſpatio νυχθημέρῳ non quidem principem, ſed poſtremam horam ex illis 24., quæ primùm numerantur à jugo medio. Hanc enim conſuetudinem deſcendere palam eſt ab ipſis eorundem Patrum Alexandrinorum Cyclis, in quibus etiam prior illa permiſcebatur: cum paulò ante oſtenderim in Tabula enneadecateridum Alexandrinorum Antiſtitum, in pluribus Cycli annis dilatum fuiſſe nomen Lunæ primæ ad eam diem, quæ continebat horam quartam ſupra viceſimam à jugo medio; licet etiam aliis annis conſignaretur neomenia, ubicumque occurriſſet initium earundem horarum 24. à jugo medio ineuntium: quod partim ex præceſſione Lunæ derivari diximus; partim è ſtudio avertendi concurſum duplicis numeri Aurei enneadecaeteridis in eandem diem. In enneadecaeteride, proxima, imò & æquali Nicænis decretis, à primo termino horarum 24. numerant Lunam primam anni Cycli 1. 2. 3. 4. 5. 8. 9. 13.; reliqui verò anni nomen Lunæ primæ deferunt diei civili quæ ipſam horam 24. continet poſt jugum medium. Cyclus Theophili inductus anno 380. in prima enneadecaeteride Lunam primam putat à poſtremo termino horarum 24. omnibus annis præter III. IV. VII. & VIII. In XVII. paulò tardiùs etiam differt Synodum Cycli poſt horas 28. à jugo medio evolutas in meridiano Romano, quæ in Alexandrino tamen eſſent $26\frac{1}{2}$. Cyclus verò S. Cyrilli ejuſque prima enneadecaeteris reſpondens annis à 418. ad 437. omnibus annis computat à poſtremo termino, præterquam II. III. V. & VI. & anno XV. totas 24.

horas

horas præmittit à jugo medio, antequam in Cyclo numeret Lunam primam. Varia igitur praxis uſu recepta per eas ætates putandorum dierum Lunæ, tum ab exordio, tum à fine horarum 24., quemadmodum legitimam redderet Hebræis utramque quartamdecimam, vel ab exordio, vel à fine horarum 24. deſumptam; ita etiam neceſſarium hoc nobis videtur innuere, ut totas 24. ad quartamdecimam pertinentes evitare, ac præmittere curemus; ne legitimam quartamdecimam Hebræorum & Teſſaradecaitarum cum noſtro Paſchate committamus.

Hæc itaque cùm adverteremus, & inſuper cùm alii monerent, Cyclum Alexandrinorum non æquè receptum fuiſſe apud Eccleſias Occidentales per eam ætatem, qua initium decimæquartæ Cycli præcedebat mediam oppoſitionem horis ſolidis ſexaginta; ſed tum demum initam fuiſſe concordiam Græcos inter, ac Latinos Patres, quum Hilari Papæ juſſu Canonem ſuum Victorius inſtrueret: in quo rationes utriuſque praxis mollire, & ad conſenſum veluti adducere viſus fuit, ſublata ſcilicet intercapedine tot horarum, quæ priùs intercedebant inter præcocem illam decimamquartam Romani, & Ægyptii moris, ac Plenilunium medium; hæc inquam cùm adverteremus; & cùm alii opportunè monerent; occurrit animo quidpiam æquabilius conſtituere de cavendo concurſu XIIII. cum die Paſchali; ſive potiùs de interpretatione concurſus illius, quem Canonicæ leges avertunt. Quoniam igitur horæ 24. conſtituentes diem 14. mediam à jugo putatam, ferè ſemper diſpertiuntur in duas dies civiles, ita ut initium decimæquartæ ſpectet exempli gratia ad Feriam V., & finis decimæquartæ excurrat in Feriam VI.; dubium verò erat, an excluſio unius tantùm diei, in quam cadit initium, ſufficeret; certum verò apud omnes erat, utilem diem eſſe Paſchati eam, quæ nec initium, nec finem 14. mediæ complecteretur, ſed utrumque extremum præmitteret ante mediam noctem, à qua Dominica Paſchalis eſt auſpicanda; conſultius eſſe mihi videtur tutiorem hanc ſententiam ſequi, omnium ſuffragiis comprobandam, imò & ante conſtitutam inter Hypotheſes à Congregatione ſubſcriptas ſub Gregorio XIII., ut ſupra retulimus pagina xvj.; quæ ſolidas 24. horas Lunæ quartædecimæ à jugo medio abſolvi curat, ante ingreſſum diei Dominicæ. Cum enim cavere jubeamur concurſum Paſchatis cum quartadecima; unuſquiſque fateri debet, omninò caveri decimamquartam ab illa die Dominica, cujus in partem nullam incidit ulla ex iis 24. horis, quibus extenſio quartædecimæ componitur: quod fieri nemo negaverit, quando horæ iſtæ quatuor & viginti, quibus illa conſtat, integrè abſoluuntur, antequam appetat punctum mediæ noctis, unde Eccleſia incipit diem Sab-

bati à Dominica ſegregare. Poteſt itaque omnium conſenſu Dominica illa haberi Paſchalis juxta Canones, cujus hora nulla communis eſt parti alicui decimæquartæ Lunæ, mediis motibus à jugo numeratæ. Hanc verò excluſionem omnimodam decimæquartæ Lunæ, ejuſque partium ſingularum à die Paſchali ſanctè cuſtodire conatus eſt Auctor ſolutionis Dubii, ſeu Problematis Paſchalis per Cyclum octagrammum adhibitum Periodo annorum 1184. Pari etiam diligentia excluſit à communione diei Paſchalis diem Lunationis vigeſimamtertiam: cujus horam nullam eſſe illi communem in Paſchate ex Cyclo permiſit. Indulgentiùs egit cum die XXII.: quæ licet nunquam occupet totis horis 24. ſolidam diem Paſchatis; attamen aliquot illius horas fluere communes patitur quandoque cum die Paſchali, dummodo etiam XXI. dies Lunæ aliquot ex ſuis in Paſcha tranſmittat. Ita enim fit; ut intra diem XXI. retineatur Solemnitas Paſchæ; cùm ei diei civili tribuendam eſſe conſtituerit diem Lunationis mediæ, in quam ejus horæ poſtremæ, à jugo numerandæ per horarum 24. periodos, incidebant.

Hæc igitur à nobis inita eſt ratio cavendæ in Paſchali Feſto quartædecimæ, ac vigeſimæprimæ retinendæ; ſeu, quod idem eſt, tertiæ hebdomadis Lunæ non excedendæ: prout SS. Patrum monita, & leges Pontificum atque Conciliorum, Sanctæ diei Myſteriis ritè proſpicientes, à nobis poſtulant.

Ratum itaque ſit, tum demum ſatis caveri decimæquartæ incurſum in Paſchatis diem, cùm à jugo Luminarium juxta motus medios tamquam ab Epocha exorſi, vicibus quatuordecim numeramus horas ſolidas quatuor & viginti, antequam ineat media nox illa, quæ diei Dominicæ Paſchalis initium habetur.

Ratum pariter ſit, caveri pariter in eadem Solemnitate excurſum ultra hebdomadam tertiam Lunæ, quando numerantibus nobis à jugo Luminarium juxta medios motus, tamquam ab Epocha, vicies & bis horas ſolidas quatuor & viginti (quod ſpatium abſolvit Lunæ diem XXII.) peracta jàm eſt dies Paſchalis; & media nox, qua expirat dies Dominica, jàm effluxit: ita ut nulla iſtius Feſti hora ſuperſit evolvenda, ſed jàm proceſſerit auſpicium Feriæ ſecundæ poſt Dominicam abſolutam.

Martii dies		*Litera Dom.*
8	D	
9	E	*Dom.*
10	F	
11	G	
12	A	

Quod ſi exemplo illuſtranda ſententia ſit, ſupponamus inire diem Dominicam ipſo in articulo mediæ noctis, ſubſecutæ poſt diem Sabbati 8. Martii alicujus anni, cujus Litera Dominicalis ſit E., & horis duabus antequam illa media nox iniret ſupponamus contigiſſe Luminarium Synodum juxta medios motus. Inde numerandæ ſunt horæ 24. pertinentes ad diem primam Lunæ: quæ dies prima Lunationis mediæ concludetur die 9. Martii, ipſa Dominica nondum completâ, nempè horis duabus ante

mediam

mediam noctem, ſive horis duabus antequam auſpicemur Feriam ſecundam. Ità procedentibus per vices tredecim totidem diebus Lunationis mediæ, demum initium Lunæ quartædecimæ hac in hypotheſi reputabitur die 21. Martii horis duabus ante illam mediam noctem, quæ claudet ipſam diem 21. Martii cum Feria VI., & aperiet diem 22. Martii cum Sabbato. Rurſum evolutis ab eadem Epocha Novilunii medii vicies & ſemel horis 24. (quod continget hoc in exemplo horâ ſecunda ante illam mediam noctem, quæ claudet diem civilem 29., & aperiet 30. Martii); terminus ille, unde incipit hora ſecunda ante mediam noctem ità deſignatam, exordium eſt Lunæ 22., quæ concludetur poſtridie, eâdem horâ ſecundâ ante illam mediam noctem, unde auſpicari oportet 31. Martii, ſeù pridie Kalendas Aprilis. Eâdem verò horâ ſecundâ init dies 23. Lunæ ex motibus mediis collecta: quæ abſolvetur Kalendis Aprilis hora altera ante mediam noctem.

13	B	
14	C	
15	D	
16	E	*Dom.*
17	F	
18	G	
19	A	
20	B	
21	C	
22	D	
23	E	*Dom.*
24	F	
25	G	
26	A	
27	B	
28	C	
29	D	
30	E	*Dom.*
31	F	

Hac in ſuppoſitione dierum Lunationis mediæ, & Feriarum hebdomadis, in quas incidunt, ſi Paſcha celebraretur die Dominica 23. Martii; aſſero, caveri omninò concurſum Paſchæ cum quartadecima: cum nulla ex iis horis 24., quibus quartadecima conſtat, incidat in eas 24., quæ componunt diem civilem 23. Martii, à media in mediam noctem Ritu Eccleſiaſtico numerandam. Horæ enim illæ 24., quæ numerari cœperant ante mediam noctem appetentis Sabbati, adhuc labente Feria VI., abſolutæ ſunt poſtremis horis Sabbati ante auſpicium illius mediæ noctis, unde dies Dominica exordium capit. Quod ſi eodem anno ſtatueremus Paſchatis Feſtum celebrari die civili 30. Martii, aſſero hujuſmodi Paſcha exceſſurum tertiam hebdomadam Lunæ contra Sanctiones SS. Patrum. Nam dies 21. Lunæ (quæ ſuprema eſt hebdomadis tertiæ) inibat ante illam mediam noctem, à qua trahendum erat initium Sabbati 28. Martii, & claudebatur ipſo Sabbato nondum abſoluto, cùm nempe horæ duæ ſupereſſent ad mediam noctem ante ingreſſum Dominicæ. Igitur hora altera ante exordium Dominicæ expiraverat hebdomada tertia, ſeu Luna XXI.: & nondum completâ eâdem die Dominicâ inibat dies Lunæ 23., quam diximus hoc in exemplo auſpicari oportere duabus horis ante illam mediam noctem, quæ claudit diem Dominicam 30. Martii, & aperit 31. Martii, ſeu Feriam primam.

Satis, ut arbitror, explicuimus, qua ratione conſtet, à Patribus Alexandrinis poſt Nicænam Synodum declinatum fuiſſe concurſum Lunæ XIIII., Romano, & Ægyptio more putatæ, cum die Paſchatis: & qua ratione cavendum nobis eſſe duxerimus incurſum diei Paſchalis in quamlibet horam, licet poſtremam, Lunæ quartædecimæ, & in quamlibet horam, licet primam, Lunæ

 XXIII.

XXIII. Quando igitur in Cyclo Octagrammo, & in Periodo propoſita annorum 1184. propoſui cavendum concurſum XIIII. cum die Paſchali, & iſtius excurſum ultra tertiam hebdomadam Lunæ; profiteor id conſtanter præſtandum iri per Cyclum, & Periodum ita attemperatam in ſolutione Problematis, ut Luna quartadecima nunquam habeat horas communes cum die Paſchali; & dies Paſchalis commune ſemper habeat aliquod ſpatium temporis cum tertia hebdomada Lunæ, mediis motibus de more collecta.

Hoc unum addam, nempe attendentibus nobis aliquas Tabulas mediorum motuum intra annos millequingentos inducere differentiam horarii ſpatii, aut ferme ſeſquialteram, nempe ab aliis Tabulis diſſidere tanto fere intervallo temporis, quanto meridianus Romanus diſtat ab Hieroſolymitano, ſive ab Alexandrino verſus Orientem ſitis, & à Gaditano ſive ab extremis Europæ verſus Occidentem, nobis inquam hæc attendentibus viſam eſſe hujuſmodi differentiam in Cyclo negligendam; nam & ab aliquibus Tabulis abſumitur; vel certè æquatur ab his Meridianis: à Romano ità non diſſitis, ut ad eoſdem referri motus medii aliquando non poſſint in gratiam Cycli, exemplo S. Cyrilli.

APPENDICIS

PARS ALTERA.

Anni Solaris quantitas ex obſervationibus definitur, & comparatur cum Gregoriana.

IN ſolutione Problematis aſſumptum fuerat tamquam alibi demonſtratum, anni vertentis modum ità congruere cum Gregoriano, ut Æquinoctium optimè ſit conſtitutum die 21. Martii, quod in eandem cadere debeat verum, aut medium per plurima Sæcula: potiſſimè ſi poſt Periodum primam annorum 1184. Biſſextilis unicus elidatur. Pendet aſſumptum ex obſervationibus Æquinoctiorum ætatis noſtræ collatis cum præcedentibus.

Clariſſimus Aſtronomorum hujus Sæculi D. Io: Dominicus Caſſinus in Regia ſcientiarum Academia comparavit obſervationes Æquinoctiales anni labentis, habitas Bononiæ, Pariſiis, & Romæ, cum antiquiſſima ex Vernis Hipparchi, ante annos 1848. Gregorianos: quarum utramque doctiſſimè demonſtrat incidere in eandem diem, ac Feriam, & ferme in eandem horam: adeoque hoc temporis intervallo Periodum Æquinoctialem indicat conſtitui poſſe annorum Gregorianorum: quorum menſuram ità reſpondere docet Cæleſti ex hiſce obſervationibus, ut intra 12. ſecunda temporis ſingulis annis aberrari non poſſe oſtendat,

Quod

Quod ſi obſervatio Hipparchi, defectu organorum dubia intra ſex horas, de quarta illa diei parte non eſſet anceps; neque de illis 12. ſecundis horariis dubitaremus.

Comparavimus & nos eandem obſervationem Æquinoctii Verni, Romæ habitam hoc anno, & Autumnalem anni præcedentis cum pluribus Hipparchi, & Valtheri. Videmur intra hor. ſecunda circiter decem contraxiſſe differentiam anni vertentis obſervatam ab aſſumpta per Mathematicos Gregorianos: quæ cùm ad horas tres non pertingat intra annos mille, dicimus, anni modum à Gregorio aſſumptum aptè reſpondere Solis motui, diligentiſſimè obſervato.

Ex opuſculo ad prælum parato *de Numo, & Gnomone Clementino* tranſcribemus comparationem hujuſmodi Æquinoctiorum, præmiſſis obſervationibus: quas duplici via inſtituimus, nempe Aſcenſionum rectarum, ac Declinationum. Illas aſſequimur explorando intervallum temporis, interceptum à tranſitu centri Solis per Meridianum circulum ad tranſitum plurium Stellarum per eundem, ac potiſſimè Sirii, qui nitidè cernitur etiam in ipſo Meridie cum Sole per machinulam huic Gnomoni Clementino aptatam. Iſtas verò, hoc eſt declinationes, prodit Sol in tangente horizontali per radios limborum, methodo declarata in explicatione Lineæ Meridianæ Bononienſis, & in eodem Opuſculo Gnomonis Clementini ſupra indicato.

OBSERVATIONES ÆQUINOCTIORUM

Romæ habitæ in Gnomone Clementino.

Anno Æræ Chriſti 1702. Menſe Septembri die 23.

Horæ ab horologio indicatæ poſt merid. præcedentē diei 22. Hor.	*M.*	*S.*	*Horæ veræ H.*	*M.*	*S.*	
18.	27.	6	18.	33.	26	Sirius ad meridianum pertingit
23.	52.	32	23.	58.	52	Præcedens limbus Solis ad meridianum appellit
	54.	47	0.	1.	7	Subſequens limbus Solis ad meridianum devolvitur
						Ergo meridies hora horologii 23. 53. 39½ differ. horol. 6. 20½
						Tangentes limborum Solis in meridie cum penumbra { 90420. 88700. ſine penũbra { 90370. 88750.

Die

Horæ ab horol. ind.			*Horæ veræ*			
Hor.	*Min.*	*Sec.*	*H.*	*M.*	*S.*	Die Dominica 24. Septembris
23.	52.	29	23.	58.	52	Prior limbus Solis ad meridianum
	54.	45	0.	1.	8	Secundus limbus Solis ad meridianum

Ergo meridies hora horologii 23. 53. 37. diff. horol. 6. 23.
Heri fuerat 23. 53. 39 $\frac{1}{2}$ heri fuerat 6. 20 $\frac{1}{2}$

Horologium intra horas 24. 0. 0. 2 $\frac{1}{2}$ diff. 0. 2 $\frac{1}{2}$
accelerat per ſecunda horaria——————2 $\frac{1}{2}$

Tangentes limborum Solis { 91678. 89922. & ſine penumbra { 91628. 89972.

Die Martis 26. Septembris.

18.	16.	0	18.	22.	32	Sirius ad meridianum
23.	52.	20	23.	58.	52	Præcedens limbus Solis ad meridianum
	54.	36	0.	1.	8	Subſequens limbus Solis ad meridianum

Ergo meridies hora horologii 23. 53. 28. diff. horol. 6. 32.
ante duos dies fuerat 6. 23.

Tangentes limborũ Solis { 94222. 92410. duorum dierum diff. 9. diei unius diff. 4 $\frac{1}{2}$

& ſine penumbra { 94172. 92460.

Horologium ab excurſu ad recurſum Solis per meridianum numerat horas 24. 0. 4 $\frac{1}{2}$
& ab excurſu ad recurſum Sirii per meridianum numerat horas 23. 56. 20.

Quando itaque comparantur tempora ab horologio indicata inter obſervationes duorum corporum cęleſtium in meridiano, ſi addantur horologio per ipſius horas ſingulas ſecunda 9 $\frac{1}{6}$; horæ ita adauctæ ſunt primi mobilis, quarum ſingulæ 15. gradibus Æquatoris reſpondent, & differentiam Aſcenſionis rectæ inter eadem corpora deſignant.

Locus Solis ità obſervatus ex differentia Aſcenſionis rectæ cum Sirio die 23. Septembris invenitur in meridie 29. 52. 0. Virginis

Idem locus ex tangentibus meridianis utriuſque limbi Solis eadem die obſervatis 29. 52. 4. Virginis,

Quare Æquinoctium contigit die 23. Septembris horis 3. m. 15. poſt meridiem Romæ.

OBSER-

OBSERVATIONES ÆQUINOCTII VERNI

Romæ habitæ in Gnomone Clementino ad Thermas Diocletiani anno 1703. *menſe Martii.*

Horæ ab horologio indicatæ.	*Horæ veræ.*	
		Die 20.
6.38.14		Sirius ad meridianum.
		Die 21.
0. 4. 7	0. 0. 0.	Ex appulſu limborum Solis ad meridianam lineam, notante horologio min.4., & ſecunda 7. centrum Solis erat meridiano.

Tangentes tunc exceptæ { 90422. 88693. } cum penumbra — G. M. S.

Abſq;penumbra verò { 90372. 88743. } denot.gr.diſt.à vert. { 42. 6.19. 41.35.13.

Differ. 0.31. 6.

Semidifferentia 0.15.33.
41.35.13.
Refractio Caſſiniana dempta parallaxi ——— 0.47.

Diſtantia vera centri Solis à vertice 41.51.33.
Latitudo Urbis ad Thermas Diocletiani 41.54.27.

Declinatio centri Solis 0. 2.54. B

Sirius ad meridianum.

6. 34. 50. Ex duplici tranſcurſu Sirii per meridianum diebus 20. & 21. colligitur, horologium metiri integram Cæli converſionem diurnam, ſive gradus 360. æquinoctialis horis 23. min.56. ſecund.36. Quare ſi cuicunque horæ ab horologio indicatæ addantur ſecunda 8. cum dimidio, ſingulis horis ita adauctis reſpondent gradus 15. æquinoctialis, ſive hora una ſiderea. Comparatis igitur horis adlapſus Sirii & Solis ad meridianum, invenitur die 21. differentia horarum 6. 30. 43. horologii nempe 6. 31. 39. ſiderearum: quibus reſpondet arcus differentiæ aſcenſionis rectæ Sirii, & Solis graduum ——————— 97. 54. 45.
Subducendus ab aſcenſione recta Sirii gr. 98. 1. 30.

Ut reſultet aſcenſio recta Solis in meridie gr. 0. 6. 45.
Huic aſcenſioni rectæ reſpondet locus in Zodiaco gr.0. m.7. 18. Arietis, à Sole occupatus in meridie diei 21. Martii.

XI.

Idem omnino locus gr.o. 7. 18. Arietis tribuendus eſt Soli, ex declinatione, quæ provenit ex obſervatione tangentium utriuſque limbi verſantis in meridiano, quæ fuerat grad.o. m.2. 54. Borealis. Hoc ipſum confirmant obſervationes dierum ſequentium.

Horæ p.m. ab horol. indicatæ.	*Horæ veræ.*	
		Die 22. aere nitidiſſimo.
0. 4. 20.	0. 0. 0.	Ex utriuſque limbi Solaris excurſu per meridianum, meridies contigit notante horologio h. 0. 4. 20.
		Tangentes cum penumbra { 89182. 87456. ſine penumbra { 89132. 87506.
	6. 31. 27.	Sirius in meridiano.
		Die 23. aere clariſſimo.
0. 4. 34.		Centrum Solis in meridiano ex utriuſque limbi obſervatione.
		Tangentes cum penumbra { 87960. 86248. ſine penumbra { 87910. 86298.
	6. 28. 3½	Sirius ad meridianum.
		Die 24. aere clariſſimo.
0. 4. 49.		Centrum Solis ad meridianum ex obſervatione limborum.
		Tangentes cum penumbra { 86738. 85070. ſine penumbra { 86688. 85120.
	6. 24. 41½	Sirius ad meridianum.

His ex obſervationibus apparet, conſtanter aſcenſionem rectam Sirii in Æquinoctio verno vertentis anni habendam eſſe gr.98. 1. 30., & labente Julio, quo hæc ſcribimus, gr.98. 1. 40., cum per annos ſingulos augeatur ſecundis 40.: & trimeſtri ſpatio ſecundis 10.

At hæc aſcenſionum rectarum differentia, inquiunt, cognitam ante ſupponit loci latitudinem: ſiquidem Solis diſtantiam à vertice in meridie tangentes indicant; ab æquinoctiali non indicant, niſi arcus meridiani notus ſit, inter æquinoctialem, & verticem interceptus: qui eſt latitudo loci, æqualis elevationi Poli ſupra horizontem. Ordo igitur eſt, vt ex obſervata Poli altitudine, illi æqualis latitudo colligatur: tum ex differentia declinationis limborum, & centri Solis cum æquinoctiali ſectione, locus Solis in Zodiaco, & aſcenſio ejuſdem recta definiatur: ut ex illa jam nota ad ignotam aſcenſionem cujuſcumque fixæ decernendam procedamus.

Hanc methodum ſecuti ſumus in obſervando, ut ex obſervatis rectè inferremus ea quæ ſunt ordine declarata. Adnectimus itaque

que obſervationes altitudinis Poli, unde loci latitudo colligitur graduum 41. 54. 27. His etiam adjungimus obſervationes Solſtitiales, ut maxima eclipticæ declinatio colligatur, & quæ inde pendet cujuſcumque puncti eclipticæ declinatio, & aſcenſio recta: quod omnes norunt ex prolegomenis Aſtronomicis, ac Doctrina Sphæricorum.

OBSERVATIONES ALTITUDINIS POLI

In Gnomone Clementino ad Thermas Diocletiani per duplicem elevationem Stellæ polaris in utraque parte circuli meridiani, ſuperiori, & inferiori.

Anno 1701. noctibus ſequentibus dies 2. 4. 5. & 7. Januarii excepimus veſpere, & mane arcum diſtantiæ à vertice Stellæ Polaris, ſeu Cynoſuræ, per tangentem horizontalem, aptatam radio unciarum regiarum 930., diviſo in partes 100. mil.: quo etiam deſcribente duximus triangulum, cujus hypothenuſa eſt latus coni, oppoſiti ad verticem alteri cono, inſiſtenti ſupra circulum diurnum Stellæ polaris, per ejuſdem radios efformato à productione lineæ viſivæ, ſeu ejuſdem hypothenuſæ, ad ipſam Stellam circa axem Mundi, qui etiam eſt axis coni. In communi verò ſectione plani horizontalis, ſeu pavimenti Gnomonis Clementini cum cono priori jam indicato, projectionem ellipticam efformavimus diurni Stellæ circuli in pavimento marmoribus ſtrato: & laminâ æneâ marmoribus incluſâ conſignavimus, ut per dies ſingulos explorari poſſint non modò duo illa puncta ſectionum paralleli diurni Cynoſuræ cum meridiano, ſed etiam tota ejuſdem Stellæ converſio circa axem, & Polum Mundi. Quotidie igitur demonſtramus per hujuſmodi organum elevationem Poli ſupra horizontem Romanum in Thermis Diocletiani.

Noctibus ſupradictis menſis Januarii 1701. Veſpere in meridiani parte ſuperiori tangens arcus diſtantiæ à vertice Stellæ polaris conſtabat partibus radii 102767. quibus reſpondent gradus —————————————— 45. 46. 55.

Addenda refractio Caſſiniana		1.	1.
Ut habeatur ex viſa diſt. vera Stellæ à vertice	45.	47.	56.

Mane

		G.	M.	S.
Mane in meridiani parte inferiori tangens 120733. indicabat arcum grad.		50.	21.	58.
	Addenda refractio	0.	1.	11.
	Diſtantia vera à vertice	50.	23.	9.
Vera diſtantia major à vertice	Stellæ polaris fuerat	50.	23.	9.
	Vera diſtantia minor	45.	47.	58.
	Differentia	4.	35.	11.
	Semidifferentia	2.	17.	35.
	Addita minori diſtantiæ	45.	47.	58.
	Indicat diſtantiam Poli à vertice	48.	5.	33.
	Ejuſque complementum, ſive Poli elevationem	41.	54.	27.

Conſtituta igitur Poli elevatione Romana in Thermis Diocletiani, eique æquali arcu diſtantiæ Æquinoctialis à vertice in Meridiano, nempe grad. 41. 54. 27. definivimus ſubinde maximam declinationem eclipticæ grad. 23. 28. 35. per ſequentes obſervationes circa utrumque Tropicum.

Anno 1702. menſe Decembri.

Diebus 21. & 22. nobis videndi Solis copia minimè fuit in meridie.

Die 23. nitidè obſervavimus in meridie tangentes lineas utriuſq; limbi Solaris: quæ fuerunt { Bor. 215138. Auſt. 220562. & ſine penũbra { 215188. 220512.

Die 26. tangentes { 214490. 219900. & ſine penumbra { 214540. 219850.

Cùm circa Solſtitium explorare non licuiſſet per Sirium aſcenſionem rectam Solis, id præſtitimus Januario ſequenti.

Horæ ab horologio indicatæ.

Anno 1703. menſe Januario.

H. M. S.

23. 57. 35. Die 8. in meridie, & nocte ſequenti.

Centrum Solis in meridiano verſatur, notante horol. 11. 57. 35 $\frac{1}{2}$ nam limbus præcedens meridianam lineam attigit 23. 56. 23. & limbus ſubſequens ad eandem pertigit 23. 58. 48.

Tangentes cum penumbra { 204300. 209328. ſine penumbra { 204350. 209278.

11. 11. 59. Sirius ad meridianum devolvitur. Ejus tangens diſtantiæ à vert. fuit 161280.

12. 3. 29. Procyon ad meridianum. Ejus tangens 72450.

Die

Horæ Horologii | Die 9. in meridie.

H. M. S.

23. 59. 0. Centrum Solis in meridiano ex utriuſque limbi appulſu dignoſcitur. Tangentes obſervare diſtinctè non licuit præ nubibus interpoſitis.

Die 10. Januarii aere nitidiſſimo.

0. 0. 18. Ex utriuſque limbi Solaris excurſu per meridianum centrum Solis eiuſdem planum occupat.

Tangentes cum penumbra { 201800. 206740. } ſine penumbra { 201850. 206690. }

Die 11. Januarii Cœlo clariſſimo, flante Borea.

0. 1. 40. Meridies ex limborum Solarium excurſu per meridianum.

Tangentes meridianæ { 200480. 205350. } ſine penumbra { 200530. 205300. }

Ex comparatione horarum ab horologio indicatarum à meridie diei 8. ad meridiem diei 11. conſtat, horas ſingulas addere ſecunda $7\frac{1}{2}$ ſupra tempus quo fluunt gradus 15. Æquatoris, ſive horam unam horologii noſtri indicare horam unam ſideream, & horaria minuta ſecunda $7\frac{1}{2}$

Inde cognoſcimus, differentiam Aſcenſionis rectæ inter Sirium, & locum Solis in meridie diei 8. Januarii fuiſſe horarum horologii 11. 14. 24. quæ ſunt horæ ſidereæ 11. 15. 49. ſeu gradus Æquatoris 168. 57. 15. Cùm verò ſit Aſcenſio recta Sirii ad initium anni 1703. grad. 98. 1. 20.; colligitur Aſcenſio recta Solis in meridie octavæ diei Januarii grad. 289. 3. 5.: quæ indicat Solis locum in gradu 17. $35\frac{1}{3}$ Capricorni. Idem locus provenit ex obſervata declinatione Auſtrali grad. 22. 19. 3. quam indicant menſuræ tangentium diſtantiæ utriuſque limbi Solis à vertice in meridie adnotatæ.

His ab experimentis docemur, die 23. Decembris in meridie verſatum fuiſſe Solem in grad. 1. 17. Capricorni: adeoque maximam declinationem tropici habendam eſſe 24. circiter ſecundis majorem declinatione illa, quam obtinebat Sol in meridie 23. Decembris, à Tropici cardine diſſitus grad. 1. & m. 17.

Ex tangentibus utriuſque limbi (detracta penumbra) redactis ad partes radii { 215188. 220512. } quibus reſpondent arcus { 65. 4. 13. 65. 36. 40. }

Elicitur diſtantia viſa centri Solis à vertice gr.	65.	20.	26.
His addatur refractio Caſſiana, dempta parallaxi	0.	2.	0.

Ut

Ut reſultet diſtantia vera centri Solis à vertice 65. 22. 26.
Quæ tamen augenda adhuc eſt ſecundis duodecim 12.
propter hibernæ refractionis differentiam, à nobis deprehenſam, de qua infra.

Elicitur diſtantia vera centri Solis à vertice gr.65. 22. 38.
Inde auferantur latitudinis Urbis gr.41. 54. 27.

Erit vera declinatio Solis die 23. Dec. in merid. 23. 28. 11.
Adde differentiam inter o. & gr.1.17. Capricorni o. o. 24.

Proveniet maxima declinatio Tropici grad.23. 28. 35.

Eadem declinatio reſultat ex obſervationibus Tropici æſtivi, paulò ante peractis in eadem Meridiana Clementina ad ædem S. Mariæ Angelorum in Thermis Diocletiani: quas hìc edemus.

Horæ ab horologio indicatæ.

1703. menſe Junio.

Die 21. aere clariſſimo.

H. M. S.

o. 6. 47. Ex appulſu utriuſque Solaris limbi ad meridianum, centrum Solis in eodem plano verſabatur, notante horologio hor. o. m.6. 47.

Tangentes cum penumbra { 32780. 33873. ſine penumbra { 32830. 33823.

Diſtantia à vert. centri Solis viſa ex tang. limborum 18. 25. 54.
Dempta parall. refractio Caſſiniana addenda o. 16.

Diſtantia centri Solis à vertice 18. 26. 10.
Quæ minuenda eſt ſecundis 8. propter differentiam refractionis æſtivæ, de qua infra o. o. 8.

Vera diſtantia centri Solis à vertice 18. 26. 2.
Subducta à latitudine Urbis 41. 54. 27.

Demonſtrat declinationem Solis 23. 28. 25.
Adde ſecunda 10. quia Sol nondum attigit o. Cancri, ſed verſatur in gr.29. 10. Geminorum, ut ex obſerv. patet o. o. 10.

Colligitur declinatio Tropici grad.23. 28. 35.
Par alteri, quæ collecta fuerat ex obſervationibus hibernis in Tropico Capricorni.

Antequam proferamus obſervata dierum ſequentium, reddenda ratio eſt, quare æſtiva refractio in elevatione Tropici Cancri minua-

minuatur à nobis 8. ſecundis : & hiberna in elevatione Tropici Capricorni augeatur ſecundis 10. circuli maximi. Hanc differentiam addendam ac detrahendam pro temporis & elevationis modo collegimus ex obſervationibus æſtiuis, hibernis, & utriuſque tempeſtatis inter eas mediæ, circa Sirium peractis, dum in meridiano verſaretur. Tangentem ipſius diſtantiæ à vertice perſæpe exploravimus per machinulam tubo optico D. Campani inſtructam, quæ deſcribitur in Opuſculo indicato, de Numo, & Gnomone Clementino. Invenimus, nihil ferme varietatis induci à varia aeris conſtitutione eadem anni tempeſtate : differre verò per minutum primum refractionem æſtivam meridianam à vernali veſpertina, & ab hiemali nocturna: ut ſequentes obſervationes evincunt.

Tangentes Sirii, obſervatæ, dum in meridiano Stella verſaretur

Anno	*Die*	*Menſe*	
1702.	1.	Auguſti partes	161340.
	8.	Auguſti ———	161358.
	23.	Septembris ——	161370.
1703.	8.	Januarii———	161280.
	3.	Februarii———	161280.
	14.	Martii ———	161280.
	12.	Maii ———	161320.
	11.	Julii ———	171380.

Hinc apparet, eandem ferme refractionem pati radios ab altitudine meridiana Sirii demiſſos in athmoſphæram hiberno tempore, ac verno, per totum circiter Martium, cùm hoc tempore depræhenderimus ferè ſemper eandem tangentem 161280., cui reſpondet arcus grad.58. 11. 46. : idque tam media nocte poſt diem 8. Januarii, quàm veſpere, ante, & poſt occaſum Solis circa æquinoctium vernum. At obſervationes ſub initium Maii prolongant pauliſper tangentem, quæ productior fit menſibus Junii & Julii, appetente Auguſto iterum decurtanda : donec minima denuo inveniatur circa tempeſtatem hibernam, ubi apparet iterum 161280., cum æſtate fuerit 161380., nempe grad.58. 12. 43. : adeoque differentia refractionis æſtivæ ab hiberna in elevatione Sirii minutum primum quàm proximè adæquat; cùm appareat ſecundorum circiter 57.

Jam verò, cùm refractiones à Regia ſcientiarum Academia, præeunte D. Caſſino, à pluribus doctiſſimis Viris per experimenta in diverſis Terræ Zonis peracta, diligentiſſimè fuerint definitæ, & ad gradus ſingulos elevationis recto calculo diſtributæ

tæ in ea Tabella, quam vulgarunt Acta ejuſdem Academiæ, & deſcriptio Meridianæ Bononienſis folio 72.; nos eaſdem eſſe recipiendas ultrò concedimus, experti cùm ſimus, egregiè reſpondere obſervatis. Pro diverſa tamen anni tempeſtate, Sirio id demonſtrante in ampliſſimo hoc Gnomone, dicimus, eſſe pauliſper æquandas, proportione ſervata ad eam refractionem, quæ elevationi Sirii tribuitur in Tabula Caſſiniana.

Porrò elevationi ab horizonte graduum 32., ſive diſtantiæ à vertice graduum 58., qualem Sirius obtinet in horizonte Romano, dum circulum meridianum occupat, aſſignatur refractio minut.1. 34. In hac verò Stella deprehendimus differentiam maximæ refractionis hibernæ à minima æſtiva in eadem elevatione pertingere proximè ad minutum primum, nempe ad ſecunda 57. Differentia igitur ad refractionem aſſignatam in Tabula eſt ut 57. ad 94., paulò minor quàm 2. ad 3.: aſſumi poteſt ut 5. ad 9.: qua proportione incrementa, & decrementa refractionum eſſent in reliquis elevationibus temperanda; ſi notum antea foret, quota pars ejus differentiæ tribuenda eſſet imminutioni æſtivæ; quota augmento verno & hiberno; & quota includeretur in ipſa refractione aſſignata. Arbitramur, exiguam differentiæ partem eſſe tribuendam incremento hiberno, tum quia experimento novimus ab Octobri ad Aprilem per ſeptem circiter anni menſes haberi eandem ferme refractionem, ſcilicet maximam; quinque verò menſibus reliquis accedere gradatim ad minimam; tum quia augmenti hiberni pars potior includitur in refractione aſſignata per Tabulas; cùm iſta videatur conſtare ex ſumma refractionis mediæ, & augmenti ejuſdem; propterea quod referantur univerſa ad latitudinem loci in quo obſervatur, exploratam hiberno tempore in duplici elevatione Stellæ polaris, eo ſcilicet experimento, quod includit maximam refractionem, aeris propriam ea tempeſtate.

Pro modo itaque temporis dividentes differentiam $\frac{5}{9}$ totius refractionis (quæ ſumma eſt augmenti, ac decrementi) quatuor nonas partes ſubtrahimus ab aſſignata per Tabulas ad colligendam æſtivam. At $\frac{1}{9}$ quod ſupereſt (cum $\frac{3}{9}$ ſive $\frac{1}{3}$ ſit ipſa refractio ſine augmenti hiberni, & imminutionis æſtivæ differentia) erit ipſum augmentum hibernum quamproximè. Minutiſſima iſta cùm ſint, & vix percipi ſenſu poſſint, niſi per maxima organa, quali nos utimur in hoc Gnomone Clementino; ſatis exactè diſtribui per hunce calculum nobis videntur. Rationem refractionis ad gradus ſingulos ex Caſſiniana tenemus. Cùm æſtivam uſurpare libeat; ſubtrahimus $\frac{4}{9}$ ab aſſignata per D. Caſſinum. Cùm hibernam; Caſſinianæ addimus $\frac{1}{9}$. Ita arbitramur rem totam propiùs aſſequi.

Quæ

Quæ ut referamus ad Tropicos, eorumque meridianam elevationem, nempe Tropici æſtivi, cujus diſtantia viſa à vertice in meridie eſt Romæ graduum 18. & min. 25. ſec.44., & Tropici hiberni gr.65. 20. 50.: & refractio aſſignata priori elevationi per tabulas ſit ſecundorum 19., nos eam mulctamus $\frac{4}{9}$ hoc eſt 8. circiter ſecundis, ut habeamus æſtivam Cancri. Hibernam verò Capricorni augemus 12. vel 13. ſecundis, nempe $\frac{1}{9}$ refractionis minutorum fere duorum, illi aſſignatæ per tabulas Caſſinianas. An feliciter id ceſſerit, ex comparato Solis loco per aſcenſiones rectas, & declinationes circa utrumque Tropicum,& ex elevationibus ſive diſtantiis ita correctis, poterit quilibet experiri: cujus rei gratia ſequentes obſervationes damus.

Horæ ab horologio indicatæ.

1703. Die 22. Junii Sole clariſſimo.

H. M. S.

o. 7. 6. Centrum Solis in meridiano obſervatur ex appulſu utriuſque limbi, notante horologio hor. o. 7. 6. Heri in meridie notabat o. 6. 47.

Tang. cum penumbra { 33869. / 32776. } ſine penumbra { 33819. gr.18. 41. 6. / 32826. gr.18. 10. 22. }

o. 38. 34. Sirius ad meridianum pertingit.

Die 23. aere clariſſimo.

o. 7. 24. Ex appulſu limborum Solis meridies.

Tang. cum penumbra { 33878. / 32784. } ſine penumbra { 33828. gr.18. 41. 22. / 32834. gr.18. 10. 37. }

o. 34. 46. Sirius ad meridianum.

Die 24. aere clariſſimo.

o. 7. 4. Ex appulſu limborum Solis meridies.

Tang. cum penumbra { 33904. / 32810. } ſine penumbra { 33854. gr.18. 42. 11. / 32860. gr.18. 11. 28. }

Supputatio declinationis maximæ ex obſervata in Solſtitiis.

Die 22. Junii in meridie.

Tang. { 33869. / 32776. } ſine penumbra { 33819. / 32826. } quibus reſpō-dent gradus { 18. 41. 6. / 18. 10. 22. }

Differentia		30.	44.
Semidifferentia		15.	22.
Addita diſtantiæ limbi ſuperioris à vertice	18.	10.	22.
Cum refractione Caſſin.	o.	o.	16.

Indicat

Indicat diſtantiam centri Solis à vertice 18. 26. o.
Minuendam ſecundis 8. ex æquatione refractionis expoſita 8.

Ut reſultet vera diſtantia centri Solis à vertice 18. 25. 52.
Quæ ſubducta ex loci latitudine 41. 54. 27.

Indicat maximam Solis declinationem 23. 28. 35.

Sol verſatur in gr. o. min.8. Cancri, ut apparet ex differentia aſcenſionis rectæ cum Sirio, poſt centrum Solis ad meridianum adlapſo minutis horariis 31. 28. noſtri horologii, quæ ſunt 31. 33. horæ ſidereæ, & reſpondent gradibus æquatoris 7. 53. 15.
Subducendis ab aſcenſione recta Sirri 98. 1. 40.

Ut reſultet aſcenſio reſta Solis 90. 8. 25.

Quæ indicat Solem in meridie verſatum fuiſſe in gr.o. m.7. ſec.45. Cancri, atque adeo eandem ſenſiliter obtinuiſſe declinationem cum o. o. o. Cancri: quæ maxima eſt in Ecliptica.

Eadem declinatio reſultat ex comparatione obſervationum circa utrumque Tropicum.

Nam ex obſervat.diei 23.Decemb. 1702. diſtantia max.à vertice gr.1. 17. Capricorni erat gr.65. 22. 38. Et diſt. max.o. o. Capric. gr.65. 23. 2.
Ex obſervatione diei 22. Junii diſtantia minima o. o. Cancri gr.17 25. 52.

Differenria 46. 57. 10.

Semidifferentia 23. 28. 35.

Eſt ipſa Tropicorum maxima declinatio grad.23. minut.28. & ſecund.35.

Ad hance inclinationem eclipticæ cum Æquatore exegimus declinationes cujuſcumque gradus eclipticæ,& in Tabellam digeſſimus, quæ huic Appendici ſubnecti poterit, ad comparanda faciliùs loca Solis, per quotidianas obſervationes duplici methodo reperta, nempe ex aſcenſionis rectæ differentia cum Sirio, & tangentium meridianarum quantitate, dum Solis utrumque limbum diligenter adnotaremus.

Horæ ab horologio indicatæ.	
	Die 26. Junii incitavimus horologium, cujus motus numquam ceſſavit uſque ad diem 11. Julii.
H. M. S.	
o. o. 5.	Præcedens limbus Solis ad meridianum adlabitur aere clariſſimo.
2. 53.	Secundus limbus Solis ad meridianum. Ergo meridies hora hor. o. 1. 19.
	Tangentes { 33984. / 32896. } ſine penumbra { 33934. gr.18. 44. 38. / 32946. gr.18. 13. 50. }
o. 6. 15.	Sirius ad meridianum.

Die

o. o. 17. Præcedens limbus Solis ad meridianum.
2. 46. Subſequens limbus Solis ad merid. Ergo meridies o. 1. 32.

Tangentes { 34044. 32946. ſine penumbra { 33094. gr.18. 46. 30. 32996. gr.18. 15. 40.

Die 28. Sole claro.

o. o. 28. Præcedens limbus ad meridianum Ergo meridies o. 1. 42.

Tangentes { 34120. 33024. ſine penumbra { 34070. gr.18. 48. 52. 33074. gr.18. 18. 2.

Die 29. aere clariſſimo.

o. 1. 51. Ex limborum Solariũ excurſu per meridianum meridies eſt h.o. 1.51.

Tangentes { 34204. 33110. ſine penumbra { 34158. gr.18. 51. 36. 33160. gr.18. 20. 45.

o. 4. 19. Sirius ad meridianum.

Die 30. aere claro.

o. o. 26. Sirius ad meridianum.
o. 2. 2. Hora meridiei ad horol.indicē ex appulſu limborum Solis ad merid.

Tangentes { 34308. 33210. ſine penumbra { 34258. gr.18. 54. 40. 33260. gr.18. 23. 50.

Die 3. Julii aere ſubobſcuro.

o. 2. 35. Ex appulſu limborum Solis ad meridianum hora meridiei.

Die 4. aere claro.

o. 2. 45. Ex appulſu limborum Solis hora meridiei.

Tangentes { 34852. 33750. ſine penumbra { 34802. gr.19. 11. 19. 33800. gr.18. 41. 31.

7. 13. 19. Arcturus ad meridianum. Eius tangens 38720.

Die 6. aere claro.

23. 36. 45. Sirius ad meridianum.
o. 3. 3. Meridies ex utriuſque Solaris limbi appulſu ad meridianum.

Tangentes { 35203. 34100. ſine penumbra { 35153. gr.19. 22. 5. 34150. gr.18. 51. 18.

Die 9. Julii aere nitidiſſimo.

23. 24. 54. Sirius ad meridianum.
o. 3. 30. Ex limborum tranſitu per meridianũSolis centrum meridiem indicat.

Tangentes { 35783. 34775. ſine penumbra { 35733. gr.19. 41. 18. 34825. gr.19. 10. 32.

Die 10. aere nitidiſſimo.

23. 20. 57. Sirius ad meridianum.
o. 3. 41. Ex limbis Solis meridies.

Tangentes { 36066. 34958. ſine penumbra { 36016. gr.19. 48. 26. 35008. gr.19. 17. 40.

Die 11. aere clariſſimo.

23. 17. 2. Sirius ad meridianum.
o. 3. 52. Ex limbis Solis meridies.

Tangentes { 36320. 35206. ſine penumbra { 36270. gr.19. 55. 47. 35256. gr.19. 25. 13.

6. 45. 44. Arcturus ad meridianum.

L

Ut appareat æquabilitas horologii, & accurata organorum fides his in obſervandis quæ retulimus, ita ea digeſſimus in Tabellam.

Dies obſervationis.	*Sirius ad meridianum.* H. M. S.	*Solis centrũ ad meridianum.* H. M. S.	*Differẽtiæ horarum inter Sirium, & Solem.* G. M. S.	*Comparatio differentiarum.* M. S.	*Additio ſecundorum in horas ſingulas horologii.*	*Differentia horarum ſiderearum.* *ſunt* H. M. S.	*Differentia aſcenſionis rectæ inter Sirium, & Solem.* gr. m. ſec.
Junii							
26.	0. 16. 15	0. 1. 20	0. 14. 55		2 ½	0. 14. 57 ½	3. 44. 22 ½
				4. 8.			
27.	0. 12. 18	0. 1. 31	0. 10. 47		2	10. 49	2. 42. 15.
				4. 8.			
28.	0. 8. 20	0. 1. 41	0. 6. 39		1	6. 40	1. 40. 0.
				4. 7.			
29.	0. 4. 23	0. 1. 51	0. 2. 32		0	2. 32	0. 38. 0.
			Sol præcedit *Sol ſequitur*	4. 8.			
30.	0. 0. 26	0. 2. 2	0. 1. 36		0	1. 36	0. 24. 0.
				4. 7.			
Julii							
1.	23. 56. 30	0. 2. 13	0. 5. 43		½	5. 43 ⅔	1. 26. 0.
				4. 8.			
2.	23. 52. 33	0. 2. 24	0. 9. 51		1 ½	9. 52	2. 28. 0.
				4. 8.			
3.	23. 48. 36	0. 2. 35	0. 13. 59		2 ½	14. 1 ½	3. 30. 22.
				4. 8.			
4.	23. 44. 39	0. 2. 45	0. 18. 7		2 ½	18. 9 ½	4. 32. 15.
				4. 5.			
5.	23. 40. 42	0. 2. 54	0. 22. 12		4 ½	22. 16	5. 34. 0.
				4. 6.			
6.	23. 36. 45	0. 3. 3	0. 26. 18		5	26. 23	6. 35. 45.
				4. 6.			
7.	23. 32. 48	0. 3. 12	0. 30. 24		5	30. 29	7. 37. 15.
				4. 6.			
8.	23. 28. 51	0. 3. 21	0. 34. 30		5 ½	34. 35 ½	8. 38. 52.
				4. 6.			
9.	23. 24. 54	0. 3. 30	0. 38. 36		6	38. 42	9. 40. 30.
				4. 8.			
10.	23. 20. 57	0. 3. 41	0. 42. 44		7	42. 51	10. 42. 15.
11.	23. 17. 2	0. 3. 52	0. 46. 50		8	46. 58.	11. 44. 30.

Hac in Tabella obſervationes, quæ lineola ſubſignantur, ea die peractæ non ſunt, cui adſcribuntur; ſed ex præcedentibus & ſubſequentibus deductæ fuerunt.

Comparatio

Comparatio locorum Solis in Ecliptica, quæ illi tribuuntur ex obſervationibus.

	Ex obſervata differentia Aſcenſionis rectæ cum Sirio.						Ex obſervata declinatione in meridie per tangentes.					
	Aſcenſio recta Solis.			*Longitudo Solis.*			*Declinatio Solis.*			*Longitudo.*		
	G.	M.	S.	G.	M.	S.	G.	M.	S.	G.	M.	S.
1703. Junii die 26.	94.	17.	38.	3.	56.	5. *Cancri*	23.	25.	5.	3.	56.	0.
27.	95.	19.	38.	4.	53.	15.	23.	23.	15.	4.	53.	0.
28.	96.	21.	38.	5.	50.	25.	23.	20.	50.	5.	50.	30.
29.	97.	23.	38.	6.	47.	30.	23.	18.	18.	6.	47.	20.
30.	98.	26.	0.	7.	44.	45.	23.	15.	3.	7.	45.	0.
Julii die 1.	99.	28.	0.	8.	41.	50.	—	—	—	—	—	—
2.	100.	30.	0.	9.	39.	0.	—	—	—	—	—	—
3.	101.	32.	22.	10.	36.	5.	23.	3.	7.	10.	35.	30.
4.	102.	34.	15.	11.	33.	15.	22.	58.	22.	11.	33.	30.
5.	103.	36.	0.	12.	30.	24.	—	—	—	—	—	—
6.	104.	37.	45.	13.	27.	30.	22.	47.	30.	13.	27.	30.
7.	105.	39.	15.	14.	24.	45.	—	—	—	—	—	—
8.	106.	40.	52.	15.	22.	0.	—	—	—	—	—	—
9.	107.	42.	30.	16.	19.	10.	22.	28.	24.	16.	19.	20.
10.	108.	44.	15.	17.	17.	15.	22.	21.	14.	17.	17.	30.
11.	109.	46.	30.	18.	15.	30.	22.	13.	47.	18.	15.	0.

Longam hanc ſeriem obſervationum attexuimus, ut ſpecimen oſtenderemus ejus diligentiæ, ac fidei inſtrumentorum, quam exigere poſſint Aſtronomi à noſtris experimentis: tum etiam ut conſtaret, id à nobis non fuiſſe neglectum, ut data quæ vocant Aſtronomica, ſive elementa, unde omnis inferendi vis pendet

circa anni menſuram, minutiſſimè exquireremus, & ſtabilire certis dimenſionibus curaremus.

Methodus itaque, à nobis in obſervando ſuſcepta, elevationem Poli definire primùm inſtituit, tum eclipticæ inclinationem, ſive Tropicorum declinationem maximam, deinde refractionum quantitatem, mox certa Luminarium, ac Stellarum loca, nempe longitudines à vernæ ſectionis initio, & aſcenſionum rectarum ſummam: quibus ritè probatis per ſelecta experimenta, procedere poſſet ad comparandam anni vertentis menſuram, ceteroſque motus Luniſolares cum aſſumptis per Mathematicos Gregorianos in Kalendarii inſtauratione.

His igitur ex obſervatis, conſtare cuique poteſt, nulla fortaſſis Æquinoctia fuiſſe hactenus diligentiùs explorata, quàm duo proximè ſuperiora poſt Gnomonis Clementini fabricam in Æde Sacra S. Mariæ Angelorum ad Thermas Diocletiani, quo antea loco fuerat pinacotheca. Pronunciare itaque poſſumus de his Æquinoctiis, maxima certitudine, quæ organis Aſtronomicis comparata unquam ſit, hæc nobis innotuiſſe.

Æquinoctium Autumnale anni 1702. contigit die Sabbati Septembris 23. hora 3. min. 15. poſt meridiem Romæ.

Æquinoctium Vernum labentis anni 1703. contigit Feria IV. die 21. Martii hor. 2. min. 57. ante merid.

INſtituti noſtri ratio poſtulat, ut has obſervationes Æquinoctiorum, quæ ipſi vidimus, aſcendendo ad ſuperiores ætates, comparemus cum antiquioribus: unde certa menſura anni vertentis conſtitui poſſit, & cum aſſumpta in Gregoriani Kalendarii ſtructura conferri valeat.

Placet eam ſequi methodum Aſtronomorum, qui ut à notioribus ad minus nota procedant, comparant obſervationes primò cum proximis, deinde cum remotioribus. Proximas intelligimus, quæ unum, vel alterum ſæculum à nobis diſtant: remotiores, quæ ad ſæculorum decadem, vel etiam longiùs procedunt.

Inter Aſtronomos, qui duplici ſæculo præceſſerunt ætatem noſtram, & diligentia præſtantes habentur in obſervando, excelluit Bernardus Valtherus. Ejus obſervationes magno in pretio habitas à peritioribus Mathematicis edidit Snellius. Nos ad æquinoctiales digitum intendimus.

Sele-

Selegimus præ ceteris ad comparandum Æquinoctia annorum 1478., 1488., 1489., & 1501.: propterea quòd hiſce annis Valtherus viderit tàm Vernum, quàm Autumnale; eorumque ex intervallis invicem comparatis, & cum eâdem Poli altitudine conſentientibus ſatis certum judicium haberi poſſit de accurata obſervationum diligentia. Producam itaque obſervationes, prout editæ ſunt à Willebrordo Snellio poſt Haſſiacas.

Obſervationes Æquinoctiorum, habitæ à Valthero Norimbergæ.

Anno menſe die	Chorda diſtantiæ limborum Solis à vertice.	Semis.	Arcus. G.	M.	S.	Duplus. G	M.	S.	Obſervationis circumſtantia.
1478. Martij xi.	83820.	41910.	24.	46.	40.	49.	33.	20.	Diligens obſerv.
Septembr. xiii.	83050.	41525.	24.	32.	7.	49.	4.	14.	exactè.
1488. Mart. x.	84090.	42045.	24.	51.	47.	49.	43.	34.	Radii debiles.
Septemb. xiv.	84067.	42033.	24.	51.	21.	49.	42.	42.	clara diligens.
1489. Mart. xi.	83625.	41812.	24.	43.	9.	49.	48.	46.	clara diligens.
Septembr. xi.	82040.	41020.	24.	13.	2.	48.	26.	4.	clara diligens.
1501. Mart. x.	84234.	42117.	24.	54.	32.	49.	49.	4.	clara certiſſima.
Septembr. xiv.	83990.	41995.	24.	49.	53.	49.	39.	46.	præciſa certiſſima.

Menſura chordarum, exceptis prima, & quarta, videtur paulò productior, paucis tamen particulis centies milleſimis: quas hodie quidem rectè diſtinguimus in maximis tangentibus Gnomonum Romani, ac Bononienſis; cum ætate Valtheri vix eſſent obſervabiles per organa multò minora, qualia ipſe adhibebat. Verumtamen connexio obſervationum efficit, ut eaſdem pauculas particulas, quæ abundant, definire non difficulter poſſimus ex æquali intervallo temporis, quod interceſſiſſe demonſtrant, ita ſi corrigantur, inter Æquinoctia ſingulorum annorum.

Obſervationes Valtheri, correctæ ex collatis intervallis Æquinoctiorum.

Anno	menſe die	Chorda diſtantiæ Solis à vertice.	Semiſſis Chordæ.	Arcus illi reſpondens. G. M. S.	Arcus duplus G. M. S.
1478	Martii XI.	83820.	41910.	24. 46. 40.	49. 33. 20.
	Sept. XIII.	83070.	41535.	24. 32. 37.	49. 5. 14.
1488	Mart. X.	84084.	42042.	24. 51. 42.	49. 43. 25.
	Sept. XIV.	84067.	42033.	24. 51. 21.	49. 42. 42.
1489	Mart. XI.	83612.	41806.	24. 42. 45.	49. 25. 30.
	Sept. XI.	82032.	41016.	24. 12. 55.	48. 25. 40.
1501	Mart. X.	84180.	42090.	24. 53. 30.	49. 47. 0.
	Sept. XIV.	83970.	41985.	24. 49. 30.	49. 39. 0.

Ex obſervationibus ita correctis proveniunt horæ Æquinoctiorum, ut ſequuntur in Tabula, ſuppoſita elevatione Poli Norimbergenſis graduum 49. 26. 30.: quæ optimè conſenſit cum omnibus obſervatis.

Anno	menſe die	Diſtantia viſa centri Solis à vertice. G. M. S.	Diſtantia vera Solis à vertice adiecta refr. 1. min. G. M. S.	Declinatio Solis. G. M. S.	Dies hora min. Æquinoctii. D. H. M.	Intervallum temporis inter utrumque Æquin. D. H. M.
1478	Mart. XI.	49. 33. 20.	49. 34. 20.	0. 7. 50. auſtr.	XI. 8. 0.	186. 12. 32.
	Sept. XIII.	49. 5. 14.	49. 6. 14.	0. 20. 16. bor.	XIII. 20. 32.	
1488	Mart. X.	49. 43. 25.	49. 44. 25.	0. 17. 55. auſtr.	X. 18. 10.	186. 12. 23.
	Sept. XIV.	49. 42. 42.	49. 43. 42.	0. 17. 12. auſtr.	XIII. 6. 33.	
1489	Mart. XI.	49. 25. 30.	49. 26. 30.	0. 0. 0.	XI. in merid.	186. 12. 30.
	Sept. XI.	48. 25. 50.	48. 26. 50.	1. 0. 0. bor.	XIII. 12. 30.	
1501	Mart. X.	49. 47. 0.	49. 48. 0.	0. 21. 50. auſtr.	X. 21. 50.	186. 12. 30.
	Sept. XIV.	49. 39. 0.	49. 40. 0.	0. 13. 30. auſtr.	XIII. 10. 20.	

Æquabilitas obſervationum ita correctarum apparet etiam ex collatione intervalli inter Æquinoctia Verna, cum Vernis, & inter

inter Autumnalia cum Autumnalibus, invicem comparata. Nam à Verno 1478. ad Vernum 1488. differentia, præter dies ſolidos, eſt horarum decem cum totidem minutis: & ab Autumnali ad Autumnale eorundem annorum, præter dies ſolidos, eſt horarum pariter decem cum minuto 1. A Verno 1488. ad Vernum 1489. eſt horarum 5. 50. Inter Autumnalia eorundem annorum eſt h.5.57. Inſuper Verna annorum 1489. & 1501. diſtant dies ſolidos, & præterea horas 21. 50.: & Autumnalia tantundem. Denique collato ſpatio temporis à Verno, & Autumnali 1478. ad Vernum, & Autumnale 1488. per annos decem, qui interſunt, ſpatium illud, ſive ſumma dierum, & horarum ſi dividatur; præter dies ſolidos 365. conſtat attribui cuique anno horas 5. & min.49.: quemadmodum annis XII. interpoſitis à Verno, & Autumnali ex diviſione contingunt dies 365, horæ 5. & minuta 50.

Ex hac igitur concordia numerorum, quæ retinet quotannis eandem diſtantiam inter Æquinoctia, & ſingulis annis attribuit ſupra dies 365. etiam horas 5. cum minutis 49., & aliquot ſecundis; nec abludit ab obſervatis Valtherianis, niſi paucis minutis horariis (quæ ſcilicet exhibere minimè poterant totidem ſecundis circuli maximi organa illa, quibus Valtherus vtebatur in obſervando); ex hac, inquam, concordia apparet, rectè nos deduxiſſe horas Æquinoctiorum, vti ſunt caſtigatæ: multo certè evidentiùs, quàm ab antiquorum obſervationibus colligantur.

Conferendæ ſunt modò cum noſtris, Romæ habitis in Gnomone Clementino, ac ſuperiùs deſcriptis, ex quibus innotuit:

☞ Hoc anno 1703. contigiſſe Æquinoctium Vernum die Mercurii 21. Martii horis 2. min.57. ante meridiem, hoc eſt, more Aſtronomico horis 21. min.3. poſt meridiem diei 20. Martii:

☞ Et anno ſuperiori 1702. Æquinoctium Autumnale ſpectatum à nobis fuiſſe die Sabbati 23. Septembris hora 3. cum min.15. poſt meridiem Romæ.

Ab Æquinoctio Verno anni 1489. ad Æquinoctium Vernum anni 1703. numerantur anni Juliani 214., non quidem ſolidi, ſed deficientes die 1. horis 3. ò; nam Valtherus obſervavit die XI. Martii in meridie Norimbergæ, hoc eſt hor.o. min.3. poſt merid. Romæ; nos verò obſervavimus hoc anno 1703. horis 2. 57. ante meridiem diei 21. Martii ſtylo Gregoriano: quæ dies in Kalendario Juliano dicebatur 10. Martii. Summa itaque temporis intercedens inter utrumque Æquinoctium dividenda erit in annos 214., ut habeatur quantitas anni vertentis ex obſervationibus Æquinoctii Verni.

Hæc ſumma temporis ab Æquinoctio Valtheriano ad noſtrum,

 præter

præter dies 365. annis ſingulis numeratos, continet biſſextiles 53. Ab his ſubtraximus diem ſolidam, & horas tres: quæ deſiderantur ab hora 2. 57. ante meridiem diei X. in noſtra obſervatione ad horam 0. 3. poſt meridiem diei XI. Martii, vbi completi fuiſſent anni ſolidi Juliani 214. poſt obſervationem Valtheri. Superſunt dies 51., & horæ 21.: quæ omnia dividenda ſunt per annos 214. Si dies 51. redigantur in horas 1224., cum additamento horarum 21.; fit ſumma horarum 1245.: hoc eſt, provenient minuta horaria 74700.: quæ diviſa in annos 214., tribuunt ſingulis minuta horaria 349., ſive horas 5., & min.49. Superſunt poſt diviſionem minuta 14.: quæ ſi redigantur in ſecunda 840., & aſſignentur ſingillatim annis 214., tribuunt cuique anno ſecunda 3., & tertia $9\frac{1}{2}$ Erit igitur ex hac diviſione anni vertentis modus dierum 365. horarum 5. minut.49. ſec.3. tert.55., & quart.30.

Minuere tamen debemus tantillum hanc menſuram, causâ Apogæi Solis, intra hoc ſpatium temporis promoti ex gradu 4. 30. Cancri ad gradum 8. 10. ejuſdem ſigni: quæ variatio Apogæi cùm tribuat Soli in obſervatione Valtheriana proſtaphæreſim gradus unius, & minutorum 55. 30.; in noſtra verò paulo minorem, hoc eſt gradus unius, & minut.54. 51. deficientem à ſuperiori minutis ſecundis 39. circuli maximi; retardat, ſeu minus promovet noſtra in obſervatione Solis motum per minuta horaria ſexdecim, ſive per ſecunda 960.: quæ diſtributa in annos 214. dant quotientem ſecundorum 4., tertiorum 15. cum quartis minutiis 9., detrahendum menſuræ jam adinventæ anni vertentis dierum 365. horarum 5. minut.49. 3. 55. 30.

4. 15. 9.

48. 59. 40. 21.

Erit itaque verus anni modus ex comparatione Vernarum obſervationum Valtheri cum noſtris dierum 365. horar.5. minut.48. 59. 40. 21.

Comparationem traducimus ad Æquinoctia Autumnalia. Valtherus obſervavit anno 1488. die 13. Septembris horis 6. 33. poſt meridiem Norimbergæ: quæ ſunt horæ 6. 36. poſt meridiem Romæ. Differentia temporis deficit die 1. horis 3. 18. ab annis Julianis ſolidis 214.: quæ minuenda erit horariis minutis 24.: tot enim inſumit Sol ad progrediendum in Zodiaco minutum unicum longitudinis, quod mutatio proſtaphæreſeos requirit: cum obſervatio Valtheri in ſignis 2., & grad.25. 30. anomaliæ Solaris tribuat proſtaphæreſim ſubtractivam gradus unius, &

minu-

minutorum 55. 6.; noſtra verò obſervatio in ſignis 2. grad. 21. 50. anomaliæ paulò minorem proſtaphæreſim ſubtrahat, nempe grad. 1., & minuta 54. 6.: quare noſtra promovet, ſeu minùs retardat Solis longitudinem minuto unico: cui percurrendo debentur horaria 24. Dividenda igitur erit per annos 214. ſumma Biſſextilium 53. imminuta die ſolida, & horis 2. 54.: hoc eſt ſumma dierum 51. horarum 21. minut. 6. Peracta diviſione, ſingulis annis competunt præter dies ſolidos 365. horæ 5. minuta 49. 5. 36. 27.

	D.	H.	M.	S.	T.
Ex obſervationibus Vernis à Valthero ad nos annus vertens eſt	365.	5.	48.	59.	40
Ex obſervationibus Autum. à Valthero ad nos annus vertens eſt	365.	5.	49.	5.	36
Differentia eſt	0.	0.	0.	5.	56
Semiſſis differentiæ	0.	0.	0.	2.	58

Semidifferentia	0.	0.	0.	2.	58.
Addita ſummæ minori	365.	5.	48.	59.	40.
Dat ſummam	365.	5.	49.	2.	38.

Ex omnibus igitur obſervationibus Valtheri, & noſtris, anni vertentis modus conſtituitur diebus 365. horis 5. minut. 49. 2. 38.

Explorantibus itaque nobis per experimenta, annis ducentis inter ſe diſſita, anni menſuram; hæc tanta definitur, quantam retulimus.

Aſcendendum eſt modò ad Hipparchi Seculum, ut ex ejuſdem obſervatis, ubi fuerint collata cum noſtris, patere poſſit, num eadem anni quantitas perſeveret Seculis fermè novemdecim.

Ptolemæus Almageſti libro 3. cap. 2. retulit, Æquinoctium Autumnale ab Hipparcho fuiſſe obſervatum Periodi Calippicæ anno XXXVI., ſive anno 182. poſt obitum Alexandri, prima intercalarium die ſub Veſperam: hoc eſt Alexandriæ horis 6. poſt meridiem diei 26. Septembris Periodi Julianæ anno 4571.: quæ in meridiano Romano numerabantur horæ 4. cum dimidia poſt meridiem. In hoc eodem meridiano Romano ad Thermas Diocletiani obſervavimus Æquinoctium Autumni anno Æræ Chriſti 1702., qui fuit Periodi Julianæ 6415., horis 3. cum quadrante poſt meridiem diei 23. Septembris ſtylo Gregoriano, uti ſupra narravimus, ſive ſtylo Juliano, die 12., horis 3. 15. poſt meridiem. Ab Hipparchæa igitur obſervatione ad noſtram numerantur anni Juliani 1844. non integri, ſed deficientes diebus quatuordecim, & hora una cum minutis 15.: quæ ſumma defectus ſi ſubducatur à Biſſextilibus 461., eidem intervallo debitis; reliquos facit dies 446., & horas 22. cum 45. minutis, ſive in integrum horas 10726. cum $\frac{3}{4}$, dividendas in prædictum numerum

rum

rum annorum 1844. Adiectis verò huic differentiæ, ſive detractis à ſumma reſidua horis 2., & min.52. quot nempe poſtulat variatio proſtaphæreſeon, ex minutis 7. ſec.1. longitudinis, quæ motui Solis noſtra detrahit pluſquàm Hipparchæa, uti exigit progreſſus Apogæi, tunc ſiti in gradu 6. min.24. Geminorum, nunc verò in gr.8., & min.10. Cancri; fit ſumma horarum 10723., & minutorum 53., dividenda per annos 1844. Diſtributis in ſingulos horis quinis, ſuperſunt horæ 1503., & minuta 53. quæ ſunt minuta horaria 90233.: ex quibus cùm fuerint cuique anno tributa 48.; ſuperſunt horaria 1721. prima, ſive ſecunda 103260., partienda in eoſdem annos 1844., ut ſingulis aſſignentur 56. 0.

Eſt igitur anni quantitas ex hac obſeruatione Autum. Hipparchi &

		H.	M.	S.	T.
noſtra, invicem comparatis, dierum ——	365.	5.	58.	56.	0.
Quæ colligebatur ex Valtherianis ac noſtra	365.	5.	59.	2.	38.
Differentia verò eſt	0.	0.	0.	6.	38.
Semidifferentia	0.	0.	0.	3.	19.
Quæ ſi addatur minori ſummæ	365.	5.	48.	56.	0.
Conſtituit anni modum medium	365.	5.	48.	59.	19.

Denique, ut nihil relinquamus inexploratum, ſi placeat etiam Æquinoctium aliquod Vernum, ab Hipparcho obſervatum conferre cum Verno à nobis viſo Martio ſuperiori 1703. die 21. ſtylo Gregoriano, horis 2. 57. ante meridiem Romæ, ſive horis 21., & minutis 3. poſt meridiem diei 9. ſtylo Juliano; comparemus hanc vernam obſervationem, cum ea, quam Hipparchus à ſe habitam conſignavit anno 196. poſt obitum Alexandri, Phamenoth die prima in occaſu Solis, uti legimus apud Ptolemæum Almageſti libro 3. cap.1., hoc eſt Periodi Julianæ anno 4585. Martii die 23. horis 4. 30. poſt meridiem Romæ quæ ſunt 6. 0. poſt meridiem Alexandriæ. Ab anno Periodi Julianæ 4585. ad hunc noſtrum 6416. numerati ſunt anni 1831.: quibus debentur Biſſextiles 457. A die verò Martii Juliani 9. horis 21. 3. ad aſſequendam diem reſpondentem obſervationi Hipparchi 23. Martii cum horis 4. 30. pomeridianis, deſiderantur dies 13., & horæ 7. 27.: quæ ſumma ſubducta à Biſſextilibus 457. relinquit dies 443., cum horis 16., & minutis 33., dividendis per ſummam annorum 1831. ab Hipparchi obſervatione ad noſtram. His tamen addere oportet horas quatuor, quas poſtulat

ſtulat

ſtulat differentia proſtaphæreſeon. Nam ſi Apogæum ætate noſtra ibi reperiretur, ubi ævo Hipparchi verſabatur; nos vidiſſemus horis quatuor ſeriùs Æquinoctium, nempe hora 1., & minutis 3. poſt meridiem diei 10. Julianæ. Quare deficerent ad annos integros Julianos dies 13., & horæ 3. cum 27. minutis dumtaxat. Sunt itaque diſtribuendi 443. dies, horæ 20., & minuta 33. in annos 1831.: quod fit, aſſignando ſingulis horas 5. minut.49. 4. 48.

	H. M. S. T.
Verna igitur obſervatio Hipparchi,& noſtra dant omnimodũ	D.365. 5. 49. 4. 48
Autumnalis ejuſdem & noſtra dabant anni modum	365. 5. 48. 56. 0
Differentia eſt	0. 0. 0. 8. 48
Semiſſis differentiæ	0. 0. 0. 4. 24
Addatur minori ſummæ	365. 5. 48. 56. 0
Conſtituetur annus vertens medius ex obſ.Hipp.& noſtris	365. 5. 49. 0. 24
Conſtituebatur ex Valtherianis & noſtris	365. 5. 49. 2. 38
Differentia	0. 0. 0. 2. 14
Semidifferentia	0. 0. 0. 1. 7
Addita minori ſummæ	365. 5. 49. 0. 24
Conſtituit annum medium ex omnibus obſervationibus ſupra recenſitis per ſæcula ferè novemdecim ab Hipparchi ætate ad noſtram	365. 5. 49. 1. 31

Tranſcripſeram ſupputationes hucuſque recenſitas ex opuſculo *de Numo, & Gnomone Clementino*, quod erat præ manibus; quando opportunè contigit inſpicere ſcriptam diſſertationem, Pariſiis habitam in Regia ſcientiarum Academia à Cl.V. Io. Dominico Caſſino. In ea recenſentur obſervationes Æquinoctii Verni, tum in Pariſino obſervatorio Chriſtianiſſimi Regis, tum in utroque Gnomone Italico, Bononienſi ſcilicet, ac Romano peractæ hoc eodem anno: quarum ex collatione cum antiquiſſima ex Vernis, ab Hipparcho habita Alexandriæ, colligit Auctor doctiſſimus, anni modum mediocrem ſtatui oportere dierum 365. hor.5. minut.49. ſecund.12. qualem aſſumpſerant Mathematici Gregoriani: quæ nobis paulò minor deprehenditur, nempe dier.365. h.5. m.49. ſec.1. tert.31. Exigua ſanè eſt differentia: quam laudatus D. Caſſinus acri planè judicio demonſtrat

ſtrat, ex Hipparchi obſervationibus dirimi minimè poſſe; cùm oſtendat, organa, quibus Hipparcho uti placuit in obſervandis Æquinoctiis, quartam diei partem, ipſo etiam Ptolemæo id fatente, non ſatis exactè definire; unde certus anni modus intra 12, ſecunda temporis ſtatui nequit ex comparatione obſervatorum Hipparchi.

An illa paucula ſecunda propiùs aſſequi nobis licuerit ex comparatis Valtheri, & Hipparchi, noſtrorumque temporum Æquinoctiis maxima diligentia exploratis, aliorum eſto judicium.

Auctor Cycli Octagrammi hactenus narrata exſcripſit ex Opuſculo antea indicato, ut oſtenderet, anni modum à Gregorio XIII. Pontifice Maximo aſſumptum in Kalendarii correctione optimè conſentire cum obſervato noſtrorum temporum, ac ſuperiorum.

Poſſet etiam eodem ex Opuſculo proferre concordem ſententiam Auctorum, & obſervatorum in definiendo menſe Synodico ex motibus mediis collecto, dierum ſcilicet 29. hor. 12. min. 44. ſecund. 3., de quo antiqui, ac recentes Aſtronomi cum Gregorianis planè conſentiunt, adſtipulantibus obſervatis hujuſce anni; niſi hæc ipſa experimenti, & ſententiarum conſenſio à ſupervacanea demonſtratione abſtinere eundem ſuaderet. Curam iſtorum fuſiùs exponendorum relinquit Obſervatoribus Romanis, à quibus edendam ſperat ſeriem reliquarum obſervationum; cùm hæc inde libare ſibi licuerit ad ea demonſtranda, quæ ipſe in Cyclo propoſuit.

Hìc tantùm addit, quæ ex obſervata anni quantitate collegit, ad oſtendendum, cur in fine primæ periodi annorum 1184. elidendam eſſe cenſeat diem Biſſextilem, ad continendum Æquinoctium intra Sedem Nicænam, & Gregorianam diei 21. Martii.

Differentia inter annum vertentem à Gregorianis aſſumptum, & eum, qui nobis definiendus eſſe videtur ex obſervationibus novemdecim ſæculorum, eſt ſecundorum 10., & tert. 29.: quæ ſæcula breviora facit aſſumptis per Gregorianos minutis horariis 17. eſt ſecundis 48.; & ſingulis millenariis annorum Solis motum decurtat horis 2., & minutis 58. Quare anni 1184. explorati per obſervationes deficerent à totidem Gregorianis ſpatio horarum 3., & minutorum 25., ſive relictis minutiis, deficerent, horis tribus. Periodus igitur annorum 1184. octies repetita, totidem vicibus repeteret hanc differentiam, & ad ſolidam diem pertingeret, ab anno civili tunc eximendam, ut medius cum cæleſti congrueret. Si ergo menſura eorundem annorum ex nulla alia cauſa varianda foret; dies Biſſextilis eſſet elidenda in fine tantùm octavæ Periodi annorum 1184.

Verùm & alia attendenda eſt differentia, quam in Æquinoctium Vernum inducit progreſſus Apogæi Solis. Cùm verò Æquino-

ctium

ctium attendere oporteat, quando agitur de Paſchate ordinando; ejus etiam differentiæ ratio erit expendenda, quam ita conſequemur.

Solis Apogæum annis 1184. progreditur juxta ſignorum ordinem gradibus 20., & minutis 14. Cùm itaque anno 1601., hoc eſt initio hujus primæ Periodi propoſitæ annorum 1184., verſaretur in gradu 6. minut.26. Cancri; in fine ejuſdem primæ Periodi, hoc eſt anno Chriſti 2784., reperiri debet in gr.26. 40. ejuſdem ſigni; Quare proſtaphæreſis adjectiva in Æquinoctio Verno, quæ ineunte Periodo erat grad.1. 55. 18., in fine ejuſdem Periodi erit tantummodo grad.1. 45., nempe minùs promovebit Solem per minuta 10. longitudinis in ecliptica, hoc eſt per motum reſpondentem horis quatuor: quotis ferme horis eundem accelerabat defectus motus medii ex obſervationibus deducti à motu medio aſſumpto per Gregorianos. Fiet itaque compenſatio: & Æquinoctia contingent iiſdem diebus, & horis anni civilis quibus nunc accidunt.

Porrò Æquinoctii Verni ratio in Periodo Gregoriana quatuor ſæculorum, quibus ordo Biſſextilium reſtituitur, talis eſt, ut primo ſæculo ineunte poſt Biſſextilem centenarium (qualis fuit annus 1600.) vera Æquinoctia citima ſub initium ſæculi attingant diem 20. Martii, & in fine ſæculi retrahantur ad horam circiter 16. diei 19. Eccleſiaſticæ, prout ætate noſtra contigit anno 1696.: & propterea medium Æquinoctium tunc occupet horam circiter 17. diei 21. Martii. Secundo ſæculo ineunte, poſt primum Biſſextilem anno præcedenti omiſſum (uti paulo ante vidimus expleto anno 1700., & labente 1701.) citima Æquinoctia pariter cadunt in diem 20.: & vergente ad finem ſæculo, receſſura ſunt ad horam 21. diei 19. Eccleſiaſticæ: interea dum Æquinoctium medium adhærebit horæ 20. diei 21. Tertio autem ſæculo, & quarto, poſt alterum, ac tertium Biſſextilem omiſſum, Æquinoctia vera perpetuò ſiſtunt in diebus 20. & 21. Quinto denique ineunte ſæculo, quando dies Biſſextilis inſerta jam fuerit anno 2000., ſub initium ſæculi Æquinoctium repetit horam circiter eandem, quam obtinuerat proximè poſt 1600., nempe ſub initium Periodi propoſitæ: & anno 2096. eandem ferme, quam occupaverat anno 1696., nempe horam 16., vel 15. diei 19. Martii Eccleſiaſticæ: quod etiam repetitur per quaterna ſæcula. At medium Æquinoctium, poſt unam, aut alteram Periodum abſolutam, non ſuccedit vero per horas 46., ut modò ſolet; ſed multo breviori horarum intervallo inde elongatur; donec Periodo quinta labente, quando Apogæum Solis, ex Cancro in Libram prolapſum, eadem die, & hora referet medium, & verum Æquinoctium Vernum, diei duplicis præceſſio-

ceſſionem inducet,retracto utroque Æquinoctio ex die 21. in 19. Martii. Quod ne contingat, ſuademus, ut in abſolvenda Periodo prima, Biſſextilis dies omittatur anno ejuſdem poſtremo. Ita enim fiet, ut nunquam à die civili 21. Æquinoctium biduo recedat: & proximas dies cum attigerit utrumque Æquinoctium Apogæi cauſa concurrens, tunc dies 21. alicubi terrarum ſemper viſura ſit aliquod Solis punctum in Æquatoris plano conſtitutum in repetitione ſecunda, tertia, quarta, quinta, & ſexta ejuſdem Periodi: quarum tamen nulla elidet in fine Biſſextilem, in prima tantùm eximendum, uti ſuo loco innuimus. Ad octavam cum pervenerit ætas, ſi ratio motuum conſtabit, quam hodie experimur, dignoſci facilè poterit, num Biſſextilis dies in fine ſit omittenda, vel inſerenda. Utrumque verò componitur cum perennitate hujus Cycli, ejuſque inſtauratione, quam ante explicuimus.

Collectis itaque ſummis capitibus ſolutionis Problematis Paſchalis, & Appendicum, opinatur Auctor oſtendiſſe, unicam legem ſibi propoſitam, ad rectam Paſchatis ordinationem ſufficere, nempe:

Ut omnia exequutioni mandentur, quæ ſanxit in Bulla Kalendario præfixa Gregorius XIII., reſtitutâ fideliter, ut ipſe juſſerat, legitimâ putatione Lunæ Paſchalis, & ordinatâ in Tabulas caſtigatiores, juxta motus medios, ab ipſo conſtitutos, cum Lunaris ætatis, tum Feſtorum mobilium diſpoſitione.

Poſſe autem univerſa iſta ſervari, contra dubium aliquot Mathematicorum, Gregorianis temporibus æqualium, & id fermè impoſſibile aſſerentium, ſe oſtendiſſe confidit.

Omnia ritè ordinata juxta leges Gregorianas, in Cyclo Paſchali cuſtoditas, conſentire ait cum mediis motibus cæleſtium corporum diligenter obſervatis.

Omnia ritè ordinata juxta leges eaſdem, ad quas Cyclum & Periodum hanc exegit, reſpondere aſſerit legibus & exemplis Sacroſanctæ Nicænæ Synodi, optimè à Gregorio inſtauratis, necnon optimè perpenſis, atque intellectis ab antiquis Patribus,

bus, potiſſimè verò ab Alexandrinis, necnon optimè pertractatis à Summis Pontificibus Innocentio I., Leone Magno, aliiſque Patribus Occidentalis Eccleſiæ, quos enumerat Tabella Paſchalis ipſorum teſtimoniis confirmata: contra eorum opiniones, qui Kalendarii & Paſchalis computi peritiam eiſdem abjudicarunt.

Auctor hujuſce Cycli lubenter intelliget, ea de re quid ſentiant Mathematici: quorum judicia uti enixè flagitat; ita revereri plurimum profitetur; utpote eorum, qui Tullianum illud præ ceteris experiuntur, ac probant: *menti hominis nihil eſſe dulcius veritate*.

FINIS.

Ut obſervationum ratio faciliùs conſtet, & iniri expeditè poſſit ab iis, quibus hæc legere, aut impoſterum de Cœlo ſervare placuerit, ad motum Solis aſſumptum comparandum, ſequentes Tabulas adnectemus.

TABULA I. Refractiones indicans, & parallaxim Solis ad ſingulos gradus ejuſdem diſtantiæ à vertice. Hanc exſcribendam curavimus ex Actis Regiæ ſcientiarum Academiæ, Pariſis inſtitutæ, utpote à celeberrimo Dño Caſſino collectam, & experimentis ubique terrarum habitis comprobatam.

TABVLA II. Aſcenſio recta & declinatio 50. præcipuarum fixarum in noſtro hemiſphærio conſpicuarum ad annum 1701. completum ex ea quam edidit Cl. V. Ph. de la Hire.

TABULA III. Declinationes aſſignans cuicumque eclipticæ gradui. Recens hæc Tabula cudenda ex integro fuit. Nam deprehenſa cum fuerit inclinatio eclipticæ & æquatoris graduum 23. minut.28. ſecund.35., quæ pauló diverſa variis ab Auctoribus ſupponebatur; diligenti ſolutione ſphæricorum triangulorum ad eundem angulum cenſuimus eſſe colligendam.

TABULA IV. Aſcenſionum Rectarum, licet à pluribus Mathematicis edita ſit, attamen ea videtur diligentiſſimè & compendioſiſſimè adornata, quæ legitur inter Aſtronomicas, à Cl. V. Philippo de la Hire Regio Matheſeos Profeſſore, & Regiæ ſcientiarum Academiæ Socio vulgatas, unde hanc tranſcripſimus.

Ex libro prædicto D. de la Hire collegimus etiam Quartam Tabulam Fixarum præcipuarum ad annum 1701. ineuntem: quæ obſervatis reſpondere dignoſcitur.

Aliæ ſunt etiam Tabulæ æri inciſæ, aut typis expreſſæ, quæ pertinent ad ſolutionem Problematis Paſchalis: quæ à Bibliopego aſſui poterunt reliquis, aut locis ſuis inſeri, nempe

Tabula Paſchalis SS. Patrum teſtimoniis comprobata & à chalcographo typis expreſſa. Hujus inſpectio præcipua ſpectat ad paginam xxix.

Tabulæ Paſchales æri inciſæ complectuntur Periodum Paſchalem annorum 1184. *Gregorianorum, ejuſque inſtaurationem, & partes. Sunt verò quinque, videlicèt*

TABULA I. ſeu *Canon Paſchalis* ejuſque expanſio prima ab anno Æræ Chriſti vulgaris 1601. ad 2784. Iſta repetitur ſive inſtauratur poſt omiſſum diem biſextilem anno poſtremo Periodi, nihil variatis numeris, ab anno Chriſti 2785. ad 3968.: quæ inſtauratio dicetur etiam Periodi Paſchalis *revolutio ſecunda*.

TABULA II. ſeu Periodi Paſchalis expanſio altera, quæ & revolutio Tertia ab anno Æræ Chriſti 3968. ad 5152.

TABULA III. Complectitur Canonis Paſchalis Sæculum primum ab anno 1601. Æræ vulgaris ad 1699.

TABULA IV. Expandit annos ejuſdem Canonis ad Sæculum ſecundum pertinentes, hoc eſt ab anno 1700. ad 1799.

TABULA V. Exponit annos Canonis Paſchalis, quibus conſtituitur Sæculum duodecimum Periodi ab anno 2700. ad 2784.

TABULA I. Refractionum, & Parallaxium Solis.

Adornata à Cl. V. Io: Dominico Caſſino ex propriis obſervationibus, nec non Cll. VV. Richerii, Varini, des Hayes, & de Glos, in Europæ, Aſiæ, Africæ, atque Americæ oras, inſulaſque Oceani ea de cauſa profectorum: & à Regia ſcientiarum Accademia in Tractatu de elementis Aſtronomiæ Pariſiis edita.

Diſtantiæ à vertice. Gr.	M.	Refractio. Min.	Sec.	Parallaxis Solis. Sec.
0.	0	0	0	0.
1.	0	0.	1	
2.	0	0.	2	
3.	0	0.	3	
4.	4	0.	4	
5.	0	0.	5	
6.	0	0.	6	1.
7.	0	0.	7	
8.	0	0.	8	
9.	0	0.	9	
10.	0	0.	10	
11.	0	0.	11	2.
12.	0	0.	12	
13.	0	0.	13	
14.	0	0.	14	
15.	0	0.	16	
16.	0	0.	17	3.
17.	0	0.	18	
18.	0	0.	19	
19.	0	0.	20	
20.	0	0.	21	
21.	0	0.	22	4.
22.	0	0.	24	
23.	0	0.	25	
24.	0	0.	26	
25.	0	0.	27	
26.	0	0.	28	5.
27.	0	0.	30	
28.	0	0.	31	
29.	0	0.	33	
30.	0	0.	34	
31.	0	0.	35	
32.	0	0.	37	
33.	0	0.	38	
34.	0	0.	40	
35.	0	0.	41	

Diſtantiæ à vertice. Gr.	M.	Refractio. M.	S.	Parallaxis Solis. Sec.
36.	0	0.	43	
37.	0	0.	45	
38.	0	0.	47	
39.	0	0.	49	
40.	0	0.	50	
41.	0	0.	52	
42.	0	0.	54	7.
43.	0	0.	56	
44.	0	0.	58	
45.	6	0.	59	
46.	0	1.	1	
47.	0	1.	3	
48.	0	1.	5	
49.	0	1.	7	
50.	0	1.	10	
51.	0	1.	12	
52.	0	1.	15	
53.	0	1.	18	
54.	0	1.	20	
55.	0	1.	23	8.
56.	0	1.	27	
57.	0	1.	30	
58.	0	1.	34	
59.	0	1.	38	
60.	0	1.	42	
61.	0	1.	46	
62.	0	1.	51	
63.	0	1.	55	
64.	0	2.	0	
65.	0	2.	6	
66.	0	2.	12	
67.	0	2.	18	
68.	0	2.	25	
69.	0	2.	31	
70.	0	2.	39	
	30	2.	44	
71.	0	2.	49	9.
	30	2.	54	
72.	0	3.	0	
	30	3.	5	
73.	0	3.	11	
	30	3.	17	

Diſtantiæ à vertice. Gr.	M.	Refractio. M.	S.	Parallaxi Solis Sec.
74.	0	3.	24	
	30	3.	31	
75.	0	3.	38	
	30	3.	45	
76	0	3.	53	
	30	4.	2	
77.	0	4.	12	10.
	30	4.	22	
78	8	4.	33	
	30	4.	45	
79.	0	4.	58	
	30	5.	12	
80.	0	5.	28	
	30	5.	44	
81.	0	6.	3	
	30	6.	23	
82.	0	6.	47	
	30	7.	13	
83.	0	7.	43	
	30	8.	16	
84.	0	8.	55	
	30	9.	39	
85.	0	10.	32	
	30	11.	34	
	40	11.	56	
	50	12.	21	
86.	0	12.	48	
	10	13.	15	
	20	13.	44	
	30	14.	16	
	40	14.	50	
	50	15.	26	
87	0	16.	6	
	10	16.	48	
	20	17.	31	
	30	18.	20	
	40	19.	10	
	50	20.	6	
88	0	21.	4	
	10	22.	6	
	20	23.	11	
	30	24.	21	
	40	25.	39	
	50	26.	43	
89.	0	27.	55	
	10	29.	4	
	20	30.	7	
	30	31.	0	
	40	31.	42	
	50	32.	9	
90.	0	32.	19	10.

TABULA II. Aſcenſio recta & declinatio 50. præcipuarum fixarum in noſtro hemiſphærio conſpicuarum ad annum 1701. completum ex ea, quam edidit Cl. V. Philippus de la Hire.

Nomina fixarum.	Aſcenſio recta. G. M. S.	Differ. pro annis x. M. S.	Declinatio. G. M. S.	Differ. pro annis x. M. S.	Magnitudo.
Arietis prima in cornu	24. 19. 5	8. 18	17. 49. 32 B	3. 6. add.	4.
Arietis ſecunda	24. 33. 42	8. 12	19. 20. 19 B	3. 6. add.	3.
Arietis lucida	27. 36. 39	8. 30	22. 1. 20 B	3. 0. add.	3.
Ceti mandibula	41. 40. 13	7. 30	2. 53. 33 B	2. 30. add.	2.
Ceti cauda	7. 5. 4	7. 42	19. 37. 44 A	3. 24. ſub.	2.
Tauri oculus *Aldebaram*	64. 42. 3	8. 39	15. 52. 27 B	1. 30. add.	1.
Tauri cornu boreum	76. 52. 28	9. 42	28. 19. 6 B	0. 48. add.	2.
Capella Aurigæ	73. 36. 56	8. 24	45. 40. 2 B	0. 48. add.	1.
Orionis pes lucidus *Rigel*	75. 3. 15	7. 53	8. 34. 43 A	1. 0. add.	1.
Orionis humerus occid.	77. 16. 27	7. 54	6. 2. 50 B	0. 58. ſub.	2.
Orionis balthei prima	79. 11. 37	7. 42	0. 33. 31 A	0. 48. add.	2.
Orionis balthei media	80. 16. 6	7. 53	1. 25. 39 A	0. 42. ſub.	2.
Orionis balthei ultima	81. 25. 46	7. 36	2. 8. 15 A	0. 36. ſub.	2.
Orionis humerus orient.	84. 45. 5	8. 12	7. 18. 50 B	0. 30. ſub.	1.
Orionis pes ſequens	83. 24. 5	7. 10	9. 48. 30 A	0. 23. add.	3.
Canis major *Sirius*	97. 59. 53	6. 42	16. 20. 4 A	0. 24. ſub.	1.
Canis major. pes anterior	92. 23. 24	6. 40	17. 50. 42 A	0. 8. add.	3.
Canis major. inter femora	101. 42. 14	5. 58	28. 35. 54 A	0. 43. add.	3.
Canis major. in dorſo	110. 54. 50	6. 10	25. 57. 8 A	0. 52. add.	3.
Canis minor Procyon	104. 3. 20	8. 0	5. 57. 12 B	1. 12. add.	2.
Geminorum pes lucidus	95. 7. 2	8. 48	16. 36. 55 B	0. 12. ſub.	2.
Gemin. caput boreale	108. 43. 46	10. 14	32. 30. 36 B	1. 6. ſub.	2.
Gemin. caput auſtrale	111. 40. 49	9. 39	28. 43. 22 B	1. 12. ſub.	2.
Hydræ cor	138. 13. 45	7. 30	7. 23. 25 A	2. 30. ſub.	2.
Leonis cor	148. 6. 42	8. 15	13. 24. 16 B	2. 51. add.	1.
Leonis lucida jubæ	150. 48. 10	8. 33	21. 20. 22 B	2. 54. ſub.	2.
Leonis lucida lumborum	164. 53. 40	8. 42	22. 9. 18 B	3. 24. ſub.	2.
Leonis cauda	173. 27. 30	7. 54	16. 14. 24 B	3. 24. ſub.	1.
Virginis ala *Vindemiatrix*	191. 49. 50	7. 42	12. 33. 41 B	3. 18. ſub.	3.
Virginis ſpica *Azmech*	197. 22. 45	7. 59	9. 34. 52 A	3. 15. add.	1.
Vrſæ maj. extrema caudæ	203. 57. 8	6. 12	50. 47. 10 B	3. 6. ſub.	2.
Corvi ala *Algorab*	180. 7. 45	7. 45	15. 53. 30 A	3. 21. ſub.	2.
Arcturus	210. 31. 39	7. 6	20. 47. 13 B	3. 27. ſub.	1.
Coronæ lucida	230. 32. 10	6. 30	27. 45. 11 B	2. 6. ſub.	2.
Libræ lanx auſtralis	218. 36. 32	8. 18	14. 46. 6 A	2. 44. add.	2.
Libræ lanx borealis	225. 15. 7	8. 12	8. 15. 26 A	2. 24. ſub.	2.
Serpentis colli lucida	232. 33. 55	7. 30	7. 23. 16 B	2. 6. ſub.	2.
Scorpii cor *Antares*	242. 47. 50	9. 12	25. 44. 8 A	1. 36. add.	1.
Scorpii in fronte borealis	237. 1. 50	8. 42	18. 57. 42 A	2. 0. add.	3.
Ophiuchi caput	260. 17. 9	7. 6	12. 48. 35 B	0. 42. ſub.	2.
Lyræ lucida	276. 43. 50	5. 0	38. 32. 33 B	0. 24. add.	1.
Sagittarii in arcu auſtr.	271. 6. 11	10. 4	34. 29. 50 A	0. 2. ſub.	3.
Aquilæ lucida	294. 3. 27	7. 42	8. 6. 40 B	1. 18. add.	2.
Capricorni cornu inferius	301. 3. 53	8. 42	15. 41. 52 A	1. 42. ſub.	3.
Aquarii *Fomahant*	340. 15. 0	8. 30	31. 11. 40 A	3. 6. ſub.	1.
Pegaſi os	322. 23. 25	7. 48	8. 31. 40 B	2. 36. add.	3.
Pegaſi crus *Scheat*	342. 19. 53	7. 12	26. 28. 56 B	3. 12. add.	2.
Pegaſi alæ prima *MarKab*	342. 48. 21	7. 31	13. 36. 33 B	3. 12. add.	2.
Pegaſi alæ extrema Alg.	359. 28. 16	7. 36	13. 32. 8 B	3. 24. add.	2.
Stella polaris	8. 56. 33	19. 0	87. 42. 26 B	3. 24. add.	2.

Utere additione & ſubtractione differentiæ declinationis ut apponitur in hac Tabula pro annis ſequentibus; ſed é contrario pro annis antecedentibus Epocham propoſitam anni 1701. completi.

TABULA III. Declinatio ſingulorum graduum Eclipticæ.

♈ & ♎ G. M.	Declinatio. G. M. S. T.	Differentia. M. S. T.	Differētia declinat. unius minuti. S. T	G. M.
0. 0	0. 0. 0. 0	3. 59. 2	23. 55	30. 0
10	0. 3. 59. 2	3. 59. 2		50
20	0. 7. 58. 4	3. 59. 1		40
30	0. 11. 57. 5	3. 59. 1	23. 54	30
40	0. 15. 56. 6	3. 59. 1		20
50	0. 19. 55. 7	3. 59½		10
1. 0	0. 23. 54. 8	3. 59. 0	23. 53	29. 0
10	0. 27. 53. 8	3. 59. 0		50
20	0. 31. 52. 8	3. 59. 0		40
30	0. 35. 51. 8	3. 58. 59		30
40	0. 39. 50. 8	3. 58. 59		20
50	0. 43. 49. 7	3. 58. 59		10
	G. M. S.	M. S.		
2. 0	0. 47. 48.	3. 59.	23. 52	28. 0
10	0. 51. 47.	3. 59.		50
20	0. 55. 46.	3. 59.		40
30	0. 59. 44.	3. 59.		30
40	1. 3. 43.	3. 59.		20
50	1. 7. 42.	3. 59.		10
3. 0	1. 11. 40.	3. 59.	23. 51	27. 0
10	1. 15. 39.	3. 59.		50
20	1. 19. 38.	3. 58.		40
30	1. 23. 37.	3. 58.		30
40	1. 27. 36.	3. 58.		20
50	1. 31. 35.	3. 58.		10
4. 0	1. 35. 33.	3. 58.	23. 50	26. 0
10	1. 39. 32.	3. 58.		50
20	1. 43. 31.	3. 58.		40
30	1. 47. 29.	3. 58.		30
40	1. 51. 27.	3. 58.		20
50	1. 55. 26.	3. 58.		10
5. 0	1. 59. 24.	3. 58.	23. 49	25. 0
10	2. 3. 22.	3. 58.		50
20	2. 7. 21.	3. 58.		40
30	2. 11. 19.	3. 58.		30
40	2. 15. 17.	3. 58.		20
50	2. 19. 15.	3. 58.		10
6. 0	2. 23. 13.	11. 53.	23. 48	24. 0
30	2. 35. 6.	11. 53.	23. 47	0
7. 0	2. 46. 59.	11. 52.	23. 46	23. 0
30	2. 58. 51.	11. 51.	23. 45	30
8. 0	3. 10. 42.	11. 50.	23. 44	22. 0
30	3. 22. 32.	11. 50.	23. 42	30
9. 0	3. 34. 22.	11. 49.	23. 41	21. 0
30	3. 46. 11.	11. 49.	23. 40	30
10. 0	3. 58. 0.		23. 38	20. 0
	G. M. S.	Differentia	Differentia minuti unius.	G. M. ♍ & ♓

♈ & ♎ G. M.	Declinato. G. M. S.	Differentia. M. S.	Differentia decl. 1. min. S. T.	
10. 10	4. 58. 0	11. 48	23. 37	20. 0
30	4. 9. 48	11. 47	23. 35	30
11. 0	4. 21. 35	11. 45	23. 33	19. 0
30	4. 33. 20	11. 43	23 31	30
12. 0	4. 45. 4	11. 42	23. 29	18. 0
30	4. 56. 48	11. 41	23. 26	30
13. 0	5. 8. 29	11. 41	23. 24	17. 0
30	5. 20. 10	11. 39	23. 22	30
14. 0	5. 31. 49	11. 39	23. 20	16. 0
30	5. 43. 28	11. 38	23. 18	30
15. 0	5. 55. 6	11. 36	23. 15	15. 0
30	6. 6. 42	11. 34	23. 12	30
16. 0	6. 18. 17	11. 32	23. 9	14. 0
30	6. 29. 49	11. 31	23. 6	30
17. 0	6. 41. 20	11. 30	23. 3	13. 30
30	6. 52. 50	11. 28	23. 0	30
18. 0	7. 4. 18	11. 26	22. 56	12. 0
30	7. 15. 44	11. 24	22. 52	30
19. 0	7. 28. 8	11. 22	22. 49	11. 0
30	7. 38. 31	11. 21	22. 45	30
20. 0	7. 49. 52	11. 19	22. 41	10. 0
30	8. 1. 10	11. 17	22. 38	30
21. 0	8. 12. 27	11. 15	22. 34	9. 0
30	8. 23. 42	11. 13	22. 31	30
22. 0	8. 34. 57	11. 11	22. 28	8. 0
30	8. 46. 8	11. 9	22. 23	30
23. 0	8. 57. 16	11. 7	22. 18	7. 0
30	9. 8. 24	11. 5	22. 13	30
24. 0	9. 19. 28	11. 3	22. 8	6. 0
30	9. 30. 31	11. 1	22. 4	30
25. 0	9. 41. 32	10. 59	22. 0	5. 0
30	9. 52. 31	10. 56	21. 55	30
26. 0	10. 3. 27	10. 54	21. 50	4. 0
30	10. 14. 20	10. 52	21. 46	30
27. 0	10. 25. 12	10. 49	21. 41	3. 0
30	10. 36. 1	10. 46	21. 36	30
28. 0	10. 46. 47	10. 43	21. 31	2. 0
30	10. 57. 33	10. 40	21. 25	30
29. 0	11. 8. 13	10. 37	21. 19	1. 0
30	11. 18. 50	10. 33	21. 14	30
30. 0	11. 29. 23	10. 30	21. 8	0. 0
	G. M. S.	Differētia. M. S.	Differentia unius minuti. S. T.	G. M. ♍ & ♓

Sequitur TABULA III. Declinationis ſingulorum Eclipticæ graduum.

♉ & ♍ G. M.	Declinatio. G. M. S.	Differentia. M. S.	Differentia vnjus minuti. S. T.		♉ & ♍ G. M.	Declinatio. G. M. S.	Differentia. M. S.	Differentia unius minuti. S. T.	
0. 0	11. 29. 23 ½		21. 9	30. 0	15 0	16. 21. 42		17. 37	15. 0
30	11. 39. 55	10. 31 ½	21. 3	30	30	16. 30. 29	8. 47	17. 29	30
1. 0	11. 50. 23	10. 28	20. 58	29. 0	16 0	16. 39. 11	8. 42	17. 21	14. 0
30	12. 0. 49	10. 26	20. 52	30	30	16. 47. 49	8. 38	17. 12	30
		10. 23					8. 33		
2. 0	12. 11. 12		20. 46	28. 0	17 0	16. 56. 22		17. 4	13. 0
30	12. 21. 32	10. 20	20. 40	30	30	17. 4. 51	8. 29	16. 55	30
3. 0	12. 31. 52	10. 17	20. 33	27. 0	18 0	17. 13. 15	8. 24	16. 46	12. 0
30	12. 42. 6	10. 14	20. 27	30	30	17. 21. 34	8. 19	16. 37	30
		10. 11					8. 15		
4. 0	12. 52. 15		20. 21	26 0	19 0	17. 29. 49		16. 28	11. 0
30	13. 2. 26	10. 8.	20. 15	30	30	17. 38. 0	8. 11	16. 18	30
5. 0	13. 12. 31	10. 5	20. 8	25 0	20. 0	17. 46. 0	8. 6	16. 9	10. 0
30	13. 22. 32	10 1	20. 1	30	30	17. 54. 8	8. 2	16. 0	30
		9. 58					7. 58		
6. 0	13. 32. 30		19. 55	24. 0	21. 0	18. 2. 6		15. 50	9. 0
30	13. 42. 25	9. 55	19. 48	30	30	18. 9. 59	7. 53	15. 40	30
7. 0	13. 52. 17	9. 52	19. 41	23 0	22 0	18. 17. 48	7. 49	15. 31	8. 0
30	14. 2. 6	9. 49	19. 34	30	30	18. 25. 33	7. 45	15. 22	30
		9. 45					7. 40		
8. 0	14. 11. 51		19. 27	22. 0	23 0	18. 33. 13		15. 12	7. 0
30	14. 21. 33	9. 42	19. 19	30	30	18. 40. 46	7. 34	15 1.	30
9. 0	14. 31. 11	9. 38	19. 13	21 0	24 0	18. 48. 14	7. 28	14. 51	6. 0
30	14. 40. 45	9. 34	19. 5	30	30	18. 55. 36	7. 22	14. 42	30
		9. 30					7. 16		
10. 0	14. 50. 15		18. 58	20 0	25 0	19. 2. 52		14. 32	5. 0
30	14. 59. 41	9. 26	18. 50	30	30	19. 10. 3	7. 11	14. 22	30
11. 0	15. 9. 3	9. 22	18. 42	19 0	26 0	19. 17. 9	7. 6	14. 11	4. 0
30	15. 18. 22	9. 19	18. 35	30	30	19. 24. 10	7. 1	14. 0	30
		9. 15					6. 56		
12. 0	15. 27. 36		18. 27	18 0	27 0	19. 31. 6		13. 50	3. 0
30	15. 36. 46	9. 11	18. 19	30	30	19. 37. 57	6. 51	13. 39	30
13. 0	15. 45. 53	9. 7	18. 11	17 0	28 0	19. 44. 43	6. 46	13. 29	2. 0
30	15. 54. 57	9. 3	18. 3	30	30	19. 51. 24	6. 41	13. 18	30
14. 0	16. 3. 56	8. 59	17. 54	16 0	29 0	19. 58. 0	6. 36	13. 7	1. 0
30	16. 12. 51	8. 55	17. 46	30	30	20. 4. 30	6. 30	12. 56	30
15. 0	16. 21. 42	8. 51	17. 37	15 0	30 0	20. 10. 55	6. 25	12. 45	0. 0
		8. 47							
	Declinatio G. M. S.	Differētia M. S.	Differētia unius minuti. S. T.	♌ & ♒ G. M.		Declinatio G. M. S.	Differētia M. S.	Differentia unius minuti. S. T.	♌ & ♒ G. M.

Sequitur TABULA III. Declinationis ſingulorum Ecliptica graduum.

♊ & ♐ G. M.	Declinatio. G. M. S.	Differentia M. S.	differentia 2.	Differentia unius minuti. S. T.	G. M.
0. 0	20. 10. 55	6. 18	5	12. 44	30. 0
30	20. 17. 13	6. 13	5	12. 33	30
1. 0	20. 23. 26	6. 8	6	12. 22	29. 0
30	20. 29. 34	6. 2	6	12. 11	30
2. 0	20. 35. 36	6. 56	5	12. 0	28. 0
30	20. 41. 32	5. 51	5	11. 49	30
3. 0	20. 47. 23	5. 46	6	11. 37	27. 0
30	20. 53. 9	5. 40	6	11. 26	30
4. 0	20. 58. 49	5. 34	6	11. 14	26. 0
30	21. 4. 23	5. 29	6	11. 3	30
5. 0	21. 9. 52	5. 23	6	10. 51	25. 0
30	21. 15. 15	5. 17	7	10. 39	30
6. 0	21. 20. 32	5. 10	6	10. 27	24. 0
30	21. 25. 43	5. 4	6	10. 15	30
7. 0	21. 30. 47	4. 58	6	10. 3	23. 0
30	21. 35. 45	4. 52	6	9. 51	30
8. 0	21. 40. 37	4. 46	6	9. 38	22. 0
30	21. 45. 23	4. 40	6	9. 26	30
9. 0	21. 50. 3	4. 34	6	9. 14	21. 0
30	21. 54. 37	4. 28	7	9. 2	30
10. 0	21. 59. 5	4. 21	6	8. 50	20. 0
30	22. 3. 26	4. 15	6	8. 37	30
11. 0	22. 7. 41	4. 9	7	8. 25	19. 0
30	22. 11. 50	4. 2	6	8. 12	30
12. 0	22. 15. 52	3. 56	7	7. 59	18. 0
30	22. 19. 48	3. 49	6	7. 47	30
13. 0	22. 23. 37	3. 43	6	7. 34	17. 0
30	22. 27. 20	3. 37	6	7. 22	30
14. 0	22. 30. 57	3. 31	7	7. 8	16. 0
30	22. 34. 28	3. 24	6	6. 56	30
15. 0	22. 37. 52	3. 18	6	6. 42	15. 0
30	22. 41. 10	3. 12	6	6. 30	30
16. 0	22. 44. 22	3. 6	7	6. 17	14. 0
30	22. 47. 28	2. 59	6	6. 4	30
17. 0	22. 50. 27	2. 53	7	5. 51	13. 0
30	22. 53. 19	2. 46	7	5. 37	30
18. 0	22. 56. 5	2. 39		5. 24	12. 0
	Declinatio G. M. S.	Differentia M. S.		Differẽtia unius minuti. S. T.	♋ & ♑ G. M.

♊ & ♐ G. M.	Declinatio. G. M. S.	Differentia. M. S.	differentia 2.	Differentia unius minuti. S. T.	G. M.
18. 0	22. 56. 5	2. 39	6	5. 24	12. 0
30	22. 58. 44	2. 33	7	5. 11	30
19. 0	23. 1. 17	2. 26	7	4. 57	11. 0
30	23. 3. 43	2. 19	7	4. 45	30
20. 0	23. 6. 2	2. 12	7	4. 31	10. 0
30	23. 8. 14	2. 5	7	4. 18	30
			6		
21. 0	23. 10. 19	1. 59	7	4. 4	9. 0
30	23. 12. 18	1. 52	7	3. 51	30
22. 0	23. 14. 10	1. 45	7	3. 37	8. 0
30	23. 15. 55	1. 38	8	3. 24	30
23. 0	23. 17. 33	1. 30	7	3. 10	7. 0
30	23. 19. 3	1. 23		2. 57	30
24. 0	23. 20. 26	0. 54	4	2. 43	6. 0
20	23. 21. 20	0. 50	3	2. 34	40
40	23. 22. 10	0. 47	3	2. 25	20
25. 0	23. 22. 57	0. 44	4	2. 16	5. 0
22	23. 23. 41	0. 40	3	2. 3	40
40	23. 24. 21	0. 37	3	1. 58	20
26. 0	23. 24. 58	0. 34	3	1. 49	4. 0
20	23. 25. 32	0. 31	2	1. 41	40
40	23. 26. 3	0. 29	—	1. 31	20
27. 0	23. 26. 32	0. 13	0	1. 22	3. 0
10	23. 26. 45	0. 13	1	1. 18	50
20	23. 26. 58	0. 12	1	1. 13	40
30	23. 27. 10			1. 9	30
40	23. 27. 21	0. 11	1	1. 4	20
50	23. 27. 31	0. 10	1	0. 59	10
28. 0	23. 27. 40	0. 9	0	0. 55	2. 0
